PANEGYRICI VETERES

EX EDITIONIBUS

CHR. G. SCHWARZII ET ARNTZENIORUM

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITI.

VOLUMEN PRIMUM.

LONDINI:
CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.
1828.

CONSPECTUS

EORUM QUÆ HAC EDITIONE

CONTINENTUR.

	Pag.
EPISTOLA Jacobi De la Baune Serenissimo Delphino	1
C. G. Schwarzii Præfatio	3
G. E. Gierig de Panegyrici Pliniani Virtutibus et Vitiis	12
Vita C. Plinii, auctore Jo. Massonio	48
Vita C. Plinii, auctore Jac. De la Baune	98
Testimonia de C. Plinio	108
Vita M. Ulpii Trajani, auctore Jac. De la Baune .	119
Elenchus nonnullorum Scripturæ Compendiorum quæ in VV. LL. occurrunt	132
C. PLINII PANEGYRICUS, Nervæ Trajano Augusto dictus	135
C. G. Schwarzii Excursus ad Panegyricum Plinii .	359
NOTÆ VARIORUM in C. Plinii Panegyricum . .	443
H. J. Arntzenii Præfatio ad Panegyricos undecim reliquos	1103
Jægeri Præfatio	1109

Pag.

PANEGYRICUS II.—Chr. G. Schwarzii Dissertatio . 1121
Vita Diocletiani et Maximiani 1138
De Auctore hujus Panegyrici, et quo tempore, quoque loco sit habitus 1151
Claudii Mamertini Panegyricus, Maximiano Herculeo dictus 1152

PANEGYRICUS III.—Chr. G. Schwarzii Prolegomena 1179
De Auctore hujus Panegyrici, et quo tempore, quoque loco sit habitus 1194
Claudii Mamertini Genethliacus, Maximiano Augusto dictus 1195

PANEGYRICUS IV.—Eumenii Vita 1229
Vita Eumenii, a Chr. G. Schwarzio . . . 1232
Eumenii pro Instaurandis Scholis Oratio . 1235

PANEGYRICUS V.—Vita Fl. Valerii Constantii Chlori 1265
Eumenii Panegyricus, Constantio Cæsari recepta Britannia dictus 1273

PANEGYRICUS VI.—Vita Fl. Valerii Constantini Magni 1305
De Auctore hujus Panegyrici, et quo tempore, quoque loco sit habitus 1320
Incerti Panegyricus Maximiano et Constantino 1321

PANEGYRICUS VII.—Eumenii Panegyricus Constantino Augusto 1342

PANEGYRICUS VIII.—Eumenii Gratiarum Actio Constantino Augusto Flaviensium nomine . 1377

Pag.

Panegyricus ix.—De Auctore hujus Panegyrici, et quo loco ac tempore pronuntiatus sit . 1402
Incerti Panegyricus Constantino Augusto dictus 1403

Panegyricus x.—De Auctore hujus Panegyrici, et quo tempore ac loco habitus sit . . 1437
Nazarii Panegyricus Constantino Augusto . 1438

Panegyricus xi.—Vita Fl. Claudii Juliani . 1490
De Auctore hujus Panegyrici, et quo tempore ac loco habitus sit 1500
Claudii Mamertini pro Consulatu Gratiarum Actio Juliano Augusto . . . 1501

Panegyricus xii.—Vita Fl. Theodosii Magni . 1541
De Auctore hujus Panegyrici, et quo tempore ac loco habitus sit 1550
Vita Latini Pacati, ab Jo. Scheffero . . 1551
Latini Pacati Drepanii Panegyricus, Theodosio Augusto dictus 1554

Notæ Variorum in Paneg. ii. . . . 1625
Paneg. iii. . . . 1697
Paneg. iv. . . . 1790
Paneg. v. . . . 1848
Paneg. vi. . . . 1906
Paneg. vii. . . . 1943
Paneg. viii. . . . 2003
Paneg. ix. . . . 2043
Paneg. x. . . . 2121
Paneg. xi. . . . 2209
Paneg. xii. . . . 2326
Fr. Balduini Notæ in Paneg. xii. . . 2441
Casp. Barthii Notæ in Paneg. xii. . . 2451
Thomæ Wopkensii Animadversiones Criticæ in Paneg. xii. 2458

	Pag.
NOTITIA LITERARIA de Panegyricis Veteribus .	2471
Recensus Editionum	2480
Codicum Mss. qui in Bibliothecis Britannicis asservantur . .	2509
INDEX in Plinii Panegyricum . . .	i
reliquos undecim Panegyricos . .	i

SERENISSIMO

DELPHINO

JACOBUS DE LA BAUNE,

SOC. JESU.

VETERUM Imperatorum laudes ab oratoribus suorum temporum clarissimis conscriptas offero tibi, Serenissime Delphine. Munus est plane regium, quod magnorum Principum res præclare gestas complectitur; et hac ætate tua tibi convenientissimum, cui veræ laudis viam ingredienti egregia in omni genere virtutum exempla sufficiet. Habebis in Trajano virum paterna in populos bonitate, liberalitate in homines literatos, in publicis monumentis magnificentia, fortitudine in proferendis imperii finibus insignem: in Constantino Magno, Christianæ religionis defensorem ac propagatorem nunquam satis laudatum: in Theodosio item Magno, Imperatorem justitia, probitate, sapientia, bellica virtute, regnandi arte præstantissimum: denique quas in uno Parente tuo admirabiliter collectas virtutes soles intueri, has in singulis sparsas dissipatasque non sine jucunditate recognosces.

Par est igitur, Serenissime Delphine, sub augusto nomine tuo apparere illud opus, quod et in tuos usus Regis jussu exit in lucem, et eo nomine tuum est, quod tibi, in veterum Principum laudibus adumbratam, maximi Parentis imaginem exhibebit.

Hujus quidem virtutes ad formandos consequentium ætatum heroas toti orbi proponentur; verumtamen ad te proprio quodam jure pertinent, quia domesticæ: in his, ubicumque occurrerint, perpetuo contemplandis defixum te esse oportet; harum te ad similitudinem fingi ac formari.

Ac profecto jam est, cur invictissimo Parenti tuo, cur nobis, totique Galliæ gratulemur; nam oris illa suavitas, teneræ adhuc frontis majestas, pietas in Deum, candorque animi, indefessum literarum studium, in literatos viros humanitas, acres ad rei militaris gloriam impetus, spem faciunt nobis certissimam, futurum olim ut paternarum æmulatione virtutum, non modo veteres illos Imperatores, sed, quod ad felicitatem Galliæ multo est optatius, nobis Ludovicum Magnum, quantus quantus est, perfectissime repræsentes.

Id unum mihi restat optandum, ut hæc mea qualiscumque opera iis adjumento esse possit, quibus ipse aliquando longe uberiora et præstantiora panegyricorum suppeditabis argumenta.

Lutetiæ Parisiorum.
Kal. Novemb. anno M.DC.LXXVI.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

C. G. SCHWARZIUS.

[EX EDIT. C. G. SCHWARZII, NORIMB. 1746.]

Cum, anno hujus sæculi nono, ad doctrinam humanitatis meliorumque literarum publice profitendam, ab illustribus Academiæ Altorfinæ Curatoribus evocarer, auspicium muneris mei ab illustrando C. Plinii Secundi Panegyrico faciebam. Qua in re potissimum secutus sum exempla Lipsii, Baudii, Boxhornii, Boecleri, Jacobi Thomasii, aliorumque virorum doctissimorum; (cui enim vitio detur, ad imitandum optima quæque proponere?) qui et congruentem partibus suis, et juventuti studiosæ, quæ elegantiorum literarum amore capitur, fructuosam existimarant operam, quam in commendanda interpretandaque hac Plinii Oratione collocarent. Etsi vero non ignoro, omnibus facile anteponendum esse M. Tullium Ciceronem, qui in gravi et copioso numerosoque dicendi genere sine controversia inter omnium sæculorum Oratores principatum tenet, omnesque unus Latinorum complectitur exquisitæ orationis virtutes: nego tamen, eum solum in Latinis esse legendum. Alii enim aliis virtutibus magis enitescunt. De Plinio jam loquor; quem potissimum horum temporum genio esse accommodatissimum, multi sibi persuasum habent. Et sane in eo legendo non potest non admiratione affici, quisquis cognoverit, quantam ille prudentiam rerum civilium prodat, quanto fulgeat ingenii lumine, quanta varietate acuminum; et styli concinnitate, exsplendescat, ita, ut elegantissimum

illud pulcherrimumque Atticismi exemplar admirari sit facilius, quam imitari. Interim gratulamur ævo nostro, quod inter tot rerum temporumque conversiones tam eximium eloquentiæ Romanæ specimen nobis servatum est; quanquam illud, quod in prioribus jam recitationibus meis ægro animo identidem deprehenderam, ex temporum diuturnitate non omni labe aspersa vacet. Licet enim jam plures viri eruditi in hac præstantissima Oratione illustranda elaborarint; vix tamen dici credique potest, quot adhuc salebras inde tollendas reliquerint. Alia enim menda vetustas temporis, alia librariorum ignorantia vel negligentia, alia denique editorum quorundam modo audacia, modo oscitatio, induxit. Nihil itaque magis jamdudum in voto habui, quam ut tandem remedia quædam invenirentur, quæ non solis ingeniorum conjecturis, sed probabiliore librorum veterum ope, innixa, locis Panegyrici Pliniani, quæ adhuc in morbo cubant, sanandis adhiberi possent. Cujus voti ex parte compos factus sum, cum e relicta Bibliotheca Viri doctrina et exemplo quondam venerabilis, Tobiæ Winckleri, Antistitis apud Norimbergenses meritissimi, nunc cœlo recepti, codicem Panegyricorum Veterum membranaceum, eumque nitide scriptum, mihi compararem. Hunc codicem, auro mihi cariorem, non diu in occulto abditum latere, aut cum blattis tineisque luctari, passus, mox cœpi ad loca quædam hujus Panegyrici emendanda explicandaque conferre, atque Observationes hanc in rem scriptas, quoties dabatur occasio, ad modum Disquisitionum Academicarum, in circulo erudito proponere, quas eximii, et ingenii felicitate elegantiumque literarum studio excitati Juvenes, singulari cum industriæ laude, neque sine studiorum suorum commendatione, defenderunt; nempe primam partem anno MDCCXXIX. Justinus Gœtschius, nunc Sacerdos Vorra-Noricus; alteram, anno MDCCXXXII. Michaël Christianus Hirschius, jam Norimbergæ ad Ædem Laurentianam Diaconus; tertiam, anno MDCCXXXIII. Joannes Andreas Michaël Nagelius, hodie Professor Publicus in hac Academia Altorfina, et collega mihi honoratissimus;

quartam, anno MDCCXXXIV. Gustavus Philippus Hæcker, jam Sacerdos Farrenbachio-Noricus; et denique quintam, anno MDCCXXXV. Nicolaus Schwebel, hodie Gymnasii Norimbergensis Rector. Inter hæc, nec curæ, nec labori, sumtuive, peperci, ut plura librorum veterum, cum manu, tum typis, exscriptorum, subsidia conquirerem. Nec spes et fortuna me prorsus fefellit. Ex ipsa Bibliotheca Vaticana, qua nullam facile locupletiorem habet orbis terrarum, exemplar e melioribus membranis descriptum, et cum aliis tribus codicibus collatum, pro singulari suo bonarum literarum ornandarum studio, ad me perferendum perclementer curavit Pater Purpuratus, et Princeps eminentissimus, Passioneus. E Bibliotheca Divi Marci Venetorum, favente illius Bibliothecæ Præfecto, Marco Antonio Madero, ex codice Ms. itemque ex alio alius Bibliothecæ, per amicos benevolos, omnes variantes lectiones quam diligentissime excerptas obtinui. Nec desiderio meo defuit Jacobus Facciolatus, vir non minus humanitate, quam recondita eruditione et eloquentia, clarissimus; quo procurante, ex Patavinæ Bibliothecæ codice exemplar descriptum ad me pervenit. Nihil minus dubitaveram, quam etiam in celeberrimis Italiæ Bibliothecis, Ambrosiana scilicet Mediolanensium, et Laurentiana Medicea Florentinorum, hujus generis codices antiquos asservari: verum, præter opinionem, mihi significavit vir dignitate et eruditione spectatissimus, Josephus Antonius Saxius, Bibliothecæ Ambrosianæ Præfectus, Epistolarum quidem Plinianarum codices quosdam Mss. nullum vero Panegyrici, ibi reperiri. Atque similia etiam intellexi ex pluribus cultissimis literis Antonii Francisci Gorii, in Academia Florentina Historiarum Professoris Publici, et præstantissimis ingenii monumentis celeberrimi; qui, quanta est Viri eruditissimi humanitas, mea causa, et Mediceam Laurentianam, et in eadem Principum Etruscorum sede Gaddinam, ac Piccardianam, aliasque adiit et perscrutatus est Bibliothecas, sed, quod voto meo responderit, non invenit. Quid vero subsidii, et quorum favore operaque benigna, ex Bibliotheca Regia Pari-

siensium, ex Archiepiscopali Salisburgensium, ex Principali Guelpherbytana, et Lugdunensi Batavorum, nactus sim, item et quæ impressa Panegyrici Pliniani exemplaria simul consuluerim, infra indicavi; neque iis, qui benevolentia sua studioque institutum meum prosecuti sunt, non potui non gratam mentem publice testari.* Hunc adeo

* Codices Mss. quatuor, iique membranacei Bibliothecæ Vaticanæ, nempe num. 3461. 1775. 1776. et ex Reginæ Alexandræ, i. e. Christinæ Reg. Sueciæ, codicibus Vatic. n. 1475. Ex his codex antiquior et integrior ceteris, scilicet n. 3461. mihi a verbo ad verbum accuratissime descriptus est; cui lectiones variantes ex reliquis tribus codicibus in margine additæ sunt: utrum vero omnes omnino variationes sint annotatæ, ego præstare non possum. Hoc autem tam eximium Panegyrici Pliniani adjumentum orbis literatus debet Patri Purpurato, eminentissimo Cardinali et Principi, Dominico Passioneo, qui, quantum, in tanto honorum splendore, ipse recondita et omnis generis exquisitissima eruditione eminet, tantum excitandis ingeniis, et juvandis ornandisque bonarum literarum studiis, se his temporibus præstat dignitatis rei literariæ custodem præsidemque.

Codex Ms. membran. Parisiensis, qui ex libris Aug. Thuani in Bibliothecam Regiam pervenit; cujus lectiones variantes nostra causa, cum A. MDCCXXXII. Parisiis versaretur, solertissime excerpsit, et Cellarianæ editioni ascripsit, Vir generos. et humanissimus, Christianus Ludovicus Scheidius, Patricius e Triboccis, J. U. D. et hodie in inclyta Academia Hafniensi Juris Naturalis Gentium et Publici Professor ordinarius, et Assessor in Collegio Consistor. dignitate illustris.

Codex Ms. Venetus I. isque membran. qui extat in Bibliotheca D. Marci; cujus characteres Romanos characteribus mei codicis quam simillimos esse, intellexi; cujusque variantes lectiones, beneficio quidem Viri eruditissimi clarissimique, Marci Antonii Maderi, Bibliothecæ D. Marci Præfecti, singulari accuratione in exemplar editionis Baunianæ retulit, dum Venetiis versatur, Vir nobilissimus humanissimusque, Jo. Baltasar Starckius, Sereniss. Ducis Saxo-Hildburghusani Consiliarius, qui hac industria gratoque officio me remque literariam singulariter sibi devinxit. Ceterum, codicem hunc in priore parte Notarum mearum, usque ad c. XXXIV. simpliciter designo nomine codicis Veneti; in sequentibus vero, addita numeri nota, appello codicem Venetum I.

Codex Ms. Venetus II. itidem membranaceus, mancus tamen a principio usque ad c. XXXIV. qui Venetiis in Bibliotheca Monasterii Patrum ordinis Dominicani, DD. Apostolis Joanni et Paulo dicati, asservatur. Hunc, dum Venetiis degit, accurate descriptum mihi submisit cultor humaniorum literarum indefessus, Jo. Henr. David. Gœbelius, Neapolitanus e Francis.

Codex Ms. Patavinus, isque membranaceus, qui asservatur Patavii Venetorum, et quidem in Bibliotheca Monasterii S. Justinæ dicati: cujus accuratum ἀπόγραφον per Gœbelium modo laudatum mihi transmissum debeo curæ et singulari humanitati Jacobi Facciolati, Viri in orbe literato celebratissimi, et omni præconio meo majoris. Quod ἀπόγραφον etsi serius

librorum apparatum ne frustra collegisse, et hinc inde arcessivisse, viderer, constitueram primum minore forma edere Panegyrici hujus contextum, eumque, ubi quidem opus esset, emendatum, neque nisi brevissimis Notis instructum, hoc scilicet consilio, ut quodammodo explorarem Virorum eruditorum de meo instituto judicia; itemque ut amplius

ad me sit allatum, cum jam in cap. LXV. illustrando versarer; antecedentes tamen ejus lectiones in 'Supplementa Notarum quarundam et Variarum Lectionum' conjeci.

Codex Ms. Salisburgensis, item membranaceus; cui in eodem volumine præmissæ sunt priores novem libri Epistolarum Plinii. Hic vero codex non quidem a primo librario, sed ab alio, cum alio codice collatus est; cum frequenter in margine annotatum sit, al. aliter legere. Quidam recentiore manu, et rubro quidem colore, in calce libri ascripsit: 'Budæ 1464. Maii 13.' et puto, hunc ipsum, quisquis fuerit, plures variantes lectiones ex alio codice margini Panegyrici allevisse. Appicta etiam sunt alicujus possessoris insignia, quorum scutum transversum in duas æquales partes dissectum est: in cujus superiore parte, argento tincta, Leo ruber graditur; in parte inferiore, eaque cœrulea, conspicitur lilium candidum, inter duas stellas aureas. Cui genti hæc insignia fuerint propria, mihi non constat. Ceterum, codicis hujus in museo meo per tres menses perlustrandi describendique copia mihi facta est ex singulari indultu et gratia Reverendissimi quondam Celsissimique Archiepiscopi Salisburgensis et S. R. I. Principis, Leopoldi Antonii Eleutherii, conciliantibus quidem Viris illustribus, Francisco Josepho, et Francisco Christophero, Herziis de Herzfeld, Patre et Filio, utrisque Consiliariis Aulicis, et in inclyta Academia Salisburgensi Antecessoribus celeberrimis; quibus pro tam insigni benevolentia gratias, quas possum, maximas nunc ago, perpetuoque habebo.

Codex Ms. Guelpherbytanus, isque chartaceus, qui asservatur in Serenissimi Ducis Brunosvico-Guelpherbytani Bibliotheca principali, in quam ex Gudii libris pervenit. Hujus lectiones variantes accuratissime descriptas, et in exemplar editionis Kirchmaierianæ relatas, refero acceptas singulari humanitati Jacobi Burckhardi, illustris Consiliarii Serenissimi Ducis, et Bibliothecæ Præfecti; cujus jam majora in rem literariam extant merita, quam ut a me digne possint collaudari. Mire conspirat hic codex in plurimis cum codice Vaticano n. 3461. Fallitur vero Cl. Longolius, qui in notis ad Epist. Plinii, a Cortio editas, pag. 754. et 815. hunc codicem vocat membranaceum.

Codex Schwarzianus, forma quarti ordinis, isque ante quatuor, ut puto, sæcula manu nitide in membranis scriptus; qui, præter Panegyricum Plinii, ceteros quoque, quos adhuc superstites habemus, Veterum Panegyricos Latinos, ac præterea Oratiunculam Metii Voconii, Tacito Augusto dictam, complectitur; quem codicem mihi comparavi e Bibliotheca B. T. W. Antistitis Norimbergensium quondam optime meriti. Hic codex in plurimis convenit cum codice Salisburgensi; nisi quod hujus correctione destituatur.

Liber Vossianus, sive Excerpta

indagarem an non alicubi lateant vetustiores hujus operis codices. Sed, ecce, dum hæc meditor agoque, consilium meum præoccupavit Vir celeberrimus, Jo. Matthias Gesnerus, cujus excellens doctrina non Gottingæ tantum, sed et universæ reipublicæ literariæ, lumen non mediocre affert. Is nimirum non solum anno MDCCXXXV. Plinii Panegyricum, tum aliunde, tum, ut titulus libri præfert, ex meis Observationibus emendatum; sed et posthæc anno MDCCXXXIX. Epistolis Plinianis adjectum, perpetuisque Annotationibus explicatum, edidit. Haud tamen illud institutum mihi ingratum accidere potuit, cum Vir doctissimus, cujus unius judicium mihi loco plurium esse potest, re ipsa præstiterit, quod ego quærebam. Quamobrem jam

Vossiana. Nempe Plinii Panegyricus, et ad eum Justi Lipsii commentarius, excusus in 12. Trajecti ad Rhenum; e Bibliotheca Isaaci Vossii in Bibliothecam publicam Lugdunensem translatus, teste Catalogo hujus Lugdun. Bibliothecæ, pag. 255. in quod exemplar Vossius ex variis codicibus Mss. lectiones variantes retulit. Neque enim eæ ex unico codice Ms. depromtæ fuere; cum aliquoties ibi designetur, V. C. id est, Codex vetus; aliquando, Codex recentior; nonnunquam, Codex Elsb. nescio, cujus Bibliothecæ. Posthæc deprehendi Vossium plurimas varietates ex Codice Patavino suis Excerptis intulisse. Sed et quædam emendationes e conjectura annotatæ videntur. Cujus exemplum dedi ad c. XXIX. Non minus vero de ipso Plinio, quam de me, bene meritus est, qui, dum in Batavis degit, mea causa varietates libri Vossiani summo studio descripsit, Vir et medendi scientia atque usu, et egregiis literarum elegantiorum meritis, nobilissimus, D. Georgius Leonhardus Huthius, nunc Physicus illustris Reipublicæ Norimbergensis bene meritissimus.

Liber primus Gudianus. Ita voco exemplar Epistolarum et Panegyrici Plinii, ceterorumque Panegyricorum Latinorum, excusum ab Henrico Stephano, anno MDXCI. in 12. quod quondam fuit in Bibliotheca Marquardi Gudii; et cujus margini vel ipse Gudius, vel alius Vir doctus, varias quasdam lectiones ascripsit; quarum plurimæ e Cuspiniani editione petitæ videntur.

Liber II. Gudianus, h. e. exemplar XII. Panegyricorum Veterum, qua editionem, qua scripturam, emendatorum et auctorum; nuper quidem ope Jo. Livineii; nunc vero opera Jani Gruteri, &c. Francofurti MDCVII. in 12. Huic exemplari Gudius, vel alius Vir eruditus, ascripsit variantes lectiones, quæ maxime consentiunt cum lectionibus codicis Guelpherbytani, ita, ut istæ, si perpaucas excipias voces, ex hoc ipso fonte fluxisse videantur. Utrumque autem librum Gudianum, primum, et alterum, e Bibliotheca Gudiana redemtum, mecum humanissime communicavit Vir de re literaria optime meritus, Jo. Albertus Fabricius, cujus piis Manibus etiamnum animum gratum testor. Vide ejus Volumen alterum Bibliothecæ Latinæ, pag. 769.

omnem cogitationem mentemque convertebam ad pleniorem commentarium conficiendum, quo Plinius, quantum fieri posset, et illustraretur, et pristinæ restitueretur integritati. Pro more meo, quem ipse non satis probo, cum, si quam conscripsi plagulam, illico typis exscribendam trado typographis, ut cetera, quæ sequuntur, non nisi sub ipso prelo nata esse videantur; jam tum etiam aliquot plagulas Bibliopolæ Norimbergensium honestissimo, Joanni Georgio Lochnero, transmiseram; quæ cum jam excusæ essent, a. MDCCXXXVIII. Amstelodamo huc affertur nitidissima Panegyrici Pliniani editio, cum integris pariter ac selectis Virorum eruditorum Notis, curante quidem V. C. Joanne Arntzenio, qui et suas adjecit Annotationes. Jam actum de meo commentario videbatur: quid enim ego aliud, aut melius, afferre possim, quam Vir hic doctissimus, qui jam de aliis scriptoribus antiquis illustrandis bene præclareque meruit; qui Observationes meas, quas, uti supra dixi, ad instar Disputationum Academicarum prodideram, non indignas judicavit, quas operi suo integras insereret; quamvis ipse unam duntaxat earum partem, haud eo fine, ei transmisissem; cui denique nec subsidia veterum quorundam exemplarium, typis exscriptorum, et Excerptorum Vossianorum, codicisque Guelpherbytani, lectiones variantes, quibus et ipse usus sum, non defuere, ut ita, si etiam absque meis Observationibus fuisset, in easdem quasdam emendationes potuisset incidere? Quod si adeo per me stetisset, nec Bibliopola, haud leve sibi damnum inde datum iri, causatus esset; facile abjecturus fuissem consilium continuandæ perficiendæque hujus Editionis, haud ægre permissurus, ut plagulæ jam excusæ thuris piperisque cucullis inservirent. Et sane lente frigideque ab illo tempore processit opus, ita ut semel iterumque per integros annos aliis negotiis laboribusque istud interpellaretur, usque dum per hoc demum proximum biennium cœperit urgeri, jamque ad finem perductum luci publicæ exponatur. Quid vero in hac Editione præstiterim, aliorum est judicare; non meum commendare. Id unum, citra jactantiæ

notam, credo affirmari a me posse, me in conferendis tot codicibus Mss. librisque excusis, operosissimum laborem sustinuisse. Quam pauci autem editores antehac de conferendis Mss. soliciti fuere, aut conferendorum habuere occasionem? Cum vero hic Panegyricus frequenter in Gymnasiis Academiisque explicetur, id potissimum consilium secutus sum, ut moderatioris critices specimen juventuti studiosæ darem. Itaque non facile aliquid mutare ausus sum, nisi ubi vel ipsa sententiæ constituendæ necessitas, vel manifesta antiquioris lectionis indicia, me ad audendum quasi ultro deducerent. Immo prope abest, quin ipse fatear, me in locis quibusdam mutandis fere nimis religiosum, aut, si mavis, superstitiosum fuisse. Vix enim puto, me jure potuisse argui temeritatis, si e. g. XX. 4. pro *exerceret*, reposuissem *exercitus;* XXIII. 2. pro *astaret*, admisissem *artaret*, sive *arctaret*. Si quas vero vulgares lectiones mutandas corrigendasque censui, id ipsum quodam characterum discrimine indicavi, ut meam correctionem ad aliorum referrem judicium, usque dum dies certiora proferat, vel nostras confirmet conjecturas. Quomodo autem iniquo feram animo, si alii a me dissenserint; cum et ego ab aliis, modeste tamen, et prout humanitatis professorem decet, immo aliquando et a me ipso, dissentiam? Equidem et hoc prævideo, me facile nonnullis visum iri haud pauca attulisse supervacua, inprimisque lectiones variantes aliquando nimium cumulasse. At hi sciant, me hoc instituto potissimum juniorum studiis consulere voluisse, ut causas et origines tot corruptelarum in bonis scriptoribus obviarum agnoscant, et interdum ex his ipsis corruptelis verioris lectionis vestigia indagare discant. Aliqua, fateor, in Notis et Observationibus addidi, quæ Viri eruditi, qui ipsi multiplici rerum scientia, librorumque supellectile, abundant, fortasse non requirant: sed novi, etiam esse lectores, qui talia non semper in promtu habeant, quorumque rationes non ferant, ut e multis libris conquirant ea, quæ ad explicandas antiquitates, verasque vocum significationes, faciunt. Ut vero ii, quibus hac Editione uti placuerit, velut

plenum penus commentationum ante oculos habeant, optimorum quorumque commentatorum Notas integras, easque in ordinem certum redactas, in Appendicem hujus libri conjiciendas curavi: cur vero Catanæi et Baudii Annotationes copiosas prætermiserim, harum rerum intelligentibus non certe nullam rationem habuisse videbor: quanquam excerptas quasdam meis Notis, non quidem sine debito indicio, inseruerim. Ad extremum mihi in mentem venit, etiam plures nummos veteres, qui ad quædam Panegyrici Pliniani loca illustranda, et ad supplendam firmandamque Trajani Imperatoris historiam faciant, huic commentario addere, seu potius præmittere; quos nummos, quod vix in ista cunctatione credas, præpropera quadam festinatione exposui, ratus, ne sic quidem me hominibus harum rerum curiosis operam, vel inutilem, vel injucundam, præstaturum esse. Quanquam ceteroqui nihil sciens prudensque prætermiserim, quod emendando, et enucleando, illustrandoque tam egregio eloquentiæ Romanæ monumento quoquo modo conducere queat; haud tamen infitior, superesse adhuc loca, quæ majore medela et illustratione indigeant. Inter ejus generis loca refero, LII. 1. LVI. 7. LXVIII. 7. LXXI. 6. LXXIII. 5. 6. LXXVI. 2. LXXXII. 5. LXXXIII. 5. LXXXV. 5. LXXXVIII. 3. XC. 6. in quibus locis luculentius explanandis excitatiora ingenia facile invenient, quo se exerceant. Utinam vero tandem vetustior et integrior quidam codex Ms. in lucem proferatur! omnes enim isti libri, quibus uti mihi datum fuit, non sufficiunt his locis explanandis, et extra omnem dubitationem collocandis: alius quidem alio vel melior, vel corruptior, apparet; nihil tamen ambigo, omnes istos codices jam ante plura sæcula ex fonte quodam inquinato dimanasse, cum in unam alteramve corruptelam manifestam conspirent. Mihi satis est, ingeniis acutioribus, et meliore subsidiorum copia instructis, saltem occasionem dedisse, ut hujusmodi locis majus certiusque lumen afferant.

DE

PANEGYRICI PLINIANI

VIRTUTIBUS ET VITIIS DISPUTATIO.

[EX EDIT. G. E. GIERIG, LIPSIÆ 1796.]

Quanquam in animadversionibus nostris, quibus qualicumque opera nostra Plinii Orationem Panegyricam vel recensere, vel illustrare conati sumus, id quoque constanter egimus, ut de virtutibus cujusque loci et vitiis studiosos admoneremus; non tamen supervacaneam suscipere nobis videmur operam, si in fronte Editionis nostræ universe nonnulla de hujus orationis ingenio et natura disputamus. Si quis enim, longiora inprimis, nec levi momento æstimanda, ingenii opera cum fructu cognoscere vult, non satis ei sit, in ipso lectionis decursu singulorum locorum rationem ad leges bene dicendi examinasse; sed, finita totius operis lectione, primum sub certa capita redigat ea, quibus placet scriptor, quibus non; tum partes inter se comparet, videatque, an operis summa felix sit: atque ita demum, perorata veluti omni causa, de auctore suo, tanquam judex severus, pronuntiet. In aureis itaque illis præceptis, quibus studiosorum lectionem Quintilianus (Inst. x. 1.) instruit et adjuvat, ponitur et hoc: 'Non per partes modo scrutanda omnia, sed perlectum librum utique ex integro resumendum:' eamque industriam oratoribus inprimis contendit esse adhibendam. Nec aliter Plinius ipse, magistri sui haud dubie disciplina admonitus, et sensit, et opera sua examinari voluit. Cum enim Pompeio Saturnino (Ep. I. 8.) orationem quandam, curatius a se elaboratam, mitteret

recensendam, rogat amicum, ut non minus universitati ejus attendat, quam particulas singulas lima persequatur. Atque illa examinandi cura et diligentia haud scio, an in hac, quam tractavimus, oratione apprime sit necessaria; in qua multa bona cum totidem fere vitiis confligunt; ita quidem, ut hinc veritas, illinc adulatio, hinc judicii severitas, illinc argutiarum ineptiarumque studium, hinc simplex orationis color, illinc affectata ornandi ambitio, lectoris animum in diversum trahant, eumque vicissim nunc captum teneant, nunc nauseantem fatigent; luminaque illa, quæ per eam sparsa splendent, maculis non paucis pæne obscurentur. Et videre licet, varias omni tempore fuisse, atque discrepantes Virorum doctorum de Plinii scriptis sententias. Cum enim Baco Verulamius (de Augm. Scient. lib. VI. extr.) non nisi mediocribus ingeniis stylum ejus gratum esse pronuntiasset; inter Francogallos extitere, qui, discessione in partes contrarias facta, Ciceroni adeo eum anteponere non dubitarent. De meo labore spondere equidem possum, cum in Notis conscribendis, tum in Disputatione hac concinnanda, liberum me ab omni affectione, opinionibusque ante captis, nec virtutes ejus celare voluisse, nec vitia intacta relinquere. Nescio enim, qui fiat, ut multi Interpretes auctorem eum, quem, Notarum suarum limbo prætextum, lectoribus æquis commendant, cæco fere amore et indigno amplectantur. Ipse Gesnerus, qui Vir et quantus! ad XL. 3. ubi Plinius in manifesto delicto deprehenditur, 'pro meo,' inquit, 'in Plinium amore auro redemerim, hæc ab illo non esse scripta.' Qui eo in auctorem suum amore calet, is parum morosus erit in vitiis ejus indagandis; sed parentum potius Romanorum indulgentiam imitabitur, qui, auctore Horatio, filium strabonem Pætum, illum autem distortis cruribus Varum balbutiebant. Verum in dijudicandis auctoribus, qui adolescentulis, literarum antiquarum studia æmulantibus, ad imitandum proponuntur, minus urbani esse velimus, quam in moribus eorum, quibuscum vivimus, notandis; immo in vitiis eorum æque acutum cernamus, ac in virtutibus.

Eam igitur, de qua hic agimus, Orationem C. Plinius Cæcilius Secundus A. C. 100.[a] ætatis 39. imperii Trajani 3. habuit, cum Cos. suffectus Kalendis Septembribus una cum Sp. Cornuto Tertullo munus adiret. Mos enim apud Romanos mature invaluerat, haud dubie sub ipso jam Augusto, ut novus Consul eo ipso die, quo munus iniret, suo nomine Principi gratias ageret. Sed postea SCto sancitum erat, ut id fieret jussu potius Senatus et auctoritate Reipublicæ (IV. 1.); quo facto privata gratiarum actio in finem talis orationis rejecta est. Huic igitur SCto satisfecit etiam Plinius 'ad rationem loci et temporis,' (Ep. III. 18.) h. e. breviter. Verum postea 'bono civi convenientissimum' credidit, 'eadem illa spatiosius et uberius volumine amplecti.' Absolutum opus, ex more illorum temporum, amicis convocatis recitavit; et apparet magnam ejus expectationem tenuisse amicos, magnam etiam eosdem inde voluptatem percepisse. Cum enim rarissime illis temporibus Romæ vacaret, aut commodum esset, audire recitantem, illi tamen, fœdissimis adeo tempestatibus, per biduum convenerunt; cumque modestia Plinii finem facere vellet, ut tertium diem adjiceret, exegerunt. Neque satis habuit cœtui amicorum promiscuo eam recitasse; sed Viris etiam doctis, judicibusque harum rerum selectis exemplum ejus misit, his additis precibus, ut annotarent, quæ putaverint corrigenda. In iis judicibus fuit Voconius Romanus, (Ep. III. 13.) cui, Plinio quidem judice, mira in sermone suavitas, ingenium excelsum, subtile, dulce; cujus Epistolas ipsæ Musæ dictasse credebantur, (Ep. X. 3.) Verum an illi ea subtilitate, eaque libertate, qua in recensendis amicorum carminibus Quintilium Varum scimus usum esse, Plinianum opus castigaverint, dubitem. Plura

[a] In annum illum ipse Trajanus tertio Cos. factus collegam sibi fecit in primos duos menses M. Cornel. Frontonem, tert. Cos. et ex Kalend. Mart. Sext. Pomponium, tert. Cos. Ex Kalend. Septembr. noster Plinius et Sp. Corn. Tertullus suffecti sunt; ex Kal. Novembr. autem Julius Ferox et Acutius Nerva. Sic Fasti ab Almeloveenio editi ad a. 852. In nominibus tamen illis nonnulla mutanda censet Schwarz. ad Paneg. c. 20. et 61.

enim profecto jussissent loca male tornata incudi reddere. Putem potius, corrupta illius sæculi eloquentia, Voconiis eadem probata esse, quæ Plinio; eadem certe gustui illorum temporum communi danda esse eos existimasse.

Consilium autem, quod in elaboranda edendaque hac Oratione secutus sit, Noster ipse indicat (Ep. III. 18.) loco a verborum elegantia, sententiarumque veritate præclaro. 'Primum ut Imperatori nostro virtutes suæ veris laudibus commendarentur; deinde ut futuri Principes, non quasi a magistro, sed tamen sub exemplo præmonerentur, qua potissimum via possent ad eandem gloriam niti. Nam præcipere, qualis esse debeat princeps, pulchrum quidem, sed onerosum ac prope superbum est: laudare vero optimum Principem, ac per hoc posteris, velut e specula lumen, quod sequantur, ostendere, idem utilitatis habet, arrogantiæ nihil.' Quod utrumque consilium laude est dignissimum. Debent enim hoc liberi parentibus, cives principi, ut agnoscere se magnitudinem et multitudinem beneficiorum sibi tributorum profiteantur. Ita enim illi et curarum suarum fructum ferunt, jucundissimum illum etiam animis ab omni vanitate alienis, et nova inde momenta accipiunt, quo majore in posterum studio suorum saluti consulant. Neque id a quoquam rectius fieri potest, quam ab eo, qui facundia æquales antecellit, ne res insignes dicendo sordescant verius, quam illustrentur. Unum modo illud talis orator teneat, ut a turpi sibi adulationis crimine caveat, qua multiplex damnum infertur et Principi et Reipublicæ. Neque erat, cur quis adularetur Trajano, cujus vita, mores, et instituta latissimum vere et cum fide laudandi campum præsternebant. 'Adeo enim,' judice Eutropio VIII. 2. 'in eo gloria bonitatis obtinuit, ut vel assentantibus, vel vere laudantibus occasionem magnificentissimi præstet exempli.' Neque alterum consilium non potest non probari. Si enim Xenophonti laudi ducitur, quod Cyri historiam ad exemplum perfecti imperii finxit; non minore in honore ponatur is, qui veris optimi Principis laudibus extollendis idem consilium spectavit. Atque id commodi magis etiam ab oratore expectes, quam

a rerum scriptore. Ille enim non narrat, quid gestum sit, sed cujusvis rei gestæ, cujusvis virtutis præstantiam et saluberrimos effectus omni ex parte amplificat, omnibus eloquentiæ illecebris ornat et commendat, ut nemo facile tam durus sit et lentus, quin amore ejus captus trahatur. Et Romanis quidem, qui per maximum integri sæculi spatium sub sævissimorum tyrannorum superbia et crudelitate gemuerant, tale exemplum, futuris principibus ingenii copia commendatum, tale lumen e specula veluti iisdem propositum, inprimis gratum esse debebat. Verendum enim erat, ne posterioribus quoque temporibus imperium ad se raperent, qui putarent, posse se Tiberii, Neronis, Domitiani vestigia premere: quos deterrere a furore suo poterant Trajani laudes, inter Domitiani execrationes ipsis quoque ad æmulandum commendatæ. Moris igitur et auctoritatis necessitas Plinium jussit hanc orationem breviter habere: sed gratus animus, studiumque prospiciendi posterorum saluti, quæ Principum moribus nititur, eum impulit, ut uberius elaboratam futuris sæculis traderet. Reverendum igitur illud, hoc utroque saltem nomine, opus, per tot sæcula ad nos propagatum, grati accipiamus, idemque, nisi curis nostris emendatius redditum, certe incorrupte conservatum, minoribus nostris relinquamus.

Prius vero quam nostrum qualecumque de hac Oratione judicium in medium afferamus, non alienum fuerit, quid ipse ejus auctor de ea judicaverit, quidque in ea æstimanda potissimum spectari voluerit, cognoscere. 'In hoc,' Romano suo scribit, 'consideres velim ut pulchritudinem materiæ, ita difficultatem. In ceteris enim lectorem novitas ipsa intentum habet: in hoc nota, vulgata dicta sunt omnia: quo fit, ut quasi otiosus (non intentus novis rebus cognoscendis) securusque (non curans res, quæ tractantur, quippe sibi notas) lector tantum elocutioni vacet; in qua satisfacere difficilius est, cum sola æstimetur.' Merito laudat pulchritudinem materiæ. Quid enim pulchrius optimo Principe, quem Trajanum fuisse, omnia, quæ restant, literarum monumenta testantur? Quid pulchrius, quam virtutes illas imperato-

rias, tot civibus et sociis salutares, ingenii flumine ornatas spectare? Et quam pulchra putemus illa Romanis visa esse, qui ex sævissimi leonis unguibus modo liberati, ipsi virtutes illas experiebantur sibi salutares? Sed quod de difficultate addit, id de suo tantum tempore valet. Hodie enim tantum abest, ut omnia Trajani de imperio merita nota sint et vulgata, ut doleamus, pauca eorum monumenta restare, gaudeamusque primorum saltem duorum annorum res gestas, item ingenii animique virtutes, a Plinio oratione esse comprehensas. Hinc fit, ut hodie ei, ab hac quidem parte, aliquid commodi accrescat, nec elocutioni tantum vacet lector, sed etiam materiæ. In pulchra autem illa materia tractanda judicium se et sensum, non aureæ ætatis, sed, quod doleas, sui sæculi secutum esse, ipse non diffitetur; veniam sibi parans inde, quod omnes, qui placendi causa scribant, qualia placere viderint, sectentur. Confidit tamen 'in hoc genere materiæ lætioris styli constare rationem.' 'Lætum' dicendi genus, quod a Cicerone etiam 'nitidum' vocatur, et, quod nostratium quoque usus frequentat, 'floridum,' omnibus verborum sententiarumque leporibus abundat. Cum autem scribit, 'in hoc genere materiæ lætioris styli rationem constare,' hoc sibi vult: licere in Oratione Panegyrica illo florido dicendi genere uti. Neque a vero aberravit hoc ejus judicium. Est enim illa e genere ἐπιδεικτικῷ, in quo regnat medium, sive moderatum dicendi genus, de quo Cicero Or. n. 96. 'Est quoddam etiam insigne et florens orationis, pictum et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. Hoc totum e sophistarum fontibus defluxit in forum, sed spretum a subtilibus' (qui tenui dicendi genere utuntur), 'repulsum a gravibus' (quorum orationes e genere vehemente sunt), 'in ea, de qua loquor, mediocritate subsedit.' Non igitur vituperabimus Nostrum, quod eo dicendi genere usus sit; immo, vel gravissima Ciceronis auctoritate freti, fateamur, suo ex decoro cultu eum materiam suam vestire voluisse: modo decorum illud, illud lætum dicendi genus, non ex corrupto æqualium suorum sensu, sed e rectis probatissimorum, quos

bene noverat, scriptorum exemplis judicasset et petiisset; nec, cum lætus esse vellet, etiam nugatus passim esset, et argutatus. Verum de æqualium suorum applausu solicitus veretur etiam, ne ea potius, quæ 'pressius et astrictius,' quam illa, quæ 'hilarius' et 'quasi exultantius' scripserit, 'arcessita' videantur et 'inducta.' 'Pressa' est oratio, cum 'pressis,' i. e. resectis omnibus ornamentis et supervacaneis, soli brevitati et perspicuitati studetur. V. Cic. Or. II. 23. ubi et 'astricta' oratio, i. e. concisa, breviter percurrens argumentum sine copia oratoria et ornamentis. 'Exultans' oratio in vitio ponitur, quia intra justos limites non manet. Hinc Quintil. X. 4. init. jubet 'coërcere exultantia,' et Auct. Dial. de Orat. cap. 18. conjungit 'exultans' et 'superfluens.' Sed hic præmittitur 'quasi,' et intelligitur copiosa oratio, qualem animus lætitia commotus suppeditat. 'Arcessita' et 'inducta,' quæ non ad rem pertinent, non ad eam, quam fingimus, orationis formam. Hæc de genere, quo Noster usus est, universo. In altera Epistola III. 13. etiam quomodo partes Orationis suæ examinari a lectoribus velit, indicat. 'Utinam,' inquit, 'ordo saltem, et transitus et figuræ simul spectarentur! Nam invenire præclare, enuntiare magnifice, interdum etiam barbari solent: disponere apte, figurare varie, nisi eruditis, negatum est. Nec vero affectanda sunt semper elata et excelsa. Nam, ut in pictura lumen non alia res magis, quam umbra commendat, ita orationem tam summittere, quam attollere decet.' Nempe tria oratori videnda sunt: quid dicat ('inventio'); quo quidque loco dicat ('dispositio,' unde 'ordo' existit); et quomodo dicat ('elocutio' s. 'enuntiatio'). 'Inventionem' et 'dispositionem' prudentis hominis esse existimat Cic. Or. 14. 'elocutionem' oratoris. Quintilianus VIII. 3. 2. 'inventionem' cum imperitis sæpe communem, 'dispositionem' modicæ doctrinæ, 'elocutionis' vero rationem difficillimam artis rhetoricæ partem esse judicat. Noster autem, suum ex parte judicium secutus, inventionem præclaram atque elocutionem magnificam etiam 'barbaris' concedit, h. e. hominibus indoctis, in schola non exercitatis; ideo-

que eos opponit 'eruditis.' Etiam apud Cic. Or. I. 118. ita 'barbaria forensis.' Ex 'ordine' s. 'dispositione,' qua cuique rei locus assignatur is, ubi pro consilio dicentis maxime persuadet aut delectat, ubi facillime memoria tenetur, aut cum aliis coalescit, elucet oratoris judicium. Tum 'transiri' debet ab uno argumento ad alterum. Quæ si singula commode, scite, venuste conjunguntur, ut omnia ex se apta et naturali quodam ordine nexa reperiantur, ut oratio membrorum corporis compages et juncturam æmuletur; multum inde perspicuitatis et suavitatis accedit orationi. Dignum ergo 'transitum' judicat Sulzerus in Theoria Artium s. v. Uebergang, qui recipiatur in numerum figurarum; unde tamen eum eximit Quintilianus IX. 3. 61. 'Figuras' omnes artifices annumerant elocutioni; Noster inde seponit. 'Elata' et 'excelsa' movent quidem animum, sed et facile satietatem afferunt. Recte igitur dicendi artes cum in aliis rebus, tum in 'umbra' admiscenda, picturam sequuntur. Nonnulla enim tenuiter et subtiliter tractanda sunt, quo magis reliqua feriant animum. Cicero Or. III. 101. 'Habeat illa in dicendo admiratio, et summa laus umbram aliquam et recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, extare atque eminere videatur.' His igitur non temere, ut speramus, præmissis, jam ad excutiendam orationem ipsam, Pliniique ingenium inspiciendum prævertamur.

Campus, in quem excurreret oratoris ad dicendum se componentis ingenium, magna erat rerum virtutumque copia, quæ vitam Trajani anteactam ornabant, civibusque Romanis et sociis tam amabilem, quam salutarem reddebant. Eas animo contuentem et complectentem decebat primum non solum ordine, sed et momento quodam et judicio dispensare, sciteque inter se connectere; tum amplificare dicendo, ut, quæ cujusque vis esset, appareret, denique tot elocutionis illecebris, quot huic dicendi generi concessæ sunt, variare et illuminare. De his singulis age jam separatim videamus. Ac primum quidem laudandorum hominum duplex est ratio; ut pluribus ostendit Quintilianus Inst. III. 7. Possunt enim eorum res secundum

temporis seriem amplificari; sed potest etiam in species virtutum laus eorum dividi, ut de justitia, fortitudine, continentia, aliisque virtutibus dicatur, singulisque assignentur, quæ secundum quamque gesta sint. Utra ratio quovis loco et tempore utilior sit, deliberandum est oratori. Priorem historici fere sequuntur; quanquam nec hi semper. Suetonius quidem Aug. cap. 9. 'Proposita,' inquit, 'vitæ ejus velut summa, partes singulatim, neque per tempora, sed per species exequar, quo distinctius demonstrari cognoscique possint.' Ex posteriore ratione Pompeium laudat Cicero pro Lege Manilia, eique scientiam rei militaris, tum virtutem, porro auctoritatem, denique felicitatem inesse, ex rebus ab ipso gestis docet. Jam cum Plinio propositum esset, ut ipse LVI. 1. diserte monet, 'Principem laudare, non Principis facta,' hoc est, non tantum ostendere, laudabilia nonnulla eum fecisse, qualia mali etiam Principes faciunt, qualibus ne Tiberii quidem, Caligulæ et Domitiani vitæ carent, sed totum ejus animum esse optimum, virtutibusque vere imperatoriis imbutum; aptior fuisse videtur posterior ratio; eademque melius etiam conveniret Summæ laudum orationi præmissæ, qua orator urget hoc, summam esse Trajano virtutum omnium concordiam. Ea enim concordia melius, puto, illustrata esset, Principis laudibus secundum virtutum genera propositis. Verum ita res Trajani, quæ singulæ fere omnes plures virtutes ostentant, vix omni ex parte spectandas proponere potuisset, nisi sæpius, non sine lectoris molestia, ad eandem rem revolvi voluisset. Neque tamen ei placuit, ex more historicorum, aut ad Isocratis exemplum in laudando Evagora, Principis sui vitam extollere; sed partim temporis rationem habuit, partim sub certa capita redegit, quæ ipsi viderentur laudanda. Itaque privatas res a publicis, a seriis negotiis remissiones separatas in finem orationis rejecit, factisque et decretis subjecit notationem morum. Neque a natalibus et pueritia Trajani exorsus est, sed ab eo tempore, quo a Nerva filius, socius atque successor imperii assumtus erat. Quæ vero ex vita superiore in hono-

rem ejus cedebant, ea commode suo loco inseruit, ubi de virtutibus bellicis dicendum erat, quibus Trajanus puer, tribunus, legatus magnam sibi pepererat gloriam, qua, suscepto deinde imperio, tantum hostibus incutiebat terrorem metumque, ut pacem illi et colerent et peterent. Etiam alibi res similes conjunxit, ut lector facile, nullo saltu facto, ab una ducatur ad alteram. Verum tota illa ratio optime cognoscetur ex hac tabula. Tractantur nempe:

I. Quæ ante Trajani imperium Romæ administratum facta sunt, cap. V-XXIV. quo pertinet

1. Electio, quæ ipsi multis nominibus gloriam afferebat, cap. V-X.

2. Pietas in Nervam, cui ex more quidem, ceterum optima mente divinos honores decrevit, cap. XI.

3. Virtutes bellicæ, quarum gloria hostes terrebat, cap. XII-XVIII.

4. Reverentia legatorum, cap. XIX.

5. Ingressus in urbem, cap. XX-XXIV.

II. Vita ejus post reditum.

I. Publica, cap. XXV-LXXXII.

1. Instituta et decreta, cap. XXV-XLIII. Initia imperii commendavit congiario et donativo, quorum altero populum, altero milites locupletavit, cap. XXV-XXVIII. Annonam curavit non magis Romæ, quam in provinciis, in Ægypto inprimis, cap. XXIX-XXXII. Populum oblectavit spectaculis, cap. XXXIII. et suppliciis delatorum, cap. XXXIV-XXXV. Lites circa ærarium et fiscum coërcuit, cap. XXXVI. Vicesimæ onus magis etiam minuit, quam Nerva, cap. XXXVII-XL. Majestatis crimen, quod et ipsum fiscum et ærarium locupletabat, penitus sustulit, cap. XLII. Testamenta secura esse jussit, cap. XLIII.

2. Mores et animus in vita publica. Amat et provehit bonos, cap. XLIV-XLVI. Amat bonas literas, earumque doctores. Facile omnium ordinum homines admittit, atque etiam remissionibus suis freqüenter interesse jubet, cap. XLVII-XLIX. Justitiam colit, nemini suum eripiens, et liberalitatem, multa ex patrimonio suo donans, cap. L. In ædificando privatim parcus reperitur, sed idem in publicum

magnificus, cap. LI. Parcus etiam est in honoribus recipiendis; adulantium voces spernit, ludicras artes a sui cultu removet, caducos titulos deprecatur, quia scit, ubi vera sit gloria, cap. LII-LV. Sed inprimis copiosus est in moribus amplificandis, quos Trajanus in secundo et tertio consulatu exhibuerat, cap. LVI-LXXX.

3. Remissiones, quibus negotia publica subinde interrumpit, quæ nil nisi mutationem laboris habent, cap. LXXXI-LXXXIII.

II. Privata. Uxorem et sororem ad suos mores conformavit, cap. LXXXIII-LXXXIV. Amicitiam sanctissime colit, cap. LXXXV-LXXXVII. Libertis justum honorem habet, cap. LXXXVIII.

Differt igitur hæc ratio tam ab Isocratica, quam a Ciceroniana; neque eam improbandam esse puto, licet non definire ausim, an non res Trajani melius ordinari potuerint. Ipsum sibi hoc ordine placuisse, apparet inde, quod ad eum inprimis, ut supra vidimus, lectorem attendere jubet. Orationi ipsi merito, et natura sic suadente, præmissa est cap. IV. Summa laudum, qua, tanquam fundamento suo, omnis nititur oratio. Ubi enim laudare volumus hominem aliquem, primum universe affirmamus, eum esse virum longe excellentissimum; posthæc confirmamus hoc nostrum de eo judicium, virtutibus ejus recensendis et comprobandis.

Alterum, quod in examinanda hac oratione spectari ejus auctor voluit, transitus sunt. Sane in transeundo ab una parte ad alteram non raro proditur ingenium vel oratoris, vel poëtæ; nec minimæ laudi Ovidio ducitur, quod in amplissimo Metamorphoseon opere tot fabulas scite et callide transeundo in unius corporis speciem conjunxit. Neque negari potest, commode plerumque Nostrum partes singulas commiscuisse; id quod facile apparebit lectori attento. Postquam cap. IV. summatim Trajani virtutes descripserat, ad electionem commode transit his verbis: 'Talem esse oportuit, quem non bella civilia, nec armis oppressa respublica, sed pax, et adoptio, et tandem exorata terris numina, dedissent;' qua sententia mirifice statim ab initio

Romanis commendat electionem Principis. Ubi cap. x. extr. dixerat, Nervam electo sibi socio terras reliquisse, pergit cap. xi. 'Quem tu lacrymis primum, mox templis honestasti;' atque ita bene nos ducit ad apotheosin Nervæ. Sed cap. xi. 4. ad virtutes Trajani bellicas progressurum defecit, ut jam in notis ad h. l. monui, ingenii fœcunditas. Fingit enim, desidiam imperatorum, quæ fecerit, ut Romani exercitus ab hostibus vincerentur, natam esse ex ipsorum arrogantia, hanc autem ex antecessorum suorum divinitate; quod paulo altius repetitum est, quam ut placere lectori possit. Ad ingressum in urbem cap. xx. sine ambagibus eum ducit ipsa rerum series. Absoluta prima orationis parte, cap. xxv. non male interrumpit paululum orationis filum, nova quasi præfatiuncula texenda. Bene a congiario ad curam annonæ, cap. xxix. transit hac sententia: 'Instar ego perpetui congiarii reor affluentiam annonæ.' Neque cap. xxxiii. vinculum illud, 'Satisfactum qua civium, qua sociorum utilitatibus. Visum est spectaculum inde,' &c. displicere lectori potest, quo simul laus Trajani continetur, qui post utilitates demum promotas ad oblectandum ex more populum converterit animum. Spectaculis cap. xxxiv. nullo saltu facto, subjungit delatorum supplicia, quæ et ipsa Romanis erant spectaculum gratissimum, præsertim cum illi per amphitheatrum ducerentur, ubi Domitianus antea e spectatoribus innocentibus spectacula fecerat. A delatoribus, qui ærarium locupletabant, punitis, pergit cap. xxxvi. 4. ad procuratores fisci coërcitos, objectionis munere: 'At fortasse non eadem severitate fiscum, qua ærarium, cohibes:' quemadmodum cap. xlix. 4. interrogatione eodem consilio utitur: 'Num autem serias tantum partes dierum in oculis nostris consumis? non remissionibus tuis,' &c. Cap. xviii. breviore formula defungitur: 'Aliud ex alio mihi occurrit;' sed interdum pluribus præparat lectorem ad sequentia, et per ambages sibi munit viam, ut cap. xliv. ubi lector vix sentit, alio se traduci, cap. lvi. 1-3. ubi ad consulatus Trajani progreditur, tum cap. lxxxiii. et lxxxv. ubi sententiæ præmissæ propemodum

vim habent locorum communium. Sed cap. LIII. locum illum communem in fine arbitror facili negotio potuisse melius accommodari sequentibus. Nonnullæ quidem partes sine nexu aspersæ esse videntur, verum res ipsa, quæ iis exponitur, cohæret cum antecedentibus. Ex eo genere sunt cap. XIX. XXXVII. LI. Apparet ergo, operam dedisse Nostrum, ut et commode et varie orationis suæ partes conjungeret, nunc ipsa rerum tractatarum similitudine interveniente, nunc formula aliqua, aut sententia aut loco communi, nunc objectione aut interrogatione interposita; eumque hoc nomine nisi summam, aliquam tamen laudem esse meritum.

Videamus vero etiam, qua carne, quibusque succis has articulorum probabiliter distributorum, nec male copulatorum compages expleverit, quove cutis vel colore, vel nitore vestiverit. Damnatur enim oratio exsanguis, cicatricosa, fucata, macilenta, scabra; laudatur contra ea, quæ nisi plurimum sanguinis, certe succum aliquem, multum carnis, colorem naturalem et nitorem habet. Aliam decent athletarum tori, aliam militum lacerti. Ungues vero polire, et capillum reponere, si toto corpore valet, non ad curam suam pertinere eloquentia existimat, judice Quintiliano Inst. VIII. Procem. 22. Sed missis allegoriæ involucris, propriis verbis rem spectabimus. Primum oratoris munus est, res oratione tractandas, non historicorum more tenuiter narrare, sed dicendo augere; hoc est, magnitudinem earum ita explicare et illustrare, ut intelligi facile a lectoribus, et sentiri possit. Ea vero in re fœcundum satis fuisse Plinii ingenium, idemque studiosis largam solertiæ suæ acuendæ copiam fecisse, fateamur necesse est; insigniter enim subinde exaggerat res etiam tenuissimas. Mortuo Nerva potuisset Trajanus, immo ex more illius temporis debuisset etiam, consulatum suscipere. Ille vero maluit eo honore privatis cedere. Quid in hoc magnopere suspiciendum? Perlege modo et examina cap. LVII. et LVIII. videbisque sex causas reperisse oratoris ingenium, quibus recusationem

illam extolleret, repetitas illas a tempore, ab aliorum imperatorum exemplis, ab æquitate rei, a paucitate consulatuum Trajani, ab antiquitate Romana, a dignitate Principis. His vero causis cumulatis persuadere conatur lectori, moderatissimum esse Trajani animum. Quot porro se ei aperuerunt fontes, unde electionis per Nervam factæ commendationem duceret? interventus Deorum, causa adoptatum movens, genus ejus, quo nulla adoptantem cognatione attingebat, locus, ubi electio publicata, tempus, effectus, electionis ipsius dignitas, animus Trajani, assensus denique Senatus, populique Romani. Nec ullam prætermissam videbis partem, ex qua non commendarit congiarii populo dati gratiam; quippe quod statim totum populo datum, etiam iis, quibus nihil promissum, quod absentibus reservatum, quod sponte exhibitum ne rogantibus quidem civibus, quod nemini ereptum, quod optimo consilio et permultis datum. Parco plura addere; injurius enim fuerit, si quis ulla in orationis hujus parte malignum Nostrum fuisse dixerit in causis rei augendæ depromendis. Sed pluribus modis in hac re peccari potest ab oratoribus, dum augent res vix verbo attingendas, nedum multis argumentis undique corrasis amplificandas, dum causas augendi extricant parum probabiles, dum laudabilia quidem, sed vel supra fidem, vel etiam ridicule exaggerant: quorum delictorum nullum est, quod Noster non admiserit. Sunt quidem loca plura, unde judicii Pliniani elegantia et subtilitas elucet; verum non pauciora reperiuntur, quæ oratorem vel adulationis vel judicii non satis subacti crimine premunt. Ex priore genere sunt hæc. Nervæ consecrationem laudat quidem cap. XI. e sensu Romanorum, sed, ut par erat, brevissime, atque ita, ut omnem laudandi rationem ad mentem Trajani referat. Neque fas erat, spectacula populo exhibita silentio præterire; sed hic quoque, recto judicio ductus, paucis c. XXXIII. defungitur, contentus spectaculorum genus, Principisque in iis edendis liberalitatem et justitiam laudasse. Ad alterum genus referendum est primum auxilium Ægypto fame laboranti a Trajano latum, quod

orator cap. XXXI. et XXXII. ventose auget, dum refudisse Imperatorem Nilo suas copias ait; non necessariam esse Romanis illam terram; posse in posterum Nilum fluminis modum servare; stupuisse agricolas plena horrea, quæ non ipsi refersissent; mirandum esse Principem, qui diremtam quoque mari provinciam alat ac tueatur. Tum pergit: 'Et cœlo quidem nunquam benignitas tanta, ut omnes simul terras ubertet foveatque: hic omnibus pariter, si non sterilitatem, at mala sterilitatis exturbat: hic, si non fœcunditatem, at bona fœcunditatis importat.' Cum per cœlum, cui Trajanum anteponit, nil nisi aëris et tempestatis vicissitudines intellexerit, magno ore jactavit id, quod vix verbo efferendum erat. Et cur illa addita sunt: 'si non sterilitatem, si non fœcunditatem?' Ubi de vicesima minuta verba facit, nimis auget, et ejus onus, quasi ejus interventu omnia necessitudinis vincula abrupta sint, et Trajani animum, qui sparsas et laceras gentilitates collegerit, connexerit et renasci jusserit. Et quoniam idem onus illud remiserat etiam iis, qui in diem edicti deberent, hoc ita exaggerat cap. XL. 3. 'At in præteritum subvenire, ne Dii quidem possunt: tu tamen subvenisti, cavistique, ut desineret quisque debere, quod non esset postea debiturus. Idem effecisti, ne malos principes habuissemus.' Quid potest istis dici ineptius? quid insulsius? Et is, qui Trajanum jactat facta posse infecta reddere, illico fateri cogitur: 'si natura pateretur, quam libenter tot spoliatis, tot trucidatis, sanguinem et bona refudisses!' Nerva duobus Senatoribus secundum Consulatum mandaverat. Anno peracto Trajanus eosdem tertio ornat. Audi quæso, quomodo Plinius c. LXI. 9. illud extulerit: 'Hominisne,' inquit, 'istud ingenium est? hominis potestas? renovare gaudia, redintegrare lætitiam, nullam requiem gratulationibus dare: neque alia repetendis consulatibus intervalla permittere, nisi dum finiuntur?' Trajanus ter Cos. duos Senatores tertio Coss. fecit. Quid Noster ad hæc? 'Si unius tertium consulatum eundem in annum, in quem tuum, contulisses, ingentis animi species haberetur.' Idem edixerat, ut con-

giarium etiam servaretur iis, qui, negotiis et valetudine distenti, non possent Romæ esse eo die, quo illud distribueretur. Id æque inepte laudator ejus cap. XXV. exaggerat, ac superiora illa: 'Magnificum, Cæsar, et tuum, disjunctissimas terras munificentiæ ingenio velut admovere, immensaque spatia liberalitate contrahere, intercedere casibus, occursare fortunæ.' Titus pœnis delatores affecerat iisdem, quibus Trajanus: tamen cap. XXXV. 4. affirmatur, Trajanum tam multa in hac re excogitasse, ut si ante eum nihil esset inventum. Idem imperator mature quidem, ceterum non statim ab initio imperii, Patris patriæ nomen receperat. Hinc c. XXI. contenditur, longissimam Senatoribus fuisse cum modestia Principis pugnam; alios Cæsares primo statim principatus die nomen illud, ut Cæsaris, recepisse; soli omnium contigisse ei, ut Pater patriæ esset ante, quam fieret. Quoties aliquid nunc factum est aut admissum, nunc omissum aut recusatum, toties utrumque clamat orator admiratione esse dignissimum, ut cap. IV. 3. moderationem Trajani in gratiarum actionibus tam vetandis, quam admittendis, cap. XLVI. 3. ludos a Nerva restitutos, et a Trajano denuo sublatos, et cap. LVI. 4. consulatum et gestum, et non receptum. Cap. LVII. et LVIII. laudavimus quidem paulo ante ab ingenii in causis rei augendæ inveniendis fœcunditate; alieno tamen loco abusum esse illa fœcunditate oratorem putamus. Quis enim magnopere admiretur Cæsarem, tanta dignitate, tantaque potentia præditum, si consulatum, umbram illo tempore sine re, in alterum annum distulerit? Sed et cap. LIX. LXXX. in tertio consulatu extollendo, ad tædium usque lectoris fœcunditatem illam expromit. Hæc igitur quomodo excusem, non invenio. Facile quidem credo, Romanos, quibus post sævissimam Domitiani tyrannidem, tam bonus, tamque amabilis princeps contigerat, felicitatis suæ sensu pæne ebrios in ejus laudes subinde esse effusos; neque mirarer, si Plinius, principi illi carus in paucis, et ad laudandum progressus, eodem lætitiæ et amoris sensu abreptus, non justum ubique temperamentum servasset: verum ea, quæ

atro signo notavimus loca, facile apparet non tam e sensu illo effusa, quam a studio argutandi, judicioque non satis subacto arcessita esse et inducta.

Magnitudini declarandæ aptissimam esse exemplorum comparationem, et res ipsa docet, et repetunt præcepta omnium rhetorum. In illa enim æstimanda quis non videt opus esse mensura quadam? quam illico porrigit et ministrat ea, quam dixi, comparatio. Duplex autem est comparandi genus. Componuntur enim vel res similes, ut ex altera, cujus magnitudo jam nota est auditoribus, facile certe conspicua reddi potest, magnitudo alterius æstimetur; vel dissimiles, ut, quemadmodum in pictura lumen nulla alia re magis, quam umbra, commendatur, sic in oratione illius turpitudine apposita, hujus honestas clarius elucescat. Duplex igitur illud laudandi et amplificandi subsidium, sibi quoque, in extollendo Trajano suo, præsto esse Noster voluit: ubique enim illum cum superioribus malis Cæsaribus, maxime cum Domitiano componit; passim etiam ad Deorum virorumque illustrium mensuram facta ejus exigit. Et prioris quidem comparationis ubique frequentatæ veniam ipse cap. LIII. petit; quanquam hic non opus erat excusatione. Crebræ enim Domitiani execrationes, Trajani laudibus admixtæ, magnam hujus orationis partem, suo quasi jure, sibi vindicant, mirificeque olim valebant ad commendandum Romanis Trajani imperium. Quo tristior enim fuit conditio, quo gravius periculum, ex quo incolumes emersimus, eo suavior fortuna est secunda, qua nunc fruimur; eo jucundior lux, quæ post diuturna nubila nobis affulget. Illud modo displicet, quod cap. XLVI. 6. fœdos Domitiani ructus, ejusque nefandam ganeam cum Trajani temperantia et socialitate ita composuit, ut urbanitatem desideres. Quam commode contra, propter multiplicem personarum rerumque gestarum similitudinem, Trajani ex Hispania iter, cum Herculis ex eadem terra reditu cap. XIV. contulerit, in notis demonstratum est. Quæ cap. LXXX. de Trajani cum Jove similitudine dixit, absurda quidem sunt ex nostra de summo numine sententia, sed

bene se habent ex Romanorum opinionibus. Nec male cap. LXXXII. heroas ex mythis repetitos juxta Principem suum collocavit. Bene etiam cap. XXIX. Cn. Pompeii, annonam curantis, exemplum et tractatum est, et ad Trajanum translatum. Cap. XXIV. 4. illum confert cum legibus, non male quidem, sed modum ibi servare nescit, et nimis extendit comparationem. Mitto Brutos, Camillos, et alios, quorum paucis tantum verbis mentionem facit.

Proximas exemplis vires habere similitudines judicat Quintil. v. 11. 22. Neque enim illæ tantum ornant orationem imaginibus, quas objiciunt, faciuntque floridam et jucundam, sed argumentis quoque annumerantur, et valent ad confirmandum id, quod volumus. Iis igitur etsi Noster non abundat, plures tamen habet non male delectas, quæ tam illustrant et comprobant sententias propositas, quam suavitatem quandam iisdem addunt. Exempli loco ponamus has: cap. v. 8. 'Sicut maris cœlique temperiem turbines tempestatesque commendant; ita ad augendam pacis tuæ gratiam illum tumultum præcessisse crediderim.' Cap. XIX. 1. 'Est hæc natura sideribus, ut parva et exilia validiorum exortus obscuret: similiter imperatoris adventu legatorum dignitas inumbratur.' Cap. XXXV. 5. 'Tu simul omnia profudisti; ut sol et dies non parte aliqua, sed statim totus, nec uni aut alteri, sed omnibus in commune, profertur.' Cap. XLIII. 5. 'Cæsarum munera illitos cibis hamos, opertos præda laqueos, æmulabantur, cum privatis facultatibus velut hausta et implicata, retro secum, quicquid attigerant, referrent.' Cap. XLI. 2. 'Accidit quidem, ut corpora quamlibet ardua et excelsa, procerioribus admota, decrescant; item ut altissimæ civium dignitates collatione fastigii tui deprimantur.' Si quis loca, unde hæc excerpta sunt, integra conferre voluerit, non indignas ex consilio oratoris fuisse res illas fatebitur, quæ hisce similitudinibus illustrarentur.

Sed et alius generis imaginibus, quibus rei propositæ cum alia similitudo vel breviter adumbratur, vel plenius exprimitur, orationem suam distinxit; quarum nonnullæ alto et

poëtico ingenio non indignæ inveniuntur. Quis non admiretur illam, qua cap. XLVIII. 3. Domitiani, in domesticos adeo sævientis, alienos autem magno numero trucidantis, ceterisque terrorem incutientis, crudelitas exprimitur? 'Resistimus, ut in communi domo, quam nuper illa immanissima bellua plurimo terrore munierat: cum velut quodam specu inclusa, nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages cædesque proferret. Obversabantur foribus horror et minæ, et par metus admissis et exclusis.' Tigridis descriptionem habes verissimam, cujus immanitatem adæquabat sanguinolenta Domitiani crudelitas. Neque hic phantasiæ vivide commotæ impetus statim subsedit, sed initio cap. seq. aliam nobis objicit imaginem, non minus illam admirabilem, de ejusdem tyranni, parietibus et muris salutem suam frustra tuentis, nece: 'Dimovit perfregitque custodias Pœna, angustosque per aditus et obstructos, non secus ac per apertas fores et invitantia limina irrupit.' Insidias et repentinos malorum Principum in cives securos impetus cap. LXVI. egregie hac imagine repræsentavit: 'Erant sub oculis naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo pertulerat.' A Trajano, non e bonis occisorum alimenta liberis civium præbente, cap. XXVII. 'non liberi civium, ut ferarum catuli, sanguine et cædibus nutriuntur;' neque ille cap. XXVIII. congiaria 'tumentibus plebis animis objectat,' ut cibum cani morsum minitanti. Idem, coërcita vicesima, c. XXXIX. 'sparsas, atque veluti laceras gentilitates colligit, atque connectit, et quasi renasci jubet:' quo loco etsi orator, ut supra monui, tam vicesimæ damna, quam Principis beneficium, nimis auxit, imago tamen illa, si in se spectetur, bona est. Nerva cum Trajanum adoptasset, gaudium ejus cap. VIII. ita exprimitur: 'Non secus ac præsenti tibi innixus, tuis humeris se patriamque sustentans, tua juventa, tuo robore invaluit.' Sed minus bene cap. VI. 3. 'sinum' matris et 'ruens' imperium, 'concussamque' rempublicam conjunxit.

Ingenium oratoris facile etiam elucet e descriptionibus,

quibus res gestas aut olim gerendas, locorum faciem, hominum vultus aut gestus, ita depingit, ut tu illis rebus interesse, easque oculis cernere tibi videaris. Hac quoque ingenii parte Noster excelluit, multasque ejus generis picturas in hac oratione spectandas posuit. Trajanum in provincia jura e tribunali gentibus reddentem cap. LVI. 6. visendum nobis exhibet: 'Decora facies! Consulis multa post sæcula tribunal viridi cespite exstructum, nec fascium tantum, sed pilorum signorumque honore circumdatum. Augebant majestatem præsidentis, diversi postulantium habitus, ac dissonæ voces.' Nonne hic pictori tabulæ argumentum delineare voluisse videtur? Itaque nec 'viridis' cespitis oblitus est. Si demseris poëticum hoc epitheton, nihil in tota tabula erit, quod non valeat ad reverentiam Præsidentis declarandam. Cap. XLIX. 6. fœdam habemus Domitiani imaginem: 'Ante medium diem distentus solitaria cœna spectator annotatorque convivis imminet: jejunis et inanibus plenus ipse et ructans, non tam apponit, quam objicit cibos, quos dedignetur attingere.' Facies ejusdem cap. XLVIII. exprimitur: 'Ipse occursu quoque visuque terribilis: superbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa.' Breviores interdum sunt istæ picturæ, ut cap. XLI. 3. ubi mali malorum principum amici 'fronte tristi et gravi supercilio utilitatibus fisci contumaciter adsunt;' et cap. XIII. 3. ubi reges barbari Trajani 'oculorum minarumque conjectum, toto campo, totoque exercitu opposito, perhorrescunt;' quibus verbis fortasse ad sublimitatis laudem aspiravit. Cum Romani demolirentur Domitiani statuas, cap. LII. 'Juvabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sævire securibus, ut si singulos ictus sanguis dolorque sequeretur. Nemo tam temperans gaudii, seræque lætitiæ, quin instar ultionis videretur, cernere laceros artus, truncata membra, postremo truces horrendasque imagines abjectas.' Fideliter his gaudia, non sapientum quidem, at plebeiorum hominum retulit. Qualia lætitiæ signa Senatores alio tempore dederint, Trajani in tertio consulatu huma-

nitate commoti, exponitur c. LXXIII. 'Testis ipse es, quæ in omnium ore lætitia. Non amictus cuidam, non habitus, quem modo extulerat. Inde resultantia vocibus tecta, nihilque tantis clamoribus satis clausum. Quis tunc non e vestigio suo exsiluit? quis exsiluisse sensit? Multa fecimus sponte, plura instinctu quodam et imperio.' Expressa hæc esse ad rei gestæ, adeoque et ad affectus illius immoderati veritatem, non dubito; quanquam puto, plebeiorum potius hominum levitatem decuisse tam effusum inconditumque lætitiæ strepitum, quam Patrum conscriptorum gravitatem. Illos enim facile ita capit summæ lætitiæ sensus, ut, quid faciant, aut ubi sint, nesciant. Hinc Quintil. Inst. VIII. 3. 4. de plausu Ciceroni dato: 'Atque ego,' inquit, 'illos credo, qui aderant, non sensisse, quid facerent, nec sponte judicioque plausisse, sed velut mente captos, et, quo essent in loco, ignaros erupisse in hunc voluptatis affectum:' qui locus non male illustrat nostrum Plinianum. Sed ad hoc genus referendæ etiam sunt illæ hypotyposes et visiones, quibus (cap. XIII.) Trajani cum militibus concertationem, (cap. XXII.) ingressum in urbem, (cap. XVII.) triumphi futuri pompam, et (cap. XXVI.) populi, Principis egressum in publicum expectantis, concursationem orator præclare ante oculos pingit. Neque enim in iis, quod multis scriptoribus accidere solet, phantasiæ lubidini vela dedit, sed judicii severitate eam gubernans, a tabulis suis abesse jussit, quæcumque non ad rem, hoc est ad consilium suum pertinerent.

Sententias eas, quas γνώμας Græcorum consuetudo appellavit, mirum quantum Noster cumulavit; ut facile apparebit, si cui placuerit vel fugitivo oculo Gesnerianam editionem percurrere, in qua primum sententiæ cujusque verbum literis majusculis expressum, lectorem ad illam observandam invitat. Earum aliæ breviter conceptæ sunt, aliæ latius tractatæ, interdum in speciem propemodum locorum communium extensæ. Nonnullæ argutæ reperiuntur, aut parum probabiles, plures tamen graves et piæ, quæ continent præcepta vitæ cum omnibus hominibus, tum principi-

bus salubria. Largam bonarum frugum messem dixerim, inter quam nonnihil lolii carduorumve horret. Non temere idonei harum rerum arbitri studiosos monent, ne frequentare nimis velint sententias, acutas inprimis, vituperantque eo nomine Pliniani sæculi auctores, quod in iis profundendis justo benigniores fuerint. Etsi enim facile credo, ad istam rhetorum legem non morose exigendam esse hanc laudandi rationem, eamque lætiorem magis decere ubertatem, quam alius generis scripta; importunam tamen ingenii luxuriem premendam fuisse patet, sive a Plinio, sive ab amicis, quos ipse orationis suæ judices constituit. Sed maximam sententiarum, quas hæc oratio habet, partem probandam puto. Etenim primum eas apparet non studio arcessitas esse, sed plerumque e re natas, et sponte se obtulisse oratori ad argumenta fulcienda et confirmanda. Sic statim in principio, ubi laudat antiquum illum rerum omnium initia a precationibus capiendi morem, id adjuvat sententia aliqua: 'quod nihil rite, nihilque providenter homines, sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.' Cap. III. 5. confidit, modum, quo laudaverit Trajanum, non fore mensuram, ad quam gratus suus animus æstimetur. Ejus fiduciæ causam ponit sententiam pulcherrimam: 'Animadverto enim, etiam Deos ipsos, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate lætari: gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.' Cap. v. 9. prætorianorum tumultum credit ad augendam Trajani gratiam præcessisse. Causa sic existimandi rursus est sententia aliqua probabilis: 'Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur.' Cap. XLIII. 4. Principis gloriam augent etiam ingrati. Cur? 'nam liberalitatem jucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit.' Verissime! Cap. LV. 2. Priora tempora malis Principibus plures honores decreverunt, quam nos optimo: 'Ingeniosior est enim ad excogitandum simulatio veritate, servitus libertate, metus amore.' Quam vero ob causam Trajani laudi-

bus etiam remissiones ejus interposuit? Gravi sententia respondet ad hæc cap. LXXXII. 8. 'Voluptates sunt, quibus optime de cujusque gravitate, sanctitate, temperantia creditur... Otio prodimur.' Deinde destinatum est hoc volumen Principibus post Trajanum futuris; quos præmonere ejus auctor voluit, qua via ad veram solidamque gloriam eniterentur. Eos vero magis etiam movebunt optimi Principis laudes et virtutes, si eas gravibus sententiis, tanquam suo fundamento, inniti viderint. Quodsi illi suorum mores ad pietatem et honestatem formare cupiunt, proderit inter similes Trajani curas c. XLV. 6. et hæc legere: 'Vita Principis censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur: nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo. Quippe infidelis recti magister est metus. Melius homines exemplis docentur, quæ in primis hoc in se boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt, fieri posse.' Hic non brevem interjicit sententiam, sed, sumta propemodum magistri persona, de exemplorum efficacia disserit. Si iidem spernant recte faciendo suorum amorem quærere, putentque satellitum se manu satis fore tutos, non modo e Trajani exemplo, sed simul etiam e Plinii monitis cap. XLIX. 3. omnia alia cognoscant: 'Fidissima est custodia Principis ipsius innocentia. Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit; armis enim arma irritantur.' Immortalitatem nominis quidam quærunt arcubus et statuis; quos honores caducos, ut decet sapientem, cap. LV. 9. parvi fecit Trajanus. 'Arcus enim et statuas, aras etiam templaque demolitur et obscurat oblivio, negligit carpitque posteritas: contra, contemtor ambitionis, et infinitæ potestatis domitor ac frænator animus ipsa vetustate florescit.' Putant nonnulli, flagitia sua mutis cubiculorum suorum parietibus inclusa teneri; sed egregie se falli cognoscere possunt e cap. LXXXIII. 1. 'Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur: Principum vero non modo domos, sed cubicula ipsa, intimosque secessus recludit, omniaque

arcana noscenda famæ proponit atque explicat.' Neque forsan pœnitebit cognovisse hæc: 'Præmia bonorum malorumque bonos ac malos faciunt. Nullum est magno principe impendii genus dignius, quam quod erogatur in posteros. In principe rarum, ac prope insolitum est, ut se putet obligatum, aut, si putet, amet.' In sententiis æstimandis forma etiam spectari solet, quam ingeniosi scriptores ita interdum, per antitheta aut alias artes, concinnant, ut acumen inde aliquod efflorescat. A quo tamen studio alienus Noster fuisse videtur; nisi forte huc referas e cap. LXI. 4. 'Ut felicitatis est, quantum velis, posse: sic magnitudinis, velle, quantum possis;' e cap. LXXIV. 1. 'Est demum vera felicitas, felicitate dignum videri,' s. judicari; et e cap. XCIII. 3. 'Ita versemur in republica, ut credamus esse rempublicam.' Sed interdum, quod superius jam monui, sententias extendit in speciem locorum communium, ut cap. VII. 5. de Imperatore e tota civitate eligendo, cap. XX. 5. de Principe calculum ponente cum imperio, cap. XLVII. 7. de vi, quam habent bonorum malorumque præmia; et cap. LIII. de vi comparationis. Sed jam fassus sum, melius facturum fuisse Plinium, si resecuisset sententias nonnullas, vel vulgares, vel non satis perspicuas, vel falsas, vel denique quibus falsas laudes adjuvit. Cap. XXVII. 4. 'Cujus est, quicquid est omnium, tantum ipse, quantum omnes, habet.' Primum hoc per se intelligitur, neque peculiari sententia lectori proponendum erat. Deinde in eo peccavit, adulator dicam an orator? quod illam sententiam ad Cæsarem transtulit, quasi ejus sint omnium civium bona. Cap. VII. 5. 'Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus.' Hoc potest interdum valere; neque tamen ubique verum est; alioquin etiam dux exercitus, imperans omnibus militibus, ex omnibus eligi deberet. Cap. XI. 3. 'In Principe, qui electo successore fato concessit, una eademque certissima divinitatis fides est, bonus successor.' Quis hoc credet? Cap. XLVI. 3. 'In his, quæ a malis bene fiunt, hic tenendus modus, ut appareat, auctorem displicuisse, non factum.' Ubi contuleris antecedentia, sententiam reperies

falsissimam. Cap. LV. 11. 'Formam Principis figuramque, non aurum melius, vel argentum, quam favor hominum exprimat teneatque.' Hoc tueri conatus est Gesnerus, commemoratis regibus iis, quibus 'Pulchrorum' appellatio hæsit. Verum hoc cognomen non omnem eorum formam figuramque exprimit. Cap. LVI. 4. 'Magnum est, differre honorem; gloriam, majus.' Sit ita; non tamen Trajanus, dilato uno consulatu, gloriam distulisse dici potest. Cap. LXII. 9. 'Melius omnibus, quam singulis creditur. Singuli enim decipere et decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.' Falsum hoc quoque. Cap. LXXXVII. 4. 'Princeps, cum in uno probavit amare se scire, vacat culpa, si alios minus amat.'

Etiam 'acute dictis' abundat, quorum alia frigida sunt, alia in se quidem probanda, ceterum nimia copia lectori molesta. Nihil enim citius satietatem affert, quam acumina. Ut autem appareat, non temere hæc a nobis moneri, age, hoc quoque nostrum judicium magna exemplorum nube confirmabimus. Cap. II. 8. 'Sentit (ista) sibi, non Principi dici.' VI. 2. 'Coactus Princeps, quos nollet, occidere, ut daret Principem, qui cogi non posset.' s. 4. 'Ille tibi imperium dedit, tu illi reddidisti.' IX. 1. 'Successor, etiamsi nolis, habendus est, non est habendus socius, nisi velis.' s. 3. 'Nihil magis a te subjecti animo factum est, quam quod imperare cœpisti.' s. 4. 'Magnum videretur, si dicerem, Nescisti te imperatorem futurum: eras imperator, et esse te nesciebas.' X. 5. 'Ut quandoque inter posteros quæreretur, an illud jam Deus fecisset.' XI. 4. 'Cujus pulsi fugatique non aliud majus habebatur indicium, quam si triumpharet.' XVI. 4. 'Neque enim unquam, nisi ex contemtu imperii nostri factum est, ut vinceremus.' XIX. 4. 'Consecuti sunt, ut absens quoque de absentibus nemini magis, quam tibi crederes.' XX. 3. 'Diceres magnum aliquem ducem, ac te potissimum, ad exercitus ire.' s. 4. 'Illud iter Domitiani fuisse, non Principis.' XXI. 3. 'Ut pater patriæ esses, ante quam fieres.' XXIV. 5. 'Te pedibus incedentem ad sidera tollit humus.' XXXVIII. 2. 'Ne eo-

dem momento, quo pater esse desisset, hoc quoque amitteret, quod fuisset.' XL. 4. 'Effecisti, ne malos principes habuissemus.' Neque hic prætereunda sunt acumina ea, quæ, quoniam sibi repugnare videntur, 'oxymora' dici solent. Cap. X. 1. 'Augebat auctoritatem jubentis in summum discrimen auctoritas ejus adducta;' et s. 6. 'eo ipso carus omnibus ac desiderandus, quod prospexerat, ne desideraretur.' Cap. XLII. 1. 'Unicum crimen eorum, qui crimine vacarent.' XLIX. 3. 'Inexpugnabile munimentum, munimento non egere.'

Sed oxymora illa admonent nos de figuris, ad quas et ipsas, tanquam non minima orationis suæ decora, spectandas, in Epistola, cujus summam paulo ante cognovimus, lectores invitat addito judicio hoc: 'Orationem figurare varie, nisi eruditis, negatum esse.' Figuris autem quantum tribuerit, aliunde etiam, ex Ep. I. 2. constat, ubi Arriano scribit, tentasse se in libro, quem ipsi miserit emendandum, imitari Demosthenem et Calvum, 'figuris duntaxat orationis.' Oratio sine figuris, nec nisi vulgari, quæ prima se cogitanti offert, ratione decurrens, similis est oratori, inter dicendum nec vultum ullo modo componenti, nec brachia aliamve corporis partem moventi, sed rigido habitu, signi marmorei instar, verba sua recitanti. Verum et orationem ubique aut perverse figuratam non male contuleris actori, aut indesinenter, aut inepte gesticulanti. Quid ergo est? Nempe quemadmodum videre oportet dicentem, ut vultus motusque corporis tam decori sint, quam verbis suis accommodati; ita et figurare orationem non varie solum, sed scienter etiam eleganterque decet. Sic adhibitæ figuræ, vel maxime vulgares et e medio sumtæ, mirifice ornant, delectant, movent, sententiarumque pondus augent. Quid vulgarius, etiam in vita communi, interrogatione? Egregie tamen eam a Cicerone cum alibi sæpe adhibitam esse, tum in illo: 'Quid enim tuus ille, Tubero, destrictus in acie Pharsalica gladius agebat?' elegantissimus quisque fatetur. Non male igitur Plinius fecit, si in figuranda oratione sua aliquantum studii collocavit.

Quod etsi frequenter ei in laudem cessit, interdum tamen vereor, ne eum æquaverit actori, perpetuis manuum argutiis offendenti. Quoniam autem et nimis longum foret, et ad consilium nostrum parum utile, omnes ejus figuras excerpere, nobilissimis defungi licet.

Primum antitheta, quibus Plinii ætas mirifice delectabatur, non est quod anquiras; sponte enim tibi in ipso limine occurrent. Cap. II. 'Nihil, quale ante, dicamus; nihil enim, quale antea, patimur: nec eadem de Principe palam, quæ prius, prædicemus; neque enim eadem secreto, quæ prius, loquimur.' Et paulo post: 'Non enim de tyranno, sed de cive; non de domino, sed de parente loquimur.' Tum: 'Quanto paulo ante concentu formosum alium, hunc fortissimum personat: quibusque aliquando clamoribus gestum alterius et vocem, hujus pietatem, abstinentiam, mansuetudinem laudat.' Cap. III. 'Non enim periculum est, ne, cum loquar de humanitate, exprobrari sibi superbiam credat; cum de frugalitate, luxuriam; cum de clementia, crudelitatem,' &c. Struxit enim magnum virtutum vitiorumque sibi oppositorum catalogum. Cap. IV. 'Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace: alium toga, sed non et arma honestarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humilitate captavit: ille quæsitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit.' Cap. XXVII. 'Nihil largiatur Princeps, dum nihil auferat; non alat, dum non occidat: nec deerunt, qui filios concupiscant. Contra, largiatur et auferat; alat et occidat: næ ille,' &c. Cap. XXVIII. 'Amor impendio isto, non venia quæsita est; populusque R. obligatus a tribunali tuo, non exoratus recessit. Obtulisti enim congiarium gaudentibus gaudens, securusque securis.' Cap. XXXIV. 'Non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant.' Cap. XXXV. 'Cum iisdem, quibus antea cautibus innocentissimus quisque, tunc nocentissimus affigeretur; cumque insulas omnes, quas modo senatorum, jam delatorum turba compleret, quos quidem non in præsens tantum, sed in æternum repressisti.' Cap.

XLIX. 'Postquam non crudelitatis, sed amoris excubiis; non altitudine et claustris, sed civium celebritate defenditur.' Etiam Cicero Or. cap. L. frequentem se esse in antithetis fatetur; frequentes etiam fuerunt Gorgias et Isocrates: hi omnes, numeri oratorii studio. Negari sane non potest, antitheta bene formata numerum addere orationi et gratiam quandam, ut illud Ciceronis: 'Est hæc non scripta, sed nata lex,' et quæ sequuntur; vulgatum enim satis est exemplum illud. Etiam Plinius hujus generis exempla, quæ laudem merentur, suppeditabit studiosis, ut illud, quod modo e cap. IV. posui; aut cap. LVI. 'Magnificum est civibus jura; quid? hostibus reddere: speciosum, certam fori partem; quid? immanes campos sella curuli, victorisque vestigio premere: imminere minacibus ripis tutum quietumque; quid? spernere barbaros fremitus.' Ferit hoc exemplum certe animum; quanquam, ut in notis monuimus, nonnulla insunt, quæ attentus lector forte mutata malit. Verum quoniam talia artem præ se ferunt et studium, qualium celerrime satietas venit, propterea parce per orationem et prudenter dispensanda sunt. Neque tamen apud Nostrum hæc ipsa multitudine sua tanto opere offenderent, nisi alia accederent, quæ tædium ex illis efflorescens insigniter augent. Eorum nonnulla jam commemoravi; sed plura restant notanda.

Anaphora, modice et suo loco adhibita, gravitatem conciliat orationi, et numerum adjuvat, inprimisque attentum reddit auditorem ad multitudinem rerum, quæ jam enarrantur, percipiendam. Noster vero cur hac figura toties abusus sit, non reperio. Plurimis enim locis, tantum abest, ut gravem reddat orationem, aut numerosam, ut puerilem efficiat, auresque audientium enecet. Non improbo illa e cap. I. 'Ut mihi digna consule, digna senatu, digna principe contingat oratio.' Repetitio enim voc. 'digna' plenitudinem quandam gignit, facitque ut tam multitudo personarum, quarum ratio habenda sit, quam gradatio, quæ in ceteris verbis inest, facilius animadvertatur. Neque displicet e cap. IV. 'Jam firmitas, jam

procerítas corporis, jam honor capitis.' Illud 'jam' ter repetitum multitudinem bonorum externorum, quibus divino munere exornatus Trajanus, inculcat auditoribus. Eadem vox eodem consilio etiam cap. IX. repetita: 'Jam Cæsar, jam Imperator, jam Germanicus.' Vis et emphasis sane inest etiam in ea anaphora, quam cap. X. legimus: 'Cum jam tua vexilla, tuas aquilas magno gradu anteires: neque aliud tibi ex illa adoptione, quam filii pietatem, filii obsequium assereres, longamque huic nomini ætatem, longam gloriam precarere.' Sentis, non male urgeri illa, Trajanum 'sua' vexilla anteisse, 'filii' in nomine se oblectasse, 'longamque' patri ætatem precatum esse. Et tamen molestum esse incipit, quod in paucorum versuum ambitu triplex anaphora occurrit. Atque ejus generis loca plurima afferri possunt. Cap. XIII. 'Unum ex omnibus patrio more, patria virtute lætari, et sine æmulo ac sine exemplo, secum certare, secum contendere.' Cap. XXXIV. 'Vidimus delatorum agmen inductum, quasi grassatorum, quasi latronum. Non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant: nulla jam testamenta secura, nullius status certus: non orbitas, non liberi proderant.' Cap. LXXXIV. 'Mulieribus duabus in eadem domo nullum certamen, nulla contentio est. Suspiciunt invicem, invicem cedunt. . . . Idem utrique propositum, idem tenor vitæ. Te enim imitari, te subsequi student. Ideo utraque mores eosdem, quia utraque tuos habet: inde moderatio, inde etiam perpetua securitas.' Cap. XXVII. 'Magnum quidem est educandi incitamentum, tollere liberos in spem congiariorum, in spem alimentorum; majus tamen, in spem libertatis, in spem securitatis.' Quid ineptius? quid auribus molestius accidere possit tam puerili eorundem verborum repetitione? Lectorem puto hisce exemplis legendis æque esse defatigatum, ac me iis describendis. Itaque plura non addo; præsertim cum et aliud, huic simillimum, vitium jam sit culpandum. Nempe et alio modo verbum præcedens repetendo, pueriliter ludit. Cap. VII. 'Suscepisti imperium, postquam alium suscepti

pœnitebat. Nulla adoptati cum eo, qui adoptabat, cognatio, nulla necessitudo; nisi quod uterque optimus erat, dignusque alter eligi, alter eligere. . . . Nec decet aliter assumi, si assumatur a Principe.' Cap. XLVI. 'Castigaverunt vitia sua ipsi, qui castigari merebantur: iidemque emendatores, qui emendandi fuerunt. Itaque nemo de severitate tua queritur, et liberum est queri.' Hæc singula, et per orationem dispersa, cum virtute dicerentur; sed ita conjuncta lusum produnt oratoris gravitate indignum, præsertim cum similia ubique recurrant. Cap. XXIV. 'Incedebas pedibus, incedis: lætabaris labore, lætaris.' Cap. XXXV. 3. 'timeantque, quantum timebantur.' Cap. XLI. 'Postquam non est, cui suadeatur, qui suadeant non sunt.' Cap. LIV. 'Incipimus inde, desinimus ibi, a quo incipi, in quo desini sub alio Principe non posset.' Cap. LXXXV. post plures hujus generis lusus s. 7. pergit: 'Jucundissimum est in rebus humanis amari, sed non minus amare: quorum utroque ita frueris, ut, cum ipse ardentissime diligas, adhuc tamen ardentius diligaris.' Interdum tamen, ne quid dissimulem, laudem meretur talis repetitio. Cap. V. 'Recusabas enim imperare; recusabas, quod erat bene imperaturi.' Cap. IX. 'nisi quod meruit et paruit. Paruisti enim,' &c. Cap. LXVI. 'Neque enim unquam deceptus est Princeps, nisi qui prius ipse decepit.' Cap. LXVIII. 'Scis tibi ubique jurari, cum ipse juraveris omnibus.' In prioribus duobus exemplis repetitum verbum Trajani laudem auget; in posterioribus causam ejus rei continet, de qua agitur.

Periphrasis quantopere gravitati inserviat et perspicuitati, constat. Ejus enim munere omnes rerum gravissimarum partes, quæ nunc potissimum cogitandæ sunt, lectori seorsum spectandæ proponuntur, ut notionis involutæ vim omnem sentiat. Horatius v. c. cum I. Ep. 1. 25. sqq. declarare vellet, philosophiæ, ad quam tractandam ipse se contulerit, studium summa esse utilitate, sola circumlocutione id efficit. Graviter, inquit, ago 'id, quod Æque pauperibus prodest, locupletibus æque, Æque neglectum

pueris senibusque nocebit.' Neque ejusmodi luminibus caret oratio Pliniana. Cum enim cap. LXXXI. Noster affirmasset, remissiones Trajani nil esse, nisi mutationem laboris, non pergit: Quæ enim remissio tibi, nisi venatus? sed 'venatum' ita circumloquitur, ut labores ejus et molestiæ ante oculos ponantur. 'Quæ enim remissio tibi, nisi lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immensa montium juga, et horrentibus scopulis gradum inferre?' Venatio aliis etiam modis spectari potest, v. c. quatenus meditatio belli præstantissima habebatur. Ab ea quoque parte mox eandem nobis alia ostendit periphrasi: 'Olim his artibus futuri duces imbuebantur: certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu: nec mediocre pacis decus habebatur, summota campis irruptio ferarum, et obsidione quadam liberatus agrestium labor.' Paulo post eadem nos figura admonet, quantum 'navigatio' valeat ad alendum corporis robur: 'Nunc gubernaculis assidet, nunc cum valentissimo quoque sodalium certat frangere fluctus, domitare ventos reluctantes, remisque transfretare obstantia freta.' Egregie hæc e consilio oratoris dicta. Pompeius piratis olim deletis et securitatem itinerum restituerat, et commercium. Quantam illud bellum utilitatem attulerit populo Romano, cap. XXIX. periphrasi rursus edocet: 'Reclusit vias, portus patefecit, itinera terris, littoribus mare, littora mari reddidit, diversasque gentes ita commercio miscuit, ut, quod genitum esset usquam, id apud omnes natum esse videretur.' Cap. VII. non dicit: successorem electurus; sed circumloquendo imperii gravitatem præclare exprimit: 'Senatum Populumque Romanum, exercitus, provincias, socios transmissurus uni.'

Ad alia progrediamur figurarum ornamenta, quibus opus suum distinctum esse voluit; et primum quidem ad prosopopœiæ exempla, quæ et plura, nec contemnenda dedit. Illa vero, quoniam vitam et sensus tribuit rebus vita carentibus, multum valet et ipsa ad ornandum. Cap. XLVII. Sub Trajano 'spiritum, et sanguinem, et patriam receperunt studia, quæ superiorum temporum immanitas exiliis punie-

bat.' Cap. XLIX. 'Dimovit perfregitque custodias Pœna, angustosque per aditus et obstructos, non secus ac per apertas fores, et invitantia limina, irrupit.' Cap. L. 'Ædificia sentire et lætari videntur, quod niteant,' &c. Cap. LVII. 'Trajanum ciet consulatus, ejusque sibi humeris attolli et augescere videtur.' Cap. LXXXII. 'Danubius ac Rhenus tantum dedecoris vehere gaudebant, non minore cum pudore imperii, quod hæc Romanæ aquilæ, Romana signa, Romana denique ripa, quam quod hostium prospectarent.' Triplicem h. l. observabis prosopopœiam; flumina enim 'gaudent,' 'pudore' afficitur imperium, signa et ripæ 'prospectant.' Cap. LXXXIII. 'Fortuna Principum non modo domos, sed cubicula ipsa, intimosque secessus recludit, omniaque arcana noscenda famæ proponit atque explicat.' Cap. LXXXV. 'Amicitia pulsa et errans reducitur.' Cap. LXXIII. eo defertur animi ardore, ut 'curiam, ejusque sedes quasi responsuras interroget, viderintne unquam Principis lacrymas.' Quemadmodum per apostrophen cap. XXXIX. absentes alloquitur, 'Soror estis et frater...honestiores perfruemur:' ita et per sermocinationem alios loquentes inducit. Non commemorabo breviora illa e cap. XXXVI. longius et insignius exemplum habemus cap. LIX. sq. quod non omnino nobis probari, notæ nostræ docebunt. Huic adde aliud e cap. LXVIII. ubi Trajanum secum disserentem facit: 'Ego quidem in me,' &c. Similis huic figuræ est ea, quam rhetores ethopœiam vocant, quæ et ipsa pluribus Nostri locis illustrari facile posset; sed duobus defungemur. Alter est cap. XV. 'Veniet ergo tempus, quo posteri visere,' &c. alter cap. XXII. 'Te parvuli noscere,' &c. quibus perlectis, mores hominum ad naturæ veritatem expressos esse, haud inficiaberis. Mitto plures alias, sed leviores, figuras, gradationem, correctionem, præteritionem, polysyndeta, asyndeta, quæ in æstimando hoc volumine aut nullo, aut exiguo certe momento sunt. Ex iis, quæ hactenus disputavimus, Plinium satis patet omni quidem studio, ceterum vario successu, id egisse, ut figuris variaret orationem suam et ornaret.

Duo adhuc restant consideranda, verba scilicet, tam singula, quam continuata et conjuncta; quibus omnis conficitur oratio. Ac in delectu quidem verborum satis felix fuit, multaque posuit cum singulari virtute. Alia naturam rei propositæ, sive gratæ, sive ingratæ, bene exprimunt. Cap. XIV. Trajanus legiones per provincias 'rapit.' Cap. XXII. Senes 'prorepunt.' Cap. XXXVII. Homines ægre ferunt, 'destringi' aliquid et 'abradi' bonis suis. Cap. XLV. Homines sapientes, a republica remoti, 'otio aut situ abstrusi et quasi sepulti.' Cap. XLVIII. Salutationes malorum Principum 'fuga' et 'vastitas' sequitur. Cap. XLIX. Domitianus convivis annotator 'imminet,' jejunis ructans cibos 'objicit,' atque se ad clandestinam 'ganeam' refert. Cap. LII. Simulacra 'sordent,' eorumque 'strage' et 'ruina' publico gaudio 'litatur.' Cap. LXXXII. Divitiæ animum ad luxum 'detorquent.' Alia suavi imagine placent, quam animo objiciunt. Cap. IV. Virtutes nullo vitiorum 'confinio læduntur;' et paulo post, 'concordia' et 'concentus' virtutum. Cap. XXIX. Quod terra 'genuit,' quod sidus 'aluit,' quod annus 'tulit.' Cap. XXXII. 'Ægyptus fallacem unius anni fidem excusat omnibus annis.' Cap. XXXVII. 'Nominibus alienis inseritur publicanus.' Cap. XLV. 'flexibiles ducimur, atque sequaces sumus.' Cap. LVIII. 'Consulatus præcerptus præfloratusque.' Alia dignitati rei, de qua sermo, admodum sunt accommodata. Cap. IV. 'Honor capitis' et 'senectutis insignia.' Cap. VIII. 'exortus imperatoris.' Cap. XIII. 'Militaribus turmis imperatorium pulverem miscere.' Cap. XV. 'Tectum magnus hospes implevisti.' Cap. LXXXI. 'Corporis robur in maria proferre.' Nonnulla exquisitiora sunt vulgaribus vocabulis. Cap. XXIII. 'Honore nominum signare.' Cap. XXX. 'injuria sterilitatis.' Cap. XLIX. 'Exquisita ingenia cœnarum.' Cap. LXXXII. 'Lætum corpus et crescentia membra.' Multum tribuit verbis productis et sonantibus, qualia sunt 'percursare,' 'noscitare,' 'occursare,' 'respectare,' 'adventare,' 'ostentare,' 'conjectare,' 'objectare, 'queritari,' 'amplexari,' 'ubertare,' 'fluitare,' 'transfre-

tare,' 'domitare,' 'imperitare.' A sono etiam illa sunt gravia cap. LV. 'Contemtor ambitionis et infinitæ potestatis domitor ac frænator animus.'. Abstractis nominibus, quæ primariam notionem quasi extollunt, faciliusque spectandam proponunt, commode subinde utitur. Cap. XXXIV. 'Licet cum fortuna, tum liberalitas tua visenda nobis præbuerit, nunc ingentia robora virorum et pares animos, nunc immanitatem ferarum, nunc mansuetudinem incognitam.' Cap. XXXVIII. 'Attonitam orbitatem ad computationem vocare.' Cap. LII. 'Ex terrore et minis in usum hominum mutari.' Cap. LXXXIII. 'Te nullus terror, nulla comitatur ambitio.' Etiam poëtica nonnulla, quæ non dedecent lætum hoc dicendi genus, quin adeo tumori vicina, placuerunt commoto oratoris animo. Cap. XII. 'Contecti cædibus campi, et infecta victoriis maria.' Item, Danubius 'ingentia tergo bella transportat,' et mox, 'hyemem suam barbaris inferre.' Cap. XIV. 'Campum alacritate, discursu, pulvere attollere.' Cap. XVII. 'Triumphus gravis catenis, ausis barbarorum onusta fercula,' et, 'instans curru domitarum gentium tergo.' Cap. XXXIV. 'inhospitale littus.' Cap. LXXXI. 'domitare ventos reluctantes.' Cap. LXXXII. 'Otium et torpor maris.' Neque parcus est in verbis promendis; immo prodigus interdum invenitur. Usus autem copia sua est partim in variandis vel verbis vel sententiis, partim in conjungendis synonymis. Quoties cap. XI. variavit illud, 'inter Deos referre,' cum pro eo posuit, 'templis honestare,' 'dicare cœlo,' 'sideribus inferre,' 'aris colere,' 'Deum facere.' Cap. XXVI. infantes vocantur 'examina infantium,' 'parvuli,' 'Romana soboles,' 'spes Romani nominis,' 'futurus populus.' Unum cap. LXVI. plura copiæ oratoriæ exempla suppeditat. 'In sterili jejunaque materia eandem speciem laudis diducere ac spargere atque identidem tractare,' ubi displicet, quod quatuor diversos tropos miscuit. Mox: 'capessere quasi communis imperii curas, invigilare publicis utilitatibus, et insurgere.' Tum, 'nihil fucatum, nihil subdolum, denique quod credentem fallere paret.' In his fere nimius est; ut et cap. XXXIII. 'Spectaculum non

enerve, nec fluxum, nec quod animos virorum molliret et frangeret.' Melius in eodem cap. LXVI. 'Tua dextra tuisque promissis freti et innixi, obsepta diutina servitute ora reseramus, frænatamque tot malis linguam resolvimus;' ubi variata potissimum sententia plenitudinem quandam gignit. Et exempla sententiæ non male variatæ reperies etiam cap. III. 5. et cap. IV. 5. Sed insignis tautologiæ se reum fecit cap. XXVIII. 1-3. quam in notis jam exagitavimus. Quærenti tamen occurrunt et loca, in quibus singula ferme verba pondus, vimque argumenti habent, unde nihil demere possis. Tale exemplum extat cap. LVII. 'Fuit etiam, qui in princ. sui fine . . . cessisti.'

Periodos operose structas et compositas, quibus Cicero toties pleno ore, validoque spiritu tonat, frustra in hoc volumine circumspicies; neque illæ ingenio, voci, lateribus Plinii accommodatæ fuisse videntur; qui breviore, minimeque implicita verborum continuatione, ut in Epistolis, ita in oratione quoque, omnia circumscribere atque expedire maluit. Leniter plerumque et æquabiliter defluit oratio; raro habet aliquid asperi et hiulci; ubique fere suum cuique vocabulo locum assignat, quem postulat vel ipsius vis, vel Latinitatis lex et ratio. Neque tamen desunt breviores verborum circuitus, qui numeri suavitate quadam et plenitudine placent, quales sunt cap. III. 5. 'Animadverto enim . . . intulerit.' Cap. XXX. 1. 'Ægyptus . . . certaret.' Cap. LIV. 'Serie . . . placebunt.' Sed sæpissime numerum ambitiose quæsivit in anaphora, in antithetis, polysyndetis, asyndetis; qui numerus purgatis hominum elegantium auribus parum suaviter accidit; præsertim cum frequentissimus etiam illarum figurarum abusus tædium continuo et satietatem afferat. Si lubuerit librum evolvere, passim incidet oculus in verba sic composita: cap. XLIII. 'Non tu falsis, non tu iniquis tabulis advocaris.' 'Nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor confugit; nec, quia offendit alius, nuncuparis; sed quia meruisti.' 'Scriberis ab amicis; ab ignotis præteriris.' Cap. XLIV. 'His honores, his sacerdotia, his provincias offers.' 'Hi amicitia

tua, hi judicio florent.' 'Acuuntur isto integritatis pretio similes, dissimiles alliciuntur.' Cap. XLVII. 'Quid vitam? Quid mores juventutis? Quam principaliter formas! Quem honorem dicendi magistris! Quam dignationem sapientiæ doctoribus habes! Ut sub te spiritum, et sanguinem, et patriam receperunt studia! Quæ priorum,' &c.

Summa igitur eorum, quæ hactenus disputavimus, est hæc. Virtutes Trajani, resque ab eo gestas, quas oratione sibi tractandas et ornandas sumserat, non male Plinius disposuit, commodeque transeundo in unius corporis speciem conjunxit. In augendis illis rebus satis fœcundum apparet ejus ingenium, passim etiam luxurians, ita ut facile in adulationis suspicionem incurrere possit. In comparandis antiquitatis exemplis fuit felix; nec male similitudinum, imaginum, descriptionumque ornamentis orationem illuminavit: sententiis pluribus, iisdemque gravissimis, eam ornavit; quanquam et plures interposuit, quæ rectius abessent: acute dictis autem cumulandis, quibus legentium favorem ambitiose captat, prope fit intolerabilis; intolerabilior etiam improbo anaphoræ et repetitionis verbi ejusdem abusu. Aliarum figurarum, ut periphraseos, prosopopœiæ, sermocinationis et ethopœiæ, exempla pleraque probanda sunt; verba, si turgida quædam exceperis, satis delecta et materiæ accommodata: orationis denique structura leniter plerumque et æquabiliter defluit; interdum tamen oratorem male affectati numeri cujusdam crimine premit.

C. PLINII CÆCILII SECUNDI

VITA

ORDINE CHRONOLOGICO BREVITER DIGESTA,

AUCTORE JOANNE MASSONIO.

An. ær. Chr. vulg. LXII. An. Ætat. Plin. 1.

C. PLINIUS C. F. C. N. CÆCILIUS SECUNDUS[a] exeunte anno æræ Chr. vulg. LXI. vel sequenti, ut nobis verisimilius videtur, currente, et quidem ante mensem Augustum natus. Vid. an. C. LXXIX. et LXXXVII.

Cujus ordinis fuerit pater C. vel L.[b] Cæcilius, haud magis, quam ejus cognominis forma, liquet. Cæcilia quidem gens nobilis, sed plebeia; ex qua variæ familiæ, variis cognominibus distinctæ; celebriores Metellorum et Nigrorum, in antiquis etiam denariis signatæ.[c] Genus vero Nostri proculdubio clarum et antiquum, ut qui 'liberis,' si nati fuissent, 'a suo uxorisque latere pronum ad honores iter, et audita latius nomina, et non subitas imagines relicturus' foret, Ep. VIII. 10. atque 'statuas principum in agris per plures successiones traditas sibi custodiret,' Ep. X. 24.

Avunculus tamen, C. Plinius Secundus Histor. Natur. scriptor, 'idemque per adoptionem pater,' Ep. V. 8. in cujus proinde nomina et cognomina, non secus ac fortunam

[a] Grut. Inscr. p. 454. n. 3. et 5. p. 1028. n. 5.

[b] Variant scil. Inscrip. jam designatæ.

[c] Vid. Vell. Paterc. II. 11. Ursinus, Augustinus, et Streinius de Gent. et Fam. Rom. &c.

facultatesve Noster transiit, non videtur gradum equestri superiorem adeptus. Procuravit enim in Hispania, Ep. III. 5. 'quæ equestris nobilitas est,' ut loquitur Tacitus.[d] At hoc non obstitit, quo minus Noster ad senatoriam dignitatem perveniret, interimque adeo in ejus spem latum clavum indueret. Vid. inf. an. C. LXXV.

Patriam Nostro Comum, seu Novum-Comum, quo Julius Cæsar colonos deduxit,[e] oppidum Mediolano vicinum,[f] unanimi satis consensu doctiores[g] assignant; quod id 'suas delicias,' Ep. I. 3. ac Larium Lacum, hodie *Lago di Como*, 'suum,' Ep. II. 8. appellet; atque juxta hunc villas plures amœnissimas possideret, Ep. VII. 11. IX. 7. Rem sane, nostro judicio, ipsemet evincit Ep. IV. 30. diserte docens, patriam ad Larium Lacum fuisse; atque Ep. VI. 24. de villa ad eundem lacum sita loquens, se 'municipem' loci vocat.

An. Chr. LXV. An. Æt. $\frac{3}{4}$.

C. Musonius Rufus equestris ordinis, studium philosophiæ et placita Stoicorum æmulatus,[h] Plinii posthac amicus, Ep. III. 11. cum pluribus aliis in exilium a Nerone pellitur.[i]

An. Chr. LXVI. An. Æt. $\frac{4}{5}$.

Arria Pœti Thraseæ uxor, et Fannia eorum filia Helvidiique Prisci Majoris conjux, ac Helvidii Minoris noverca, Ep. III. 16. VII. 19. IX. 13. quibuscum amicitia fuit Plinio, Ep. IX. 13. ruina Thraseæ hoc anno necati,[j] pæne ceciderunt cum Helvidio, quem in exilium prima vice secuta est Fannia, Ep. III. 19.

Hoc circiter tempore, 'sub Nerone novissimis annis' Plinius Senior 'dubii sermonis octo scripsit libros,' Ep. III. 5.

[d] Vit. Agr. cap. 4.

[e] Sueton. I. 28.

[f] Ammian. Marc. XV. 2. Conf. Ep. IV. 13.

[g] Onuphr. Panv. Com. in Fast. lib. II. p. 215. Jos. Scalig. Anim. ad Eus. Chr. p. 207. Joan. Ger. Voss. de Hist. Lat. I. 30. et Commentatores plurimi Paneg. Vet.

[h] Tacit. Hist. III. 81.

[i] Tacit. l. c. Dio lib. LXII. p. 714.

[j] Tacit. Ann. XVI. 28. 35. Hist. IV. 5. 6.

An. Chr. LXVIII. An. Æt. $\frac{6}{7}$. An. Chr. LXX. An. Æt. $\frac{8}{9}$.

Helvidius ille Major, cum ab exilio Galbæ principatu rediisset,[k] biennio post prætor cærimoniis præfuit, quibus XI. Kal. Jul. prima capitolii restituendi fundamenta fuere consecrata.[l] Tum quoque iterum Romæ florebat C. Musonius.[m] Unde est quod Plinius postea, 'quantum licitum est per ætatem, eum admiratione diligere' potuerit, Ep. III. 11.

An. Chr. LXXV. An. Æt. $\frac{13}{14}$.

Plinius hoc, vel sequenti anno, 'quatuordecim natus annos Græcam tragœdiam scripsit,' Ep. VII. 4. Adhuc dum scil. sub domesticis præceptoribus studebat, nec rhetorum scholas frequentabat. Quintilianus[n] certe poëticas exercitationes, inter quas tragœdia, demandat grammaticis, qui puerorum præceptores erant proximi ante rhetores. Neque adeo pueri anno XIV. minores his instituendi tradebantur, ut affirmat erudit. H. D.[o]

An. Chr. LXXVI. An. Æt. $\frac{14}{15}$.

Noster hoc summum labente anno, ætatis decimo quinto incipiente, debuit, pro temporum more, togam virilem sumere; et quidem patris adoptivi auspiciis, ut censemus. Profecto pater naturalis jam ante decesserat; quandoquidem Virginius Rufus tutor Nostro relictus, Ep. II. 1. quod testamentariam significat tutelam: qua vero nihil erat opus, non modo si Plinius, jam patre moriente, ab avunculo fuisset adoptatus, sed nec etiam si togam virilem induisset. Tum enim, pro legibus Romanis, tutoribus solutus, suique juris fuit. Virginius autem ei affectum parentis exhibuit, ibid. Quod indigitat, Nostrum sub illius tutela aliquot annos degisse. Deinde Ep. I. 19. de Romani Firmi, municipis sui, condiscipuli, et 'ab ineunte ætate' contubernalis, patre scribens, ait hunc 'matri suæ et avunculo, sibi etiam, quan-

[k] Tacit. Hist. IV. 6.

[l] Tacit. Hist. IV. 53.

[m] Tacit. Hist. III. 81. et IV. 40.

[n] Instit. II. 4.

[o] Annal. Quintil. § I. p. 70. 71.

tum ætatis diversitas passa est, familiarem fuisse;' patrem nempe suum omittit, ut quo jam ab illa 'ineunte ætate' fuerat orbatus; atque avunculum suum una cum matre memorat, quod et jam a teneris annis apud illum adoptionis jure vixisset.

Latum vero clavum Plinius simul cum toga virili, ut mos erat, sumsit; licet hanc a patre adoptivo, equestri viro, acceperit. Fallitur enim cl. vir H. D. autumans,[p] senatorum quidem filios id proprium habuisse, ut mox a toga virili ornarentur laticlavio; reliquos vero familiarum nobilium adolescentes, quorum patres non fuissent in senatu, militiam suam equestrem a cohortium præfecturis auspicatos, nec laticlaviam proinde vestem induisse ante tribunatum.' At Suetonius,[q] in hanc rem a cl. v. laudatus, haud ita intelligendus, ac si denotarit, Augustum solis senatorum liberis primum permisisse latum clavum protinus cum toga virili induere. Nam primo, id ipsum ante Augusti principatum in usu fuisse, docet idem auctor de ipso Augusto scribens cap. 94. 'Sumenti virilem togam, tunica lati clavi, resuta ex utraque parte, ad pedes decidit.' Tum tamen is omnino 'expers belli' erat, annumque ætatis XVI. agebat:[r] ut male divinet Casaubonus, Jul. Cæsarem hoc peculiariter illi indulsisse. Nec secundo, alia erat adolescentum causa si patribus non fuissent orti senatoribus, uti Ovidius, e familia tantum equestri oriundus, invicte demonstrat. Is cum dixisset Trist. IV. 10.

'Usque a proavis vetus ordinis hæres,
Non modo fortunæ munere factus eques:'

addit:

'Interea tacito passu labentibus annis
Liberior fratri sumta, mihique toga est,
Induiturque humeris cum lato purpura clavo.'

His adde, quod Suetonius de Vespasiano prodit cap. 2.

Mox induta virili toga Plinius rhetorum scholas frequen-

p Annal. Vell. § 9. p. 20. § 11. p. 25. § 15. p. 33. Ann. Stat. p. 294.

q In Aug. c. 38.

r Id. in Jul. Cæs. c. 8.

tavit, secundum ea, quæ ad Corelliam Hispullam de filii studiis scribit, Ep. III. 3. 'Adhuc,' inquit, 'illum pueritiæ ratio intra contubernium tuum tenuit: præceptores habuit....Jam studia ejus extra limen proferenda sunt: jam circumspiciendus rhetor Latinus, cujus scholæ severitas... constet. Adest enim adolescenti (N. B.) nostro,' &c. Eundem morem ostendit auctor Dialogi de Orator.[s] Nam cum sub Messalæ persona docuisset, apud majores juvenem (N. B.) illum, qui foro et eloquentiæ parabatur, 'imbutum jam domestica disciplina...deductum a patre, vel a propinquis ad oratorem, qui principem locum in civitate tenebat;' subjungit de hujus temporis, quo Dialogus ille scriptus, consuetudine: 'At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores dicuntur,' &c. Quibus subjungi possunt, quæ Aul. Gellius hac de re habet.[t] Adolescentiam autem a sumta virili toga initium habuisse, ex pluribus liquet scriptoribus; et speciatim ex Valer. Maximo, qui de M. Cotta narrans, eum ipso die, quo togam virilem sumsit, Caium Carbonem, a quo pater ejus damnatus fuerat, postulavisse; addit, 'et ingenium, et adolescentiam præclaro opere auspicatus.' Consulendus etiam Suetonius III. 7.

Hoc adeo tempore Plinius vixdum adolescentulus Quintilianum et Nicetem Sacerdotem frequentabat, Ep. VI. 6. II. 14. In schola vero rhetorum inter juvenes sedere solebat, Ep. II. 18. Nam, ut ait ipse Quintilianus,[u] 'et adulti, fere' (ergo non omnino) 'pueri, ad hos præceptores' translati, 'et apud eos juvenes etiam facti' perseverabant.[x] Romæ porro Nostrum, et prætextatum et togatum studiis operam navasse, ipsemet satis clare insuper indicat Ep. II. 13. ubi Voconium Romanum, cui pater in equestri gradu clarus, commendat veluti suum in urbe ac secessu contubernalem et condiscipulum. Talis fuit et alius, supra memoratus, Romanus Firmus; cui, cum tan-

[s] Vid. c. 34. et 35.

[t] Noct. Attic. XVI. 1. et 8. XVIII. 4. XIII. 21. &c.

[u] Instit. II. 2.

[x] Vid. et Aul. Gell. XIII. 21.

tum in patria decurio esset, ille ad implendas equestres facultates, CCC. millia nummum posthac obtulit, Ep. I. 19.

Alios pariter, per quos Noster profecerit, grate memorat; uti Corellium Rufum, suæ 'vitæ testem, rectorem, magistrum,' &c. Ep. I. 12. IV. 17. Hispullam hujus uxorem, quæ Nostrum 'a pueritia statim formavit,' Ep. IV. 19. Arulenum Rusticum, qui adolescentiam ejus exhortationibus foverat, &c. Ep. I. 14. &c.

Fannia iterum, hoc circiter tempore, maritum Helvidium Priscum in exilium secuta est, Ep. VII. 9. Is vero primum relegatus, deinde interfici jussus a Vespasiano,[y] videtur adhuc superstes, cum jam imperator ille sextum principatus annum (Kal. Jul. a. LXXV.) absolvisset. Scriptor enim Dialogi de Orator. qui illum sermonem habitum post hunc Vespasiani annum inducit,[z] sub Apri persona 'Helvidii sapientiam' laudat, quam 'nuper' Eprius Marcellus eluserat.[a]

Philosophi quoque, Helvidii maledicentiam 'et altercationes insolentissimas' in Vespasianum imitati, ab urbe fuerunt expulsi, præter Musonium, suadente Muciano,[b] quem tamen jam an. LXXVII. decessisse Plinius Senior variis in locis[c] indicare videtur. Inde forsan est, quod postea Noster in Syria Euphratem Artemidorumque philosophos sectatus, Ep. I. 10. III. 11.

An. Chr. LXXVII. An. Æt. $\frac{15}{16}$.

Plinius Major Tito consuli VI. dicavit 'Naturæ Historiarum triginta septem libros; opus diffusum, eruditum, nec minus varium, quam ipsa natura,' Ep. III. 5.

Ad hoc tempus post togam virilem Nostro indutam proximum spectat quod is de se narrat Ep. IV. 1. oppidum nempe prædiis vicinum, et cui nomen Tifernum Tiberinum, 'pæne adhuc puerum Patronum cooptavisse.'

[y] Sueton. X. 15.
[z] Dial. de Orat. c. 17.
[a] Ibid. c. 5.
[b] Dio lib. LXVI. p. 750. seq.
[c] Vid. Hist. Nat. III. 5. XXVIII. 2. &c.

An. Chr. LXXIX. An. Æt. $\frac{17}{18}$.

Avunculus, cum Miseni classem imperio præsens regeret, ac flagrante Vesuvio monte ad explorandas incendii causas propius accessisset, vi pulveris ac favillæ oppressus occidit, Ep. VI. 16. Eam vero montis conflagrationem non modo Suetonius[d] illis annumerat tristibus, quæ sub Tito acciderunt; sed et ex Dione[e] constat hoc anno contigisse. Mensem diemque sævi casus Noster notaverat: at paulo incertiorem utrumque facit codicum Mss. hoc loco inconstantia; aliis *VIII K.* aliis *VIII. Kalend. Septemb.* aliis *Kal.* aliis *III. Non. Novemb.* præferentibus.[f] Circumstantiæ tamen Augustum potius mensem indigitant, prioremque alteramve lectionem confirmant. Narrat enim Noster, quod illo die, quo mater indicarat, apparere nubem inusitatam et magnitudine et specie, ex Vesuvio scil. ortam, avunculus 'usus sole, mox frigida,' (sic enim, non 'frigidam,' legendum) 'gustaverat jacens, studebatque,' &c. At vero Ep. III. 5. disertis testatur verbis, avunculum nonnisi 'æstate' ea præstitisse: 'Post cibum,' ait, 'sæpe .... æstate, si quid otii, jacebat in sole: liber legebatur: .... Post solem plerumque frigida lavabatur, deinde gustabat,' &c. Neque vero obstat Dionis testimonium: *Πῦρ γὰρ μέγα κατ' αὐτὸ τὸ φθινόπωρον ἐξαπιναίως ἐξήφθη· Nam sub autumni tempus ingens incendium repente excitatum est;* uti satis recte vertit interpres. Perperam vero Leunclavius ad marginem apponit, *autumni extremi tempore;* quod sequitur Tillemontius.[g] Etenim *φθινόπωρον* proprie, quicquid dicant Lexicographi, *autumnum* in genere significat; ut vel ex Galeno manifestum scribente,[h] '*φθινοπώρου ἰσημερίαν, æquinoctium autumnale,* circiter principium Dii mensis incidere; atque Arcturi ortum æstatis finem esse, autumni vero principium, quod *πρὸ ἡμερῶν ὡς δώδεκα τῆς φθινοπωρινῆς, duodecim circiter diebus ante*

[d] Lib. XI. 8.

[e] Hist. lib. LXVI. p. 754. seqq.

[f] Vid. not. ad h. l. in ed. Th. Hearne, Oxon. 1703.

[g] Hist. des Emp. T. III. p. 855.

[h] Comment. ad Hippocr. lib. Epid. 1.

autumnale æquinoctium.' Atqui pro Julii Cæsaris rationibus, quas vulgo non tantum Romani, sed et Asiani sequebantur, æquinoctium autumnale 24. Septembris inibat, Arcturusque pridie Idus, i. e. 12. ejusdem mensis, oriebatur, Plinio[i] et Galeno[k] consentientibus. Hoc igitur die *τὸ φθινόπωρον, autumnusve,* cœperit; ac proinde Dio recte dixerit, Vesuvii incendium *sub,* vel *circa autumnum, κατὰ φθινόπωρον,* accidisse; quod revera IX. vel VIII. Kal. Septemb. juxta nostrum Auctorem initium habuerit, monte etiam plures ardente dies. Ep. VI. 20. Melius vero convenient, si *φθινόπωρον,* ut Hesychius testatur, cœperit *XV. sive XXII. Augusti: φθινόπωρον,* inquit, *οἱ ἀπὸ τῆς πεντεκαιδεκάτης Αὐγούστου μηνὸς, ἕως τῆς πεντεκαιδεκάτης Δεκεμβρίου, οἱ δὲ ἀπὸ εἰκοστῆς δευτέρας Αὐγούστου, ἕως πάλιν εἰκοστῆς δευτέρας Δεκεμβρίου.* Atqui ipse Plinius tunc temporis Miseni apud avunculum cum matre, quæ tum quidem adhuc superstes 'sed annis et corpore gravis,' morabatur, agens duodevicesimum annum, Ep. VI. 16. et 20. Adeoque 18. ille ætatis annus nondum completus fuit, Nosterque 17. tantum annos et aliquot menses natus erat. Si vero supponatur, ut licet, 17. ejus annum aliquo ex hujus anni Chr. LXXIX. mensibus, Augustum antecedentibus, absolutum fuisse; tum Plinius priori parte A. C. LXII. natus fuerit. At si dicatur, quod pariter fas est, 17. istum Nostri annum exeunte A. C. LXXVIII. desivisse, ac adeo Plinium mense Augusto hujus an. LXXIX. completos 17. annos, et insuper novem decemve menses egisse; tum A. C. LXI. ad finem vergente lucem ille viderit. Utrum autem verius sit, non possumus certo definire. Quid verisimilius censemus, supra indicavimus, ac inferius, ad an. LXXXVII. magis aperiemus. Interim satis sit, hinc constare Plinium nostrum intra mensem Augustum A. C. LXI. atque parem an. sequentis LXII. natales habuisse.

Tanta vero fuit hac ætate Plinii constantia, ut, dum omnia terræ tremoribus everti crederentur, tempus studiis impenderet, librum Titi Livii quasi per otium legeret, atque

[i] Hist. Nat. XVIII. 31. cf. II. 47.

[k] De Sanit. Tuenda lib. IV.

etiam excerperet; nec gemitus ei, nec vox parum fortis in tantis periculis excideret, Ep. VI. 20.

An. Chr. LXXX. An. Æt. $\frac{18}{19}$.

Plinius 'undevicesimo ætatis anno dicere in foro cœpit,' Ep. I. 5. ac proinde hoc, vel summum sequenti anno Chr. ut ex superioribus clarum. Quam tunc causam susceperit, non liquet. Namque sine teste, et invito nostro, cl. H. D.[l] huc causam Julii Pastoris, Ep. I. 18. refert. Vid. inf. an LXXXIII.

An. Chr. LXXXI. An. Æt. $\frac{19}{20}$.

Cum Idib. Septemb. Titus morte sua fratri Domitiano cessisset imperium, Plinius postea illius, Divi a fratre facti, Sodalis Flavialis fuit. Sic enim videtur interpretandum, quod inter Nostri titulos ultimum apponit Inscriptio Egii in agro Comensi reperta:[m] FL. DIVI T. AVG. scil. 'Flavialis' (supple Sodalis) 'Divi Titi Augusti.' Profecto Suetonius de Domitiani temporibus scribens 'collegium Flavialium' memorat,[n] uti ante narraverat, Claudium 'ad numerum sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem S. C.' adjectum fuisse. Inscriptiones quoque alios sodales, 'Antoninianos' nempe, 'Hadrianales,' 'Commodianos,' &c. produnt.

Hæc igitur prima fuerit Plinii dignitas, si quidem lapidi prædicto fidem adhibeamus. Solent enim marmora in cl. virorum honoribus recensendis a summis, adeoque postremis, initium ducere, et sic ordine ad minores temporeque priores procedere.

Ibidem vero proxime Noster dicitur X.VIR STL. IVD. i. e. 'decemvir stlitibus judicandis;' quod et in duabus aliis inscriptionibus[o] habetur. Idcirco is haud ante hunc ann. hoc officio functus fuerit. Augustus certe 'judices a vicesimo ætatis anno allegere' cœperat, 'quinquennio maturius quam solebant.'[p] Frequenter judicasse testatur, Ep. I. 20.

[l] Annal. Quintil. p. 80.
[m] Vid. Grut. p. 454. n. 5.
[n] Lib. XII. c. 4.
[o] Gruter. p. 454. n. 3. et p. 1028. n. 5.
[p] Sueton. II. 32.

An. Chr. LXXXII. An. Æt. $\frac{20}{21}$.

Cum in præfatis inscriptionibus hæc, TRIB. MILIT. LEG. III. GALLICÆ, immediate præcedant quæ inde jam protulimus; hinc, sicut et ex supra dictis, satis patet, Plinium vix ante hunc annum potuisse operam militiæ dare. Quod ipsemet haud obscure ostendit Ep. VIII. 14. ubi cum de superioris ævi moribus loquens dixisset: 'Inde' (post adolescentiæ institutionem) 'adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur ..... Inde honores petituri assistebant curiæ foribus,' &c. subjungit: 'At nos juvenes fuimus quidem in castris; sed cum suspecta virtus, inertia in pretio; cum ducibus auctoritas nulla, nulla militibus verecundia, nusquam imperium, omnia soluta, turbata,' &c. Quæ manifeste Domitiani tempora designant; nec forsan priora, quibus nonnulla virtutis specimina dedit,[q] cum tamen in ejus tenore haud permanserit,[r] celeriterque aliorum virtutibus invidus et infensus, in omnium generum vitia ruerit.[s] Unde est quod Plinius alibi[t] iisdem fere verbis queratur, disciplinam castrorum sub Domitiano lapsam extinctamque. Deinde clare satis innuit[u] se, eo imperante, primum ad honores promoveri cœpisse: 'si cursu quodam,' inquit, 'provectus ab illo insidiosissimo principe, antequam profiteretur odium bonorum, postquam professus est, substiti,' &c. Nec usquam indicat, se Titi principatu aliqua dignitate ornatum fuisse. Quinetiam superius vidimus, priorem in lapidibus post Titi obitum notari.

Hoc itaque anno citissimum Plinius in Syria militaverit, tribunum nempe militum agens, Ep. III. 11. X. 19. atque forsan sub Attilio Rufo consulari, qui A. C. LXXXIV. eam provinciam morte sua vacuam reliquit:[x] at certe legionis tertiæ Gallicæ, uti una[y] ex supra laudatis inscriptionibus

[q] Sueton. XII. 8. 9. Dion. l. LXVII. p. 765.

[r] Suet. XII. 10.

[s] Tacit. Agric. Vit. c. 39. 41. Plin. Pan. c. 14. 48. 49. 52. &c. Dio lib. LXVII. p. 759. seqq.

[t] Paneg. c. 18.

[u] Ibid. cap. ult.

[x] Tacit. Vit. Agr. c. 40.

[y] Gruter. p. 1028. n. 5.

diserte prodit. Cujus legionis castra in Phœnicia, nondum hoc tempore Syriæ avulsa, fuisse, docemur a Dione.[1] Hinc in aliis inscript. pro LEG. III. GALL. supplendum, TRIB. LEG. III. GALL. ac pro LEG. VI. GALL. sic emendandum: TRIB. LEG. III. GALL. In ea autem militia Plinius commilitones habuit viros postea claros, Calestrium Tironem, Ep. VII. 16. Claudium Pollionem, cujus, cum præesset alæ militari, summam integritatem, &c. invenit Noster, jussus a legato consulari rationem alarum et cohortium excutere, Ep. VII. 31. atque Nymphidium Lupum tunc præfectum, Ep. X. 19.

Eodem tempore Plinius Euphratem philosophum in Syria 'penitus et domi inspexit, amarique ab eo laboravit,' Ep. I. 10. Artemidorum pariter philosophum, Musonii generum, 'arcta familiaritate complexus est,' Ep. III. 11.

Plinium autem adolescentulum fuisse, cum in Syria militaret, testatur Ep. I. 10. Qua voce cum utatur, narrans se Quintilianum rhetoricæ præceptorem frequentasse, Ep. VI. 6. hinc cl. H. D.[2] affirmat, 'certum esse hanc' Plinii adolescentuli 'ætatem minorem fuisse anno ejusdem XIX. quo primam causam egit in foro, perfunctus nimirum scholæ rhetoricæ disciplina: atque annos illos adolescentiæ Plinianæ ab ann. Chr. LXXV. et post diem mensis Augusti XXIV. incipere, et ad ann. LXXVIII. saltem exeuntem pertingere.' Quod si constaret, tum Plinii militia esset intra illos terminos definienda, multo citius, quam posuimus. Immo cum ann. ætatis XVIII. Miseni fuerit, ac sequenti Romæ causam in foro egerit; necesse foret, ut ante utrumque annum in Syria militasset. At multa obstant, quo minus istam a doctiss. viro datam vocis 'adolescentuli' explicationem sequamur. 1. Ipsemet Plinius se in 'castris juvenem' fuisse pariter scribit, Ep. VIII. 4. 2. Idem Asinium Bassum vocat 'adolescentulum;' cum tamen quæsturam peteret, ac proinde 24. minimum annos natus esset; unde 'juvenem' quoque et 'adolescentem' eum appellat, Ep. IV. 15. Ita et Qua-

[1] Lib. LV. p. 564.
[2] Annal. Quintil. p. 108. Vid. et p. 76.

dratum dicit 'adolescentem,' qui tamen 'intra quartum et vicesimum annum maritus,' Ep. vii. 24. Alia præterimus, cum brevitas hic nobis proposita non patiatur, ut istiusmodi litigationibus immoremur.

Quamdiu vero Plinius stipendia fecerit, haud compertum. Nec ulla videtur fuisse lex, quæ ista senatoria, vel equestria officia aliquo annorum spatio definiret. Galba quidem existimabatur ea biennii spatio determinaturus;[b] quod adeo non præstitit; nec aliquis ex successoribus fecisse videtur. Trajanus sane per decem stipendia, seu annos,[c] tribunum militum egit. 'Neque enim prospexisse castra, brevemque militiam quasi transisse contentus,' Paneg. cap. 15. Quibus patet, 'breviorem militiam' tum licitam fuisse. Profecto clarum est ex Agricolæ Vita, eum nonnisi per duos vel tres summum annos stipendia fecisse. Quinetiam semestrem tribunatum fuisse, Noster docet, Ep. iv. 4. Id quidem præstantissimi viri, quibus omnem reverentiam, honorem, et obsequium debeo de tribunatu plebis intelligunt.[d] Verum malim, si dissentire liceat, idem de tribunatu militum interpretari; quandoquidem Plinius illam dignitatem in C. Calvisii gratiam a Sossio petit, tanquam penes eum solum esset eandem dare; quod de tribunatu plebis dici nequit. Duces autem exercituum tribunatus militum soli conferebant, ut vel ex Nostro Ep. iii. 8. vii. 22. cf. ii. 13. perspicuum. Ille vero Sossius, vel potius Sosius, ut duo Bodleiani codices Mss. ferunt, idem videtur ac C. Sosius Senecio, an. Chr. xcix. cos. i. ac an. Chr. cvii. cos. ii. vir Trajano amicissimus. Itaque labitur cl. H. D. asserens[e] decem fuisse ad minimum stipendia ad senatum plane necessaria.

Ceterum Plinii tribunatum semestri majorem fuisse, licet ex illis colligere, quæ de sua cum Euphrate et Artemidoro in Syria familiaritate scribit. Vid. sup.

[b] Sueton. Gal. c. 15.

[c] Sunt enim 'stipendia,' non solum 'æra,' quæ meret miles, sed et certus annorum numerus, quibus 'militare olim tenebantur.' Polyb. l. vi.

[d] Vide Pagi Critic. in Ann. Bar. ad An. C. ciii. § 8.

[e] Ann. Vell. p. 9. 13.

An. Chr. LXXXIII. An. Æt. $\frac{21}{22}$.

Hoc forsan an. vel sequenti, Plinius ex Syria Romam militiæ stipendiis functus redierit; atque cum rediens in Icaria insula ventis detineretur, Latinos elegos in illud ipsum mare ipsamque insulam fecerit. Ep. VII. 4.

Aliquo certe tempore ante senatoriam ætatem, 25. scil. annum, e militia reducem fuisse, ipsemet prodit, Ep. VIII. 14. narrans, se, postquam in castris fuerat, 'prospexisse curiam, sed curiam trepidam et elinguem,' &c. i. e. ut ex superioribus ibid. patet, castrensibus stipendiis jam imbutum, deinde honores petiturum 'astitisse curiæ foribus, et concilii publici spectatorem, antequam consortem,' fuisse.

Post reditum vero uxorem demum duxisse videtur; certe Domitiano jam imperante; siquidem ejus 'tristissimo sæculo duo matrimonia' contraxit, Ep. X. 2.

Equidem Noster maritus erat, atque etiam adolescentulus, cum Julii Pastoris causam in 'quadruplici judicio' suscepit, Ep. I. 18. quam cl. H. D.[f] arbitratur eandem esse, ac primam ab eo XIX. agente annum dictam. Verum fallitur cl. Vir; cum Plinius illam J. Pastoris causam contra Cæsaris amicos egerit, hocque illis annumeret rebus, quæ 'excutere mentem sibi post triste somnium poterant,' ibid. quod idcirco clare demonstrat, Cæsarem istum fuisse Domitianum, quo imperium auspicante Noster jam vicesimum saltem annum compleverat. Nihil sane sub Tito, quo regnante XIX. annos natus prima vice in foro dixit, metuendum Nostro fuisset, quamvis contra ejus amicos causam suscepisset. Deinde, Ep. IV. 24. hoc ipsum quadruplex judicium memorans, diserte testatur, se tum juvenem fuisse, cum in illo ageret. Quod notandum, ne illa vox 'adolescentulus' fucum et hic iterum faciat, in erroremque inducat.

Neque meliori jure idem doctiss. vir contendit[g] annum

[f] Annal. Quintil. p. 80. [g] Annal. Statian. § 5. 6.

ætatis XVIII. apud Romanos matrimoniis legitimum fuisse, atque post illam ætatem vacationem datam, vel annuam, vel summum biennii, antequam uxorium penderent cœlibes. Multa quidem hanc in rem congessit; sed in plerisque labitur. Satis erit observasse, 1. quod disertum de matrimoniorum ætate legum caput nullum repererit Lipsius, qui plurima tamen hac de re collegit, ut doctus ille vir fatetur,[h] nec ipse ullum addiderit: 2. quod complura adversus ejus assertionem exempla militent. Nam præter illud superius, an. LXXXII. ex Nostro prolatum, Quadrati nimirum intra XXIV. annum mariti, &c. Ep. VII. 24. aliud apud eundem occurrit, Junii scil. Aviti, qui 'ædilis designatus,' ac proinde anno XXV. major, decessit; cum tamen nonnisi 'ante annum accepisset uxorem,' filiamque paulo ante sustulisset; atque adeo 'recens maritus, recens pater esset,' Ep. VIII. 23. Tertium nobis suppeditat Agricola, qui e tribunatu militum in Britannia gesto, 'ad capessendos magistratus in urbem digressus,' Domitiam Decidianam sibi junxit.[i] Is autem natus erat 'Caio Cæsare tertium (ut vulgares Taciti codd. ferunt, qui tamen videntur emendandi.[k]) Cons. Idib. Juniis;'[l] i. e. An. C. XL. Dein Suetonius Paulinus, cui diligenti ac moderato duci 'prima castrorum rudimenta approbavit' Agricola,[m] biennio tantum apud Britannos prosperas res habuit, eosque ad Monam insulam stravit, Cesonio Pœto, Petronio Turpiliano Coss.;[n] i. e. An. C. LXI. atque tradere 'exercitum Petronio Turpiliano, qui jam consulatu abierat, jubetur;'[o] eodem nempe anno exeunte. Igitur et tum saltem, si non ante, Agricola regressus in urbem, ducturus uxorem, cum XXII. annum ageret, si quidem An. C. XL. natus fuerit; at aliquanto major, si natales habuerit antiquiores, uti ex ejus apud Tacitum Vitæ characteribus certius esse doceremus, si locus permitteret.

h Annal. Statian. p. 200.
i Tacit. Vit. Agric. c. 5. 6.
k Vid. Petav. ad Epiphan. Hær. LI. pag. 98.
l Tacit. Vit. Agr. c. 44.
m Tacit. ibid. c. 5.
n Tacit. Ann. XIV. 29.
o Tacit. ibid. c. 39. et Vit. Agr. c. 16.

Ceterum Plinio tribunatu militum functo alteram non assignamus militiam; quod nullam præterea legamus; nec istorum temporum mos fuerit, ut nobiles adolescentes, ad senatorios magistratus militantes, varia stipendia mererent, tresve militiæ gradus percurrerent, scil. primum cohortem, deinde alam, tandem tribunatum legionis haberent, quicquid scribat cl. H. D.;[p] cujus multiplices hac de re hallucinationes, ut prolixe confutemus, per nostrum non licet institutum. Notetur modo quod superius de Agricolæ militia diximus, qui 'prima castrorum rudimenta,' cum tribunus tamen esset, sub solo duce Suetonio Paulino habuit, hincque continuo ad capessendos magistratus, senatorios nempe, in urbem digressus. Neque profecto Trajanus per decem sua stipendia alium militiæ gradum præterquam tribunatum obtinuit, Pan. cap. 15.

An. Chr. LXXXIV. An. Æt. $\frac{22}{23}$.

Post illum Nostri e militia reditum, atque ad hunc an. vel subsequentes, referendum quod proxime in duabus ex iisdem inscrip. legitur: SEVIR. EQVITVM ROMAnorum. De quo seviratu præ ceteris consulendus illustriss. Ezech. Spanhemius.[q]

An. Chr. LXXXVII. An. Æt. $\frac{25}{26}$.

Cum pro nostris rationibus Plinius nonnisi labente superiori anno fuerit vicesimum quintum ætatis annum auspicatus; nec ante hanc ætatem per leges licuerit quæsturam gerere, quæ primus in senatu gradus:[r] hinc sequitur Nostrum anno citissimum proximo quæsturam petiisse, eamque hoc ineunte subiisse; siquidem hæc dignitas, ut et ceteri, si præturam excipias, magistratus, initium cum ipso anno sumebat. Eadem certe vix ad alium ex superioribus sequentibusve annis alligari poterit, si quæ jam de Plinii ætate diximus, et quæ inferius de aliis honoribus profere-

[p] Annal. Vell. p. 19. et seqq. Annal. Stat. p. 263. 282. &c.

[q] De Præst. et Usu Numis. p. 666. seq.

[r] Vid. Lips. de Magistratib. c. 5. &c.

mus, simul rite conferantur. Interim hic insuper notandum, quod Noster profitetur, sibi primum 'profuisse bonorum amicitias,' Ep. IV. 24. atque viros in urbe principes habuisse amicos, ac 'in petendis honoribus suffragatores,' Ep. IV. 8. 17. cf. Ep. II. 1. Pan. cap. XC. &c. immo et ipsum Domitianum, a quo 'cursu quodam provectus,' Pan. cap. XCV. Unde elicimus, eum statim ac per legem annalem fas fuerit, uti hoc anno licuit, ad hanc senatoriam dignitatem esse promotum.

Noster autem ipsiusmet Domitiani quæstor fuit; prout testatur Ep. VII. 16. se et Calestrium Tyronem simul quæstores Cæsaris fuisse: suffragantibus sæpius laudatis lapidibus, in quibus ille inscribitur: Q. et QVAEST. IMP. i. e. 'Quæstoris Imperatoris;' qui et hoc anno COS. XIII. suos pariter quæstores, pro aliorum consulum more, habuerit. Equidem et extra consulatum proprius fuit imperatori quæstor, quem docti ex Ulpiano 'candidatum principis' vulgo vocant; qua de re, illiusve munere, nunc disputare nolumus. Attamen tales nobis nequaquam videntur Plinius et Tyro; quandoquidem nusquam, ni fallimur, legimus, plures istiusmodi quæstores principi simul inservisse; contra vero ex Dione[s] certo novimus, singulis consulibus binos, quot nunc Domitiano, fuisse quæstores. Ille enim ad Appii Claudii et C. Norbani consulatum: οἷς, ait, πρώτοις δύο ἑκατέροις ταμιεῖαι συνεγένοντο. Utut sit, ex alterutra tamen interpretatione Plinii ac Tyronis quæstura fuerit 'urbana.' Nec opus erit, ut postea 'provincialem' illis assignemus; cum nullus hisce temporibus utraque dignitate decoratus in marmoribus librisve reperiatur; ut certum sit, cl. virum hallucinari, qui rem aliter se habuisse supponit.[t] Errat etiam asserens,[u] 'annuam' non fuisse sub imperatoribus quæsturam, eorum præsertim, qui consulibus ipsis inservirent; quod verisimile non sit, bimestribus consulibus annuos fuisse quæstores. At hujusmodi

[s] Lib. XLVIII. p. 383.

[t] H. D. Prælect. XII. ad Spart. Hadr. p. 421. 424. seq. Annal. Vell. p. 36. 57. &c.

[u] Prælect. XI. p. 388. seq.

suspicionum conjecturarumve caliginem dispellit lucidum Nostri testimonium Ep. VIII. 23. ubi de Junio Avito: 'Qua industria,' inquit, 'qua modestia quæstor consulibus suis, (et plures habuit,) non minus jucundus et gratus, quam usui fuit.' Itaque cum Avitus plures in quæstura consules habuerit, qui istis temporibus bimestres esse solebant, necesse est, ut ejus munus plus quam bimestre fuerit. Nec ulla est ratio dubitandi, quin annuam ipse et alii quæsturam gesserint.

An. Chr. XC. An. Æt. $\frac{28}{29}$.

Tyronis tribunatum plebis, in quo liberorum jure Plinium præcessit, Ep. VII. 16. ad hunc annum referimus; ita ut eundem IV. Id. Decemb. superioris anni, pro more, inierit, ac ad parem hujus anni diem obtinuerit. Doctis enim assentimur viris, qui XXVIII. ætatis annum tribunatui gerendo legitimum assignant; atque biennium ex legibus inter quæsturam et tribunatum, non secus ac inter hunc et præturam medium existimant. Negat quidem cl. H. D.[x] ullam tribunatui ætatem a legibus designatam; licet fateatur, ex aliis tamen honoribus, seu antecedentibus, seu consequentibus, ætatem fuisse certam ad illum necessariam. Verum Noster rursus haud obscure indicat legem de hoc quoque magistratu fuisse annalem. Etenim Ep. III. 20. ordinem comitiorum, prout sua ætate ac paulo ante obtinebat, exponens: 'citato,' ait, 'nomine candidati, silentium summum. Dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat, testes et laudatores dabat, vel eum sub quo militarat, vel eum cui quæstor (N. B.) fuerat, vel utrumque si poterat.... Nonnunquam candidatus aut natales competitoris, aut annos, (N. B.) aut etiam mores arguebat.' Igitur, si competitoris anni poterant argui, lex omnino erat quæ eosdem definiret. Hic vero de tribunatu plebis Plinium præsertim agere, ex eo patet, quod de candidato loquitur, qui solum quæstor proxime fuerat. Neque adeo de præ-

[x] Prælect. XII. p. 419. seq.

turæ candidato Plinius intelligi potest; cum nullo fulcro fultum sit, quod idem cl. vir affirmat,[y] haud necessarium nempe quæstori ad præturam ambiendam, ut tribunatum antea gessisset. Hoc enim vel Dio confutat, docens,[z] prætores creatos nonnisi tricenarios, et jam 'quæstura ac ædilitate, sive tribunatu plebis functos.' Quod et innumeris privatorum (principum enim gratia lex annalis haud raro prætermissa) exemplis confirmari posset. Sed sufficiat, eruditum virum post varia ratiocinia tandem confiteri,[a] 'ante annum XXVIII. iniri honorem illum non potuisse, quicumque medius erat inter quæsturam atque præturam.'

An. Chr. XCI. An. Æt. $\frac{29}{30}$.

Eodem igitur an. et Plinius tribunatu simul cum Tyrone fungi per legem annalem potuisset, si, 'jure trium liberorum' gaudere ipsi, sicut amico, licuisset. Ipso tamen an. desinente, scil. IV. Id. Decemb. Noster idem munus subierit, atque ad parem an. Chr. XCI. diem administraverit; quippe Tyro eum in hac dignitate modo præcessit. Hujus enim vocis vi sequitur, Plinium proxime et immediate Tyroni in tribunatu successisse.

Noster vero, cum tribunus esset, 'abstinuit causis agendis,' ex Ep. I. 23. qua diserte hujus magistratus officium et jura describit.

Senatus ei 'publicis etiam monumentis in tribunatu quietis testimonium perhibuit,' Pan. cap. XCV.

An. Chr. XCIII. An. Æt. $\frac{31}{32}$.

Plinium dedit Senatus cum Herennio Senecione advocatum provinciæ Bæticæ contra Bœbium Massam, (Ep. VII. 33.) qui jam tum reus erat cum Agricola decessit, X. Kal. Sept. Collega Priscoque Coss. auctore Tacito,[b] i. e. 23. Augusti mensis an. Chr. XCIII. Cum autem damnato Mas-

[y] Præl. XII. p. 421.
[z] Lib. XXXII.
[a] Prælect. XII. p. 425.
[b] Vit. Agric. c. 44. 45.

sa, (et quidem paulo ante vindemiales ferias, uti ex Epist. ostendere possemus, si prolixiores esse liceret,) Senatus censuisset, 'ut bona ejus publice custodirentur,' atque Senecio una cum Plinio a consulibus peteret, 'ne bona dissipari sinerent;' tum Massa præsens Senecionem 'impietatis reum postulat.' Quod cum in aliis omnibus horrorem creasset, Plinius tamen ad consules, 'Vereor,' inquit, 'ne mihi Massa silentio suo prævaricationem objecerit, quod non et me reum postulavit.' Qua de voce Nerva tum privatus Nostro gratulatus est, missis ad eum literis, Ep. cit. Tarento nimirum, si Philostrato fides, scribenti,[c] Nervam tunc temporis relegatum in eo degisse oppido. Hanc vero Nervæ gratulationem haud recte cl. H. D.[d] eidem post imperii, si Superis placet, abdicationem privato tribuit.

Hoc porro tempore, at ante Rustici necem, Noster videtur apud centumviros ejus rogatu affuisse Arionillæ, Timonis uxori, &c. Ep. I. 5.

Ad hunc quoque annum Plinii præturam, (in qua Tyronem, qui eum in tribunatu præcesserat, ille demum consecutus, Ep. VII. 16. et quam adeo simul cum Tyrone gessit,) allegandam censemus, eo sequentibus moti rationibus. 1. 'Cum essent Philosophi ab Urbe summoti,' Plinius 'fuit apud Artemidorum, (unum ex illis) in suburbano,' et quidem prætor, atque tum amicis Nostri occisis, Senecione, Rustico, Helvidio, Ep. III. 11. Atqui Rustici 'criminis occasione, philosophos omnes urbe Italiaque summovit' Domitianus;[e] atque Rusticus uti et alii mox post Agricolæ mortem occisi fuere:[f] ac proinde paulo post 23. Aug. hujus an. maxime cum Senecionem impietatis reum postulaverit Massa, modo damnatus, at reus, cum Agricola defunctus, ut jam dictum. Nam si magnam Domitiani sævitiam geniumque pavidum semper atque anxium, minimis etiam suspicionibus commotum,[g] cogitemus, aut delatorum agmen, qui quasi grassatores, non solitudinem, sed templum,

[c] Vit. Apoll. p. 325.
[d] Cyprian. Diss. App. § 41.
[e] Suet. XII. 10.
[f] Suet. XII. 10. 11. 14.
[g] Ibid.

sed forum insederant, Pan. c. XXXIV. quin immo si meminerimus Massam a Tacito inter causas malorum, quæ his temporibus tulerunt, recenseri: næ minime dubitabimus, quin statim Domitianus noverit Senecionem impietatis, i. e. in se criminis accusatum, atque continuo eum ad pœnas traxerit, nec ad proximum distulerit annum. Igitur et hoc an. Chr. XCIII. philosophi fuerunt expulsi, ac Plinius præturam gessit. II. Plinius relegatis, cum esset prætor, annumerat Ep. III. 11. non modo Arriam, Fanniamque, (illius filiam, ut sup. ad an. Chr. LXVI. quæ adeo nunc tertio propter maritum relegata, Ep. VII. 19.) sed et Gratillam Rustici conjugem, Ep. V. 1. quæ proinde eodem tempore in exilium missa, quo maritus ad necem destinatus, scil. mox post Agricolæ obitum, non secus ac illæ. Unde est quod Tacitus scribit, Agricolam 'non vidisse tot nobilissimarum fœminarum exilia et fugas.' Deinde vero Ep. V. 1. nos docet, ex quo Gratilla moriens legatum Plinio reliquerat, isque omnia usuceperat, jam biennium transisse; cum tamen Domitianus adhuc dum superstes esset. Nam Plinii cohæredes componere cum Assudio Curiano Gratillæ filio exhæredato cupiebant, non diffidentia causæ, sed metu temporum, et quia verebantur, quod videbant multis accidisse, ne ex centumvirali judicio capitis rei exirent. Quæ plane Domitiani principatum demonstrant. Igitur cum hoc negotium inter Gratillæ filium et hæredes aliquamdiu protractum ex Nostri narratione videatur; nec idem serius quam medio an. Chr. XCVI. istius Principis emortuali agitatum dici queat; hinc sequitur, illud biennium tunc completum, si ab hoc tempore retro computetur, medio an. Chr. XCIV. initium sumere, atque tum Gratillam jam vita functam; necnon antea relegatam fuisse. Ita ut facile ad exitum an. Chr. XCIII. deducamur, etiamsi paucos tantum menses ab initio exilii Gratillæ ad ejusdem obitum, ac bonorum Plinio relictorum usucapionem lapsos supponeremus. Verum hinc saltem constet, Plinii præturam haud inferius quam an. Chr. XCIV. protrahi posse. III. Philostratus auctor est, Apollonium venisse Romam, philosophis modo ab urbe

dejectis,[h] cum jam triginta et octo anni ab initio Neronis fluxissent:[i] eum Romæ 13. dies[k] moratum esse: exinde in Peloponnesum transisse, *περὶ μετοπώρου ἀρχὰς, circiter autumni principium:*[l] postea in variis Græciæ locis per duos egisse annos: tandem in Ioniam navigasse; et cum plures ejus civitates peragravisset, *diutius* autem, *πλείω χρόνον*, Smyrnæ et Ephesi philosophatus esset;[m] tandem in Xysti luco disputantem suis auditoribus Ephesiis Domitiani necem eodem temporis momento nuntiavisse, quo ille occisus;[n] scil. die Sept. 18. an. Chr. XCVI. Jam vero, si annos tantum 38. exacte completos, (etsi 38. ac menses aliquot intelligi possint,) stricte etiam a 13. Octob. an. Chr. LIV. quo principatum Nero auspicatus, numeremus; finis tamen eorundem nonnisi cum pari Octob. die an. Chr. XCII. coincidet. Deinde cum biennium moræ Apollonii in Græcia aliquot mensibus ante Domitiani cædem præterlapsum fuisse, vel ex altera ejusdem postea in Ioniæ urbibus mansione pateat; neque tamen ab alio capite, præterquam autumni principio sit deducendum: hinc necesse fit, ut idem biennium ab autumno an. Chr. XCIII. non vero an. Chr. XCIV. computetur; ac proinde illo tempore, circiter exeunte Septembri, vel ineunte Octobri an. Chr. XCIII. Domitianus philosophos ab urbe summoverit; atque tum Plinius prætor fuerit. Q. E. D.

Minutii Fusci et Corelliæ (sororis Corellii Rufi) filius prætore Plinio 'ludis ejus præsedit,' Ep. VIII. 11. Apollinaribus puta ludis, quos a prætore urbano celebrari, et a Nonis Julii ad IV. Idus præscribi solitos, vel ex Cicerone[o] discimus.

Senatus vero 'publicis etiam monumentis' Plinio 'in prætura modestiæ' testimonium perhibuit, Pan. cap. XCV.

Ceterum anno Plinianæ præturæ ut supra definito, inde tempora anteactorum magistratuum firma rectaque mane-

[h] Vit. Apoll. p. 327. 329.
[i] P. 348.
[k] P. 354. 363. 368.
[l] P. 415.
[m] P. 423.
[n] P. 425.
[o] Ep. 1. cf. cum Ep. 4. lib. XVI. ad Attic. et Philip. I.

bunt; modo intervallum ex legibus biennii fuerit medium, prout jam cum doctioribus supposuimus. Hoc autem, ut magis magisque extra dubium ponatur, hoc loco accuratius observandum, quod Noster Ep. VII. 16. significat, se nimirum in prætura Tyronem esse consecutum, i. e. simul præturam gessisse, cum ipsi Cæsar annum remisisset. Nam, quicquid alii opinentur, hæc remissio, uti vel ex contextu clarum, nihil aliud spectare potest, quam illud temporis spatium inter Plinii tribunatum atque præturam ex legibus medium. Neque sane Plinio jam 30. ætatis annum, præturæ legitimum, (uti superius ex Dione ostendimus,) egresso alia remissione fuit opus. Idcirco cum Noster haud ipso tribunatus anno, sed citissimum sequenti potuerit se præturæ candidatum præbere; at prætor tamen cum Tyrone fuerit; hinc sequitur, I. biennium inter Tyronis tribunatum et præturam intercessisse; videlicet annum, quo Plinius in tribunatu Tyroni successit, et sequentem, quo ille præturam petiit. II. Plinium altero quidem post tribunatum anno præturam iniisse; sed nonnisi biennio post ex legibus debuisse hoc magistratu fungi; siquidem imperator annum ei remisit, i. e. uno citius anno, quam pro legibus licebat, præturam accepit. Idem exemplo, ut hoc solum utamur, Junii Rustici confirmatur; qui tribunus plebis an. Chr. LXVI. prætor tamen an. Chr. LXIX. erat.[p]

An. Chr. XCVI. An. Æt. $\frac{34}{35}$.

Si Domitianus, hoc an. XIV. Kal. Octob. occisus,[q] diutius vixisset, Plinius se reum vidisset. 'Nam in scrinio ejus datus a Caro de Nostro libellus inventus est,' Ep. VII. 27. Istius quod imminebat periculi signa recitat ibid.

Hucusque vero post præturam inter mœstos et paventes latuerat, nullas ambiens dignitates. 'Si cursu quodam,' narrat ipse Pan. c. XCV. 'provectus ab illo insidiosissimo

[p] Tacit. Ann. XVI. 26. cf. Hist. III. 80. [q] Suet. XII. 17. &c.

principe, antequam profiteretur odium bonorum, postquam professus est,' (mox nempe post Agricolæ mortem, cum ille 'non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu remp. exhausit,' et eadem strage tot consularium cædes fecit, expulsis insuper S. C. sapientiæ professoribus, &c.[r]) 'substiti; cum viderem, quæ ad honores compendia paterent, longius iter malui.'

Hoc tempore Martialis versiculos de Plinio composuit, quos Noster Ep. III. 21. partim recitat, et integros legere est lib. X. Epig. 19. quem hoc an. exeunte post Domitiani necem esse editum, invicte alibi probamus, atque vel ex Epig. 72. satis manifestum.

Primis quidem 'diebus redditæ libertatis,' (cum scil. Nerva Domitiano succedens res olim dissociabiles misceret, principatum ac libertatem, ut habet Tacitus,[s]) 'pro se quisque inimicos suos, duntaxat minores, postulaverat simul et oppresserat,' Ep. IX. 13.

An. Chr. XCVII. An. Æt. $\frac{35}{36}$.

Verum Noster arbitratus esse magnam pulchramque materiam insectandi nocentes, miseros vindicandi, se proferendi, noluit Helvidium Priscum juniorem, quem superius a Domitiano vidimus interfectum, inultum pati; adeoque Publicium Certum (jam præfectum ærarii, et brevi consulem futurum, qui Helvidio tantum reo in senatu manus intulerat) apud P. C. accusavit et proprio crimine ursit; 'cum jam satis ille primus impetus deferbuisset, et languidior indies ira ad justitiam redisset,' Ep. cit. Unde colligere est, id nonnisi an. Chr. XCVII. ineunte peractum. Eo magis, quod jam Arria et Fannia, quarum altera Helvidii noverca, altera mater novercæ, 'ab exilio redierant,' ibid. Etenim hoc demum anno EXSVLES ROMAE REDDITOS nummus III. Nervæ consulatu signatus docet. Quod et Noster confirmat Ep. I. 5. scripta cum expectaret quidem Mauricum, una cum nobilissimis

[r] Tacit. Vit. Agr. c. 44. cf. c. 2. et Aul. Gell. Noct. Att. XV. 12.

[s] Ibid. c. 2.

illis fœminis relegatum, Ep. III. 11. nondum ab exilio reducem; sed cum tamen ipse prætoris officio jam interfuisset, i. e. novum hujus an. prætorem Kal. Jan. munus auspicantem officii causa comitatus esset, ac deduxisset. Quo sensu Spartianus notat Hadrianum 'Romæ prætorum et consulum officia frequentavisse;' atque Noster Ep. IV. 17. de Corellio: 'Ille,' ait, 'in omnibus officiis nostris, quanquam et imbecillus et senior, quasi juvenis et validus conspiciebatur.' Legatur Ep. II. 1. et IX. 37. consulaturque Lipsius de Magist. Rom. cap. IX. Hadr. Valesius not. ad Am. Marcell. XXVI. 1. &c.

Etiamsi vero relationem de Certo Cæsar Nerva 'ad senatum non remiserit, obtinuit tamen Plinius quod intenderat. Nam collega Certi consulatum, successorem Certus accepit,' Ep. IX. 13. i. e. ut toto contextu perspicuum, Certi collega, in ærarii nempe præfectura, qui Vectius Proculus ante nominatus, consulatum obtinuit, ad quem Certus a Domitiano fuerat designatus; atque alius Certo successor in ea præfectura datus fuit. Quo pacto plane factum est quod dixerat in fine orationis Noster: 'Reddat (Certus) præmium sub optimo principe, quod a pessimo accepit;' uti subjungit. Hallucinationes hac de re Onuph. Panvinii,[t] et Tillemontii,[u] qui illa verba aliter exponunt, ac a vero sensu omnino detorquent, prolixius convellere non vacat.

Suam actionem Noster postea recollegit multisque additis edidit sub titulo librorum de Helvidii ultione, Ep. cit. et IV. 21.

Uxorem et hoc an. Plinius amisit; nam ea 'nuper amissa' erat, et illum 'recens adhuc luctus limine continebat,' cum Anteiæ (quæ nupta Helvidio fuerat, sed tum jam alteri nupserat) significavit, destinatum sibi esse, maritum vindicare; idque tribus ante diebus quam rem in Senatu ageret Noster, Ep. IX. 13. Istius uxoris (quæ secunda Domitiani temporibus Plinio nupta, ex Ep. X. 2.) vitricus erat Vectius Proculus, collega, nimir. in ærarii præfectura, Publicii Certi, de quo agebatur Ep. IX. 13.

[t] Comm. in Fast. lib. II. p. 214. [u] Hist. des Empp. T. II. p. 897.

Martialem (qui vere hujus an. ut alibi demonstramus, in patriam rediit) prosequitur Plinius viatico secedentem, Ep. III. 21.

Virginius Rufus Nostri tutor, qui ex omnibus Fastis Cos. III. cum Nerva Cos. pariter III. hunc aperuit annum, 'cum vocem præpararet, acturus in consulatu principi gratias, cecidit, coxamque fregit; quæ parum apte collocata, reluctante ætate, male coiit.' Hinc causa mortis, cujus 'aditus durior longiorque,' Ep. II. 1. Adeo ut ejus obitus ad hujus an. principium referri nequeat. Immo jam perfunctus erat tertio consulatu, (qui tunc temporis solebat bimestris esse,) cum decessit, ibid. Unde patefit error Onuphrii existimantis,[x] eum in consulatu mortuum. Neque tamen verius, quod Catanæus ad h. l. autumat, Virginium nonnisi imperante Trajano vita functum. Equidem, Nostro teste, 'ille triginta annis gloriæ suæ supervixit,' ex quo nempe imperium medio an. Chr. LXVIII. recusaverat, pulso Vindice, Ep. VI. 10. &c. At cum tricesimus exinde annus, medio hoc an. Chr. XCVII. cœperit; non obstabunt ea Plinii verba, quin asserere possimus, Virginium adulto hoc an. diem obiisse. Deinde Noster omnino indigitat, eum sub eodem principe denatum, cui in consulatu tertio gratias egit, et quem moriens reliquit incolumem. Verum Nerva mense Januario an. Chr. XCVIII. ex probatissimis historiæ monumentis imperium cum vita reliquit. Igitur an. XCVIII. Virginius defunctus, a Corn. Tacito consule laudatus, Plinioque defletus hac Epist. 1. lib. II.

Virginius vero 'in hac novissima valetudine veritus ne forte inter quinqueviros crearetur, qui minuendis publicis sumtibus judicio senatus constituebantur,' Plinium, 'per quem excusaretur' in senatu, elegit, &c. Ep. II. 1.

Hoc pariter an. labente Corellius Rufus Nostri 'rector, magister, in petendis honoribus suffragator,' &c. Ep. I. 12. IV. 17. decessit, et quidem sponte, cum implevisset annum septimum et sexagesimum, Ep. I. 12. Is enim, Domitiano jam interfecto, 'florente repub. securus liberque'

[x] Comm. in Fast. lib. II. p. 213.

mortuus, ibid. Deinde apud Nervam imp. professus, Secundum nostrum nihil nisi ex consilio suo fecisse, &c. Ep. IV. 17. Præterea ab eodem 'ex liberalitate imp. Nervæ emendis dividendisque agris adjutor assumtus est' Claudius Pollio Nostri commilito, Ep. VII. 31. Quinimmo adhuc superstes erat Corellius, cum Plinius Helvidii vindicationem in senatu suscepit, Ep. IX. 13. videlicet ineunte hoc an. ut superius dictum. Quare et hoc tempore Epist. I. 12. qua Plinius Corellii mortem deflet, et recentissimam Tyroni nuntiat, scripta fuerit; non secus ac Ep. V. ejusd. lib. et Ep. II. 1. Hisce vero Epp. nulla in iisdem libb. antiquior ex certis characteribus affirmari potest; quanquam plures occurrant longe recentiores.

Huc etiam referenda Ep. VII. 31. videri posset; quod Nervam, non Divi, sed imperatoris nomine memoret, remque Corellio superstite peractam. At non aliter Nervam appellat Ep. IV. 17. quæ tamen exarata, cum jam Plinius consulatu functus fuisset; necnon Pan. cap. XXXV. an. Chr. C. dicti; Nervam simpliciter Ep. IV. 16. Trajano principe conscripta. Præterea cum ea Ep. VII. 31. data, tum 'Claudius Pollio otium patiebatur, quod ante paulisper intermiserat a Corellio adjutor assumtus.' Unde palam est, Plinium ibid. rem olim gestam, non vero præsentem, narrare.

Et hoc tempore Plinius ab imp. Nerva petiit, ut Voconium Romanum in amplissimum ordinem, puta senatum, promoveret. Sed cum mater Romani liberalitatem H-S. quadringenties nondum satis legitime peregisset, res in Trajani tempora fuit prolata, Ep. X. 3. Vid. an. seq.

Ab eodem imp. Nerva Noster petiit, ut statuas principum, 'quas in longinquis agris, (apud Tuscos,) ultra 150. lapidem' ab urbe, custodiebat, permitteret in municipium (nomen Tifernum, Ep. IV. 1.) 'transferre, adjecta sua statua.' Quod cum Nerva indulsisset, Plinius statim decurionibus scripserat, ut assignarent solum, in quo templum pecunia sua exstrueret, &c. 'Sed,' subjungit ille ad Trajanum, 'primum mea, deinde patris tui valetudine, postea curis delegati a vobis officii retentus,' &c. Ep. X. 24.

Ex quibus postremis Plinii verbis haurimus, eum paulo ante Nervæ mortem, et quidem hoc an. exeunte, ægrotasse. Etenim cum constet, hunc principem VI. Kal. Febr. an. Chr. XCVIII. defunctum, atque Plinius isto loco doceat, suam præcessisse Nervæ valetudinem; ita tamen ut pristina sanitate recuperata potuisset ad agros excurrere longinquos, nisi mox Nervæ valetudo obstitisset; hinc sponte fluit, gravissimam hancce Nostri valetudinem, Ep. X. 4. hoc anno Chr. XCVII. desinente accidisse. Maxime, si vicesimus ille valetudinis dies, de quo Ep. VII. 1. ad istam spectet, ut conjectare fas est.

Tandem et hoc circiter tempore Tullius Justus fuit Bithyniæ procos. ex Ep. X. 66. quod observandum, ut melius postea tempus definiamus, quo Plinius hanc provinciam regebat.

An. Chr. XCVIII. An. Æt. $\frac{36}{37}$.

Plinius Trajano, statim ac Nervæ 27. Jan. defuncto successerat, gratulatus est, Ep. X. 1.

Mox ab illo jus trium liberorum petiit; idque Trajanus Julii Serviani precibus indulsit libentius, quia pro Nostro rogabat. Qua de re gratias imperatori Plinius agit Ep. X. 2. et quidem 'inter initia felicissimi principatus' ejus.

Ibidem vero cum dicat, 'eoque magis liberos concupisco, quos habere etiam illo tristissimo sæculo (Domitiani nempe) volui, sicut potes duobus matrimoniis meis credere,' &c.; inde facile colligitur, Plinium hoc tempore nondum tertium subiisse matrimonium; quod proculdubio memorasset, ut tanto magis probaret, se liberos concupiscere.

Ineunte etiam hoc an. et post Nervæ obitum, Noster ærario Saturni præfectus, ut et insc. apud Gruter. ferunt, a Trajano creatus nobis videtur; quanquam viri longe doctissimi arbitrantur, id munus a' Nerva et Trajano simul datum. Nam I. verba sup. ex Ep. X. 24. prolata demonstrant, idem officium post Nostri et Nervæ valetudinem ab ipso Trajano delegatum. II. Plinius Ep. X. 20. diserte ad

Trajanum: 'Ut primum,' inquit, 'me indulgentia vestra promovit ad præfecturam ærarii Saturni,' &c. III. Noster 'nondum biennium compleral illo in officio laboriosissimo,' cum Trajanus ei et Cornuto Tertullo 'consulatum obtulit,' Pan. cap. XCI. Atqui uterque Jan. mense an. Chr. C. Cos. designatus; ut ad istum annum ostendemus. Igitur illud biennium nondum eo mense completum, si retro computetur, initium post Januar. hujus an. Chr. XCVIII. habuerit, atque adeo Noster eam præfecturam post Nervæ decessum acceperit a Trajano. Quin etiam, cum is Germaniæ tunc præsideret, Paneg. cap. IX. nonnisi Februario labente nuntium de Nervæ obitu accipere, tumque citissimum Plinio ac Cornuto id munus indulgere potuit.

Hanc Plinii præfecturam ad biennium protractam esse, cum ex jam dictis et Pan. cap. XCI. XCII. manifestum sit, perperam cl. H. D.[y] autumavit, eandem modo annuam fuisse.

Quare ad hunc vel seq. an. pertinet Ep. I. 10. qua Plinius de hujus officii molestissimi occupationibus queritur, per quas non licebat studiis vacare, nec Euphratem philosophum, tunc in urbe docentem, audire, &c.

In supra laudatis inscr. Plinius insuper signatur: PRAEFECTVS AERARI MILITum; quod primus instituit Augustus, et administrandum 'prætoriis tribus sorte lectis ad triennium mandavit,' testibus Dione,[z] Suetonioque.[a] Verum nusquam istius præfecturæ meminit; nec liquet eam hisce temporibus ab illa distinctam, vel unam eandemque fuisse.

Hoc quoque anno Plinius, cum jam indulgentiam Trajani quam plenissimam expertus fuisset, petiit ab eo principe, ut 'Voconium Romanum (de quo sup. ad an. XCVII.) in amplissimum ordinem promoveret;' quia mater Romani legitime peregerat, quæ sub Nerva fieri non potuerant, Ep. X. 3. Eundem Ep. II. 13. 'cum nuper ab optimo principe trium liberorum ei jus impetrasset,' Prisco (is forsan qui

[y] Prælect. XIII. p. 458.
[z] Lib. LV.
[a] Lib. II. cap. 49.

cum Pompeio collega Cos. an. Chr. XCIII.) exercitum regenti amplissimum commendat exornandum, scil. tribunatu militum, ut eo functus posset quæsturam, ac adeo primum in senatu gradum, adipisci.

An. Chr. XCIX. An. Æt. $\frac{3}{38}$.

Sub ejusdem an. exitum, vel summum ineunte an. Chr. XCIX. (ex superius de Nostri valetudine dictis, et mox dicendis) Plinius Trajanum Ep. X. 1. rogavit, ut civitatem Romanam daret Iatraliptæ Harpocrati, quem 'proximo anno, gravissima valetudine usque ad mortem vexatus,' assumserat. Item rogavit, daret 'jus Quiritium libertis Antoniæ Maximillæ,' necessariæ sibi fœminæ, Ep. 22. Cum utrumque imperator sine mora indulsisset, (siquidem epistola ad Nostrum ideo scripta in hoc volumine non apparet,) Plinius gratias eidem egit, Ep. 22. simul rogans, ut Harpocrati tribueret, et Alexandrinam civitatem, atque annos ejus et censum libertis Trajani, quibus jusserat, mittens.

Annuit imp. Ep. 23. ad Nostrum scripta, monens, ut ex quo nomo Harpocrates esset, notum sibi faceret, &c. Quod Plinius Ep. 5. præstitit, qua et gratias pro imp. Epist. rependit, sicque concludit: 'Obviam iturus, quo maturius adventus tui gaudio frui possim, rogo permittas mihi, quam longissime occurrere tibi.' Quibus ex verbis liquidum, hanc Epist. tum conscriptam, cum Trajanus ad suum in urbem reditum sese accingeret, in Germania nempe Inferiori adhuc degens. Eo enim ab Hispania, imperante Domitiano, missus, Pan. cap. XIV. Germaniæ præsidebat, cum adoptatus est, ibid. c. VIII. IX. cumque mox ad eum gratulationis causa exercitus Mœsiæ Inferioris misit Hadrianum; qui deinceps in Germaniam Superiorem translatus, ex ea festinans ad Trajanum, ut primus nuntiaret excessum Nervæ, a Serviano sororis viro diu detentus, pedibus iter faciens, ejusdem Serviani beneficiarium antevertit,' teste Spartiano.[b] Deinde Trajanus 'imperator

[b] In Hadr. c. 2.

apud Agrippinam factus,' ut Eutropius prodit, seu, ut Victor Epitom. habet, 'imperium apud Agrippinam suscepit.' Quæ de colonia Agrippina, olim Ubiorum civitate, vulgo intelligunt docti. Sed cl. H. D.[c] conjectat, ea dicta 'fortasse de primo imperii nuntio, cum adoptaretur a Nerva Trajanus;' atque opinatur illum in Mœsia potius tunc fuisse, ad ripam Danubii e regione Daciæ. Hæc tamen conjectura istis auctoribus plane repugnat, nec aliis sat validis fulcitur argumentis. Illud sane ex eo deductum, quod Trajanus etiam paulo ante adoptionem Germanos vicerat, indeque nomen Germanici reportaverat, atque e Pannonia miserat literas de victoria Germanica laureatas: hoc inquam argumentum omnino vanum est, ut quod falsum supponat; certum scil. esse, illam lauream, (quam Noster Pan. cap. VIII. testatur ex Pannonia allatam, et a Nerva in gremio Jovis collocatam eo die, quo is Trajanum filium sibi assumsit,) ab ipso Trajano reportatam esse. Profecto Plinius nusquam eandem huic principi tribuit, nec eum hac de re vel verbo laudat; cum profusis tamen laudibus vel minima ejus vitæ facinora passim ea oratione evehat. Equidem Noster tradit, Pan. cap. XII. Trajanum 'assedisse ferocissimis populis eo ipso tempore, quod amicissimum illis, difficillimum Romanis; cum Danubius ripas gelu jungit,' &c. Item cap. XVI. 'magnum est,' inquit, 'stare in Danubii ripa, si transeas, certum triumphi,' &c. Ex quibus cl. vir infert, palam esse non coloniæ Agrippinæ, nec prope Rhenum, sed Danubium, hæc fecisse Trajanum. At vero ex iisdem locis ac cap. LVI. totoque contextu clarum, ea de hyeme mortem Nervæ subsecuta, an. secundi consulatus Trajani, i. e. an. Chr. XCVIII. peracto, intelligenda venire. Quo tempore potuit Trajanus in Danubii ripa stare; nec ideo tamen a Rheno longe remotus in Mœsia, Dacia, Pannoniave degens. Martialis certe reditum ejus vovens XI. 7. (an. seq. cum lib. X. emendati et secunda vice vulgati) sic ad Rhenum:

[c] Prælect. VI. p. 273–287.

'Nympharum Pater, amniumque Rhene,
Quicumque Othrysias bibunt pruinas, &c.
Trajanum populis suis et urbi,
Tibris te dominus rogat, remittas.'

Præterea Servianus, (quem modo ex Spartiano, in Germania Superiori, paulo post Nervæ decessum, rexisse exercitum, vidimus, quemque mox una cum Trajano fuisse, vel saltem haud longe ab eo dissitum, indigitat Plinius Ep. x. 2.) postea quidem ex Germania in Pannoniam transiit, uti Noster docet Ep. VIII. 23. Sed is ibid. sic Junium Avitum, qui illum legatum secutus fuerat, laudat ob obsequium Serviano præstitum; ut inde manifestum sit, Trajanum tunc ex Germania in Pannoniam simul non transisse; cum de hoc prorsus sileat, quod tamen non tacuisset, siquidem Avito gloriosum fuisset.

Itaque Trajanus adhucdum in Germania et ad Danubii ripam degebat hoc an. Chr. XCIX. ineunte, quem 'privati aperuerunt,' Pan. c. LVIII. cum ille noluisset tertium in hunc an. recipere consulatum, quod 'eum absens gerere non poterat,' ibid. cap. LX. Unde patefit, Trajanum per duos priores hujus an. menses, (quibus pro illius temporis more consulatum gessisset, nisi recusasset) Roma abfuisse.

An paulo post, vernoque tempore, urbem petierit, haud omnino compertum. Eum tamen an. haud multum adulto jam rediisse, ex eo intelligere licet, quod cum Noster ea recitasset, quæ Trajanus post adoptionem peregerat, antequam tertium susciperet consulatum, quem constat an. Chr. C. Kal. Jan. subiisse, dicat Pan. cap. LVI. 'necdum de biennio' esse locutum. Illud enim biennium, si ab adoptionis tempore, (i. e. an. Chr. XCVII. exeunte Octob. ut nonnulli volunt, vel potius ineunte Novemb. ut rectius probat Emin. Noris,[d]) deducatur, completum Novemb. an. Chr. XCIX. fuerit; ac proinde Trajanus aliquot ante mensibus redierit; quoniam post reditum quamplurima peregerit, ad quæ necessarii fuerunt aliquot menses. Etenim

[d] De Epoch. Syrom. p. 559. seq.

congiarium populo distribuit; alimenta liberis pauperibus educandis, paulo minus quam quinque millibus concessit; tantam annonæ affluentiam procuravit, ut annus exuberet; Ægypto, quæ inopinata siccitate usque ad injuriam sterilitatis exaruerat, opem misso ab urbe frumento tulit; spectacula edidit; plurimas leges de ærario, de fisco, de hæreditatum vigesimis, de majestate, de testamentis, &c. sanxit; comitia consulum habuit, quibus ipse interfuit candidatus, tertiumque recepit consulatum, et collegas elegit, &c. Vid. Pan. cap. XX. LVI. LX. LXVI.

Id ipsum confirmant, quæ nunc ex Ep. X. 24. ad Plinium spectantia veniunt declaranda: scil. Noster ibid. Trajano scribit, quod hactenus variis impedimentis, primum sua, deinde Nervæ valetudine, postea curis delegati officii, nimirum præfecturæ ærarii, retentus, quominus templum apud Tuscos (vid. an. XCVII.) exstrueret; nunc demum 'commodissime posse in rem præsentem excurrere. Nam,' pergit, 'et menstruum meum Kalend. Sept. finitur, et sequens mensis complures dies feriatos habet. Rogo ergo, ante omnia, permittas mihi, opus, quod inchoaturus sum, exornare et tua statua: deinde, ut hoc facere quam maturissime possim, indulgeas commeatum,' vid. XXX. dierum, ut mox addit, &c.

Ex quibus perspicuum satis, hæc Plinium a Trajano petiisse, cum ejus menstruum ad finem vergebat, Augusto nimirum mense; atque idcirco Trajanum tunc Romæ fuisse, vel in vicinia, jam e Germania reducem. Aliter sane si fuisset, Plinio non licuisset nunc commodissime illud iter, quod ad Idus Octob. protractum, Ep. I. 7. suscipere; quippe qui sic Romæ principis adventum expectabat, ut vellet etiam ei quam longissime occurrere, Ep. X. 5. Neque vero dici potest illum Trajani adventum ultra Idus Octob. dilatum esse; ut ex superius de biennio prolatis constat. Adde quod ex ea Ep. X. 5. et aliis ordine temporis præcedentibus, de Harpocratis negotio scriptis, discimus, Plinium per tres saltem menses Romæ continuo fuisse, antequam Trajanus se ad suum ex Germania reditum accingeret. Nam vix intra brevius temporis spatium

tot epistolæ, sex nempe numero, ab urbe in Germaniam, et vice versa, conscribi et transmitti potuerunt. Sed illis bimestre modo concedamus. Attamen si post Idus Octob. datæ dicantur, tum 15. circiter dies supererunt, quibus Trajanus debuerit Romam redire, et cetera peragere, quæ superius ostendimus ab eo post reditum peracta, antequam Kal. Jan. tertium iniret consulatum. Quod cum dictu sit absurdum, idcirco certum ratumque maneat, Trajanum et mense Augusto jam in Italia reducem fuisse, cum Plinius commeatum peteret.

Hoc autem impetrato, Ep. x. 25. cum Noster mox in Tuscos excurrisset, 'legati provinciæ Bæticæ questuri de proconsulatu Cæcilii Classici eum a senatu petierunt.' Sed collegis eum excusantibus, 'factum est S. C. perquam honorificum,' ut Plinius 'daretur provincialibus patronus, si ab ipso eum impetrassent,' Ep. III. 4. Vid. et Ep. 9. Tum etiam Noster, literis ab Octavio Rufo ea de re acceptis, quibus is videtur flagitasse, ut ille se excusaret Bæticis, si nollet contra Bæticos Classico adesse; respondet Ep. I. 7. quæ huc transferenda, et inde præcipue notandum, quod sub finem dicit, se 'circa Idus Octob. sperare Romæ futurum.'

Post vero Plinii e Tuscis reditum, ut ex dicendis colligitur, cum provinciales Afri, Ep. II. 11. patronum eum 'optassent contra Marium Priscum,' qui ex Bætica proconsulatum in Africa eodem anno gesserat, quo in Bætica Classicus ex Africa oriundus, Ep. III. 9. Ep. II. 11. Noster 'et petiit veniam hujus muneris, et impetravit;' quia scil. 'ut primum promotus' fuerat ad præfecturam ærarii, 'omnibus advocationibus renuntiaverat, ut toto animo delegato sibi officio vacaret,' Ep. x. 20.

Postea tamen Plinius annuit, atque Afrorum, sicut et Bæticorum causam an. seq. egit, ut modo exponemus.

An. Chr. C. An. Æt. $\frac{38}{39}$.

Hoc an. Kal. Jan. Trajanus Cos. III. processit, omnibus Fastis testibus, et suffragante Plinio, qui Pan. cap. LIX. di-

serte notat, medium fuisse annum inter II. Trajani consulatum atque III. Quod tamen pessime cl. Pagi intellexit, id pro semestri spatio interpretatus.[e]

Eodem mense comitiis consulum a Trajano consule habitis Plinius et Cornutus Tertullus Coss. in Septemb. seq. designati sunt. Etenim Noster Pan. cap. XCII. Trajanum alloquens: 'Tu,' inquit, 'comitiis nostris præsidere, tu nobis sanctissimum illud carmen præire dignatus es: tuo judicio consules facti, tua voce renuntiati sumus,' &c. Hæc autem nonnisi a consule fiebant, uti vel ex cap. LXVII. et LX-LXV. perspicuum.

Deinde cum Marii Prisci causa mense Januario ageretur, jam Cos. designatus erat Cornutus, Ep. II. 11. et 12. qui tamen una cum Plinio designatus est, Pan. c. XC-XCII. Ergo uterque eo mense Cos. creatus. Denique in eundem annum Trajanus eorum consulatum contulit, quo et ipse tertium gessit; atque mensem attribuit, quo Domitiano interfecto Nerva successit, ipseque natus, Pan. cap. XCII. Is autem erat September, Ep. X. 28. &c.

Paulo post eam designationem Plinius causam Afrorum contra Priscum in se suscepit, uti docet Ep. X. 20. his ad Trajanum verbis: 'Sed cum postea consul designatus, (quod male Tillemontius[f] ad ipsum imp. refert,) censuisses faciendum nobiscum, quorum erat excusatio recepta, ut essemus in senatus postestate,... convenientissimum esse tranquillitati sæculi tui putavi, præsertim tam moderatæ voluntati amplissimi ordinis non repugnare,' &c. Quod Plinii consilium obsequiumve Trajanus Ep. 21. ad eum scripta se probare testatur, &c.

Plinius autem 'et Corn. Tacitus adesse provincialibus jussi;' cumque causa ageretur 'princeps præsidebat, erat enim consul; ad hoc Januarius mensis' erat, Ep. II. 11. ex qua et 12. petas, quæ triduo peracta (ibid. et Pan. cap. LXXVI.) huc spectant.

[e] Critic. in Ann. Bar. ad A. C. XCIX. § 11.

[f] Hist. des Empp. tom. II. p. 276.

Quoad Classici ac Bæticorum causam, Plinius eam nonnisi post superiorem egit. Etenim de eadem scribens Ep. III. 4. cum hæc dixisset: 'Legati rursus inducti, iterum me jam præsentem' (e Tuscis nempe reversum) 'postulaverunt advocatum, implorantes fidem meam, quam essent contra Massam Bæbium experti,' &c. addit, causas recensens, quibus ad causam suscipiendam motus: 'In summa computabam, si munere hoc jam tertio fungerer, faciliorem mihi excusationem fore, si quis incidisset, quem non deberem accusare:' scil. hoc munere nunc tertio fungebatur; quia jam primo contra Massam, secundo contra Marium egerat. Vid. et Ep. VI. 29. Deinde ex Epp. X. 20. 21. discimus, Afrorum causam contra Marium priorem esse, quam egerit ex quo ærarii præfectus fuerat; et quam tamen nonnisi jam Cos. designatus ac hoc oriente an. in se suscepit.

Quantum vero Plinius in hac publica provinciæ Bæticæ causa laboris exhauserit, prolixe perscribit Ep. III. 9. quæ huc referenda. Inprimis observandum quod ibid. ait: 'Eodem S. C. industria, fides, constantia nostra plenissimo testimonio comprobata est,' &c. Quo alludunt hæc Pan. cap. XCV. ad P.C. 'Vos in istis officiis etiam, quæ e studiis nostris circa tuendos socios injunxeratis, cuncti constantiæ antiquiss. testimonium perhibuistis.' Ex quibus locis simul collatis intelligimus, hanc Bæticorum causam ante mensem Septemb. esse peractam.

Panegyricum enim eo mense hujus an. (non vero seq. ut voluit Baronius,) certissime Plinius jam Cos. dixit, et quidem initio, ut ex cap. XCII. Ep. VI. 27. &c. liquet. Ea autem oratione disertissima ex officio consulatus principi gratias egit, non modo reip. nomine, Pan. cap. I-IV. Ep. III. 13-18. sed et suo collegæque Cornuti, Pan. cap. XC. Quod cum 'in senatu ad rationem et loci et temporis ex more fecisset,' eadem 'spatiosius et uberius volumine' amplexus est, Ep. III. 18. Librum igitur jam exaratum Romano misit emendandum, cum 'nuper' dixisset, Ep. III. 13. Eundem postea Romæ amicis per 'triduum fœdissimis

insuper tempestatibus' recitavit, Ep. III. 18. Unde palam est, eum sermonem sub hujus an. exitum, vel sequentis principium fuisse recitatum, illasque Epp. III. 13. et 18. conscriptas.

Quæstorem vero in consulatu Plinius Rosianum Geminum habuit, Ep. x. 11. Cum vero ex superius discussis pateat, aliquot ex lib. III. Epp. ad hunc an. pertinere, atque unam aut alteram ad sequentis initium; nec ulla ex manifestis characteribus ad tempora multum recentiora videatur rejicienda; hinc conjectare fas, Ep. VII. qua mortem Silii Italici nuntiat Caninio, et hoc circiter tempore scriptam. Quod hæc confirmant ibid. verba: 'Novissime ab urbe secessit (Silius), seque in Campania tenuit; ac ne adventu quidem novi principis inde commotus,' &c. Unde discimus, I. Silium jam ante quam Trajanus ex Germania rediret, secessisse, et quidem sub Nerva; quippe qui, teste Plinio, ex quo secesserat in Campaniam, inde ad mortem usque non esset commotus, ne adventu etiam novi principis, scil. Trajani, ut liquet; ante quem adeo nullus fuerat princeps post Silii secessum, ob cujus novum imperium is commoveri debuisset. Quod insuper probatur ex Martial. XI. 49. 51. II. Ex iisdem Nostri verbis Ep. III. 7. patet, Silium nonnisi post Trajani e Germania reditum obiisse, ac proinde haud ante an. XCIX. et cum novissime tamen secesserat.

Idem de Epist. 21. et ultima ejusd. lib. III. dicendum, qua Plinius Martialis decessum deflet; et quæ adeo ad hunc vel subseq. an. alliganda. Ille sane poëta nonnisi post prædictum Trajani reditum lib. X. ac XI. emendatos contractosque denuo publicavit, circa idem tempus, quo lib. XII. edidit. Nam Epig. 5. hujus lib. ad imperat. ait: 'Longior undecimi nobis, decimique libelli Arctatus labor est, et breve rasit opus,' &c. At vero pluribus lib. X. epigr. vates non modo Trajanum jam imperantem celebrat, sed et ejus legum post reditum latarum meminit. Sic epigr. 34. ad eum principem: 'Di tibi dent quicquid, princeps Trajane, mereris, &c. Qui sua restituis spoliato jura patrono.

Libertis exul non erit ille suis,' &c. Quibus clare significat, Trajanum jam lege cavisse, ne patroni, libertis servisve accusatoribus, in exilium mitterentur, ut ante sub Domitiano fiebat. Hanc autem legem Plinius ceteris Romæ post Trajani reditum sancitis annumerat Pan. cap. XLII.

Deinde Martialem nonnisi an. Chr. C. lib. XII. emisisse, hac argumentatione conficitur. Iste lib. (ex Præf.) editus post 'desidiæ triennium,' quod ab eo tempore, quo vates in patriam secesserat, computandum esse, vel ex ead. Præf. discitur. Atqui Martialis haud ante III. Nervæ consulatum an. Chr. XCVII. initium Roma profectus est, ex lib. XI. epig. 5. (quo Deos pro Nerva precatus, dicit eum nuper consulem III. esse factum,) collato cum epig. 2. ad lectores, (ubi indicat, se hunc lib. XI. præside Nerva in lucem mittere) atque cum epig. I. quo de Parthenio loquitur velut tum in vivis, cum poëta eundem lib. ederet, qui tamen an. Chr. XCVII. ante Trajani adoptionem interfectus est.[g] Quibus inter se collatis cum evincatur, Martialem eo currente an. Chr. XCVII. Romæ adhucdum versantem, prima vice lib. XI. vulgasse: inde quoque comprobatur, poëtam citius eo an. patriam repetere nequivisse. Idcirco cum illud 'desidiæ triennium,' a lib. XI. editione ad XII. divulgationem excurrens, numerandum sit ab eo tempore, quo Martialis Romæ valedicens in patriam secessit: hinc certo sequitur, idem triennium nonnisi hoc an. Chr. C. initio peractum esse; ac proinde lib. XII. cœpisse tum æthereas volitare per auras. Vere porro hujus an. exisse, aliis rationibus alibi probo, quas hic proferre non licet, nec varias hallucinationes de vita et libb. istius poëtæ a cl. H. D.[h] commissas fusius arguere.

Sufficiat ex disputatis patefieri, Martialem haud ante hunc an. etiam adultum, obiisse, dici posse; neque tamen cum cl. viro affirmandum, tanquam ex lib. XII. eum an. Chr. CIII. superstitem fuisse.

[g] Vid. Dion. lib. LXVIII. pag. 770. Plin. Pan. c. V. VI. &c.

[h] Prælect. ad Spart. Hadr. ac Annal. Quintil. &c.

An. Chr. CI. An. Æt. $\frac{39}{40}$.

Trajanus Kal. Jan. consulatum III. iniit, ad quem jam designatus, cum Plinius Paneg. dicebat. Vid. c. LXXVIII. et Fast. Ac proinde nondum Dacicam expeditionem susceperat. Nec illius vel minimam suspicionem suggerit in Paneg. Plinius. Hoc tamen an. ejus initium collocant viri summæ in rebus chronologicis auctoritatis, præterquam illust. Norisius, qui idem in an. seq. rejicit. Illorum vero sententia verior nobis videtur.

Hoc citissimum tempore Plinius illud in Tuscos, et exinde in patriam susceperit iter, ad quod se accingebat, cum Ep. IV. 1. ad Fabatum prosocerum scriberet. Nec enim citius potuerit illud templum perfici, quod in oppido Tiferno Tiberino pecunia sua exstruxerat; et 'cujus dedicationem,' ait, 'cum sit paratum, differre longius irreligiosum est,' &c.

Tum autem Fabatus cupiebat post longum tempus neptem suam Nostrumque una videre, ibid. Ejus scil. neptis ex filio erat tertia Plinii conjux, Ep. V. 12. et VI. 12. VIII. 10. &c. quæ Calphurnia vocabatur, Ep. VI. 4. et 7. VII. 5. mater vero Pompeia Celerina, ad quam Ep. I. 4. et cujus meminit Ep. III. 19. Unde conjicere licet, Plinium hanc uxorem jam ab an. Chr. XCIX. habuisse, quo citissimum, post biennii a novissimæ uxoris morte (quam ad an. Chr. XCVII. ineuntem alligavimus) vacationem, fas Nostro per legem Papiam[1] fuerit aliam ducere.

Si vero Noster hoc an. illud iter in patriam fecerit, postquam dedicationem templi in prædicto municipio celebràverat, prout constituerat, Ep. IV. 1. ad hunc etiam an. forte spectaverit Ep. III. 6. qua Severo nuntiat, emisse Corinthium signum; ut 'in patria nostra,' inquit, 'celebri loco ponerem, ac potissimum in Jovis templo,' &c. Et paucis post lineis: 'vel ipse,' addit, 'quod mavis, afferam

[1] Vid. Lipsii Excurs. ad Tacit. Ann. lib. III.

mecum. Destino enim, (si tamen officii ratio permiserit,) excurrere isto.' At 'ad paucos dies,' subjungit; 'neque enim diutius abesse me sinunt eadem hæc, quæ nondum exire patiuntur.'

Quodnam fuerit illud officium, certo definire non valemus. Putamus tamen, nec sine veri specie, idem omnino ac illud, de quo Ep. v. 15. ubi, 'secesseram,' ait, 'in municipium, cum mihi nuntiatum est, Cornutum Tertullum accepisse Æmiliæ viæ curam.' Deinde scribit, aliquanto magis eum delectare mandatum sibi officium, postquam par Cornuto datum' videbat; accedere vinculum necessitudinis, cum idem fuerit 'collega in præfectura ærarii et in consulatu;' denique cum nuntius venit, fuisse 'cum prosocero suo, cum amita uxoris, tum amicis diu desideratis;' atque includi 'angustiis commeatus,' &c. Tum igitur Plinius erat in patria cum uxore, quod congruit cum itinere, de quo Ep. IV. 1. et quidem cum jam diu desideratus fuisset, quod illis convenit, quæ ex ead. Ep. et Ep. III. 6. protulimus. Idcirco quid impedit, quo minus asseramus, unum idemque officium esse, de quo hæc Ep. III. 6. et v. 15. loquuntur? Ad hæc Plinius jam consulatu functus cum Cornuto fuerat; ac adeo haud ante hunc an. dici potest, illud officium ei delegatum.

In ejus vero natura definienda nequaquam consentiunt docti; aliis existimantibus, Plinium non secus ac Cornutum Æmiliæ viæ curatorem fuisse; aliis autem urgentibus illud 'par,' quo Noster utitur, indicare videri haud omnino idem utrique officium esse datum; eo magis, quod Plinius in toties citatis inscript. signatur modo: CVRATOR ALVEI TIBERIS ET RIPARVM, ET CLOACarum VRBIS. Atque his nos assentiri profitemur.

Porro cum Noster in patria esset, audivissetque municipum filios Mediolani studere, quod Comi nullos præceptores haberent; patres admonuit, ut præceptores conducerent, promisitque, se 'tertiam partem ejus, quod conferre' municipibus placeret, daturum. Postea reversus, cum ad pauculos dies in Tusculano commoraretur, Tacitum in urbe

versantem rogavit, 'ut circumspiceret præceptores,' Ep. IV. 13. Huc etiam referenda Ep. 30. ejusd. lib.

Eidem forsan an. antequam Trajanus ad bellum Dacicum proficisceretur, alligandum, quod Ep. IV. 22. Plinius narrat, 'se interfuisse principis optimi cognitioni, in consilium assumtum, de gymnico agone apud Viennenses,' &c.

Item quod de Julii Bassi causa tradit Ep. IV. 9. Ille 'a Domitiano relegatus, revocatus a Nerva, sortitusque Bithyniam, rediit reus,' ut Plinius habet ibid. qui eum, postquam contra Marcum et Classicum egerat, tuitus est, Ep. VI. 29. Bassus vero jam reus, at ante quam ejus causa in senatu ageretur, 'principi dixerat, sola se munuscula, duntaxat natali suo, aut Saturnalibus, accepisse et plerisque misisse,' &c. Unde clarum, et tunc Trajanum Romæ fuisse, et post Plinii consulatum rem agitatam, adeoque vix ante hunc an. ad quem hoc ipsum referunt cl. viri Norisius et Pagius.[k] Hic tamen labitur, asserens Plinium, se tum consularem fuisse, cum Bassum defendit, tradere illis verbis: 'post duos, et consulares et disertos,' &c. Ep. IV. 9. 'nempe,' ait Pagi, 'post semet et Lucceium Albinum.' Verum Noster de se hoc loco non loquitur, sed de Pomponio Rufo et Herennio Pollione, qui jam diserte contra Bassum pro Bithynis dixerant, et post quos tamen Theophanes, unus ex legatis, 'tempus sibi laxius vindicavit.'

Igitur sic res ad Bassi proconsulatum spectantes ordinamus, ut arbitremur, eum æstate an. XCIX. Bithyniam petiisse, provinciamanno rexisse, exinde an. Chr. C. adulto Romam rediisse, tandem a Bithynis accusatum, an. CI. a Plinio defensum. Ei vero P. Servilius Calvus proxime successerit, Bithyniamque ad medium hunc an. obtinuerit proconsul, Ep. X. 64. 65. Deinde et hoc an. eandem provinciam sortitus fuerit Rufus Varenus, Ep. V. 20. &c. Quæ ex dicendis ad an. seq. et CIII. illustrabuntur.

[k] Vid. Epist. Consul. p. 69. et Critic. ad an. Chr. 102. § 2. et 7.

An. Chr. CII. An. Æt. $\frac{40}{41}$.

Quin hoc an. Trajanus in Dacia cum exercitu fuerit, dubitare nos non sinit vel Spartianus, qui testatur, Hadrianum 'quæsturam gessisse Trajano IV. et Articuleio Coss.' i. e. an. Chr. CI. 'post quæsturam acta senatus curavisse, atque ad bellum Dacicum Trajanum familiarius prosecutum esse.' Deinde ex lapidum nummorumque inscriptionibus[1] constat, Trajanum in tribunitia potest. VI. quæ hoc an. sub Novemb. initium inchoata, IMP. II. et IIII. esse dictum; atque adeo tum bis imperatorium multiplicasse titulum; qui tamen nonnisi devictis hostibus augebatur. Superatis ergo per legatos et suo ductu Dacis Trajanus IMP. III. et IIII. a victore exercitu salutatus est. Quod cum a senatu confirmatum esset, ille tandem post reditum se passus est in publicis monumentis et nummis IMP. IIII. signari, cum modo TRIB. POT. VI. auspicatus esset, ac adhucdum COS. IV. seu COS. IV. DESignatus V. diceretur. Omnibus autem Fastis testibus Trajanus COS. V. an. Chr. CIII. processit. Equidem Fastos hac in parte emendandos, ac principem illum nonnisi an. Chr. CIV. COS. V. fuisse scribendum, censuerunt cl. vv. Norisius, Fabrettus, et Mediobarbus; quia nempe duo Trajani numismata, quæ priores tractarunt, sic ab adversa parte inscribuntur: TR. P. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. P. P. hæc vero TRibunicia potestas VII. labente autumno an. Chr. CIII. cœpit; quo tempore si Trajanus COS. DESignatus V. anno tantum insequenti Chr. CIV. consul V. fuerit. Verum etsi nolimus Norisii Fabrettique in re nummaria peritiam in dubium revocare; attamen eorum sententiam amplecti nobis non licet ob seq. rationes. I. Quod nullum istiusmodi nummum viderimus, quanquam innumeros fere ejusdem imp. contrectaverimus. II. Quod cl. Vaillantius, qui hac in re peritissimus habetur, parem epigraphen vulgave-

[1] Vid. Gruter. p. 177. 2. 190. 4. Noris. Epis. Consul. et de Epoch. pag. 281. Fabrett. de Col. Traj. c. 9. &c. Pag. Crit. an. Chr. 101.

rit ex nummo, qui postea ad severius examen revocatus, cl. vv. Rainsantio et Morellio apparuit ab imperito artifice adulteratus, ut rem fusius exponit Pagius.[m] III. Quod nos penes D. Lloyd Præstantiss. Episc. Vigorniensis filium dignissimum sæpius num. elegantiss. ær. mediocr. tractaverimus sic signatum ab antica parte: *ΑΥΤΟ. Κ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟC CΕΒ. ΓΕΡ. ΔΑΚ.* A postica vero intra lauream cernitur s. c. ac inferius: Ε. i. e. an. v. Atqui narrante apud Xiphilinum Dione,[n] Trajanus Romam reversus, Decebali regis Dacorum legatis in senatum admissis, &c. de Dacis triumphavit, et Dacicus appellatus est. Ex quibus verbis docti colligunt, Trajanum nonnisi post istum triumphum hoc Dacici cognomen senatus decreto tulisse. Nec sane nummi TR. P. VI. ac IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. signati eum exhibent titulum. Norisius tamen alium arg. e Museo Mediceo profert a postica inscriptum: DACICUS COS. IIII. P. P. Unde eruditiss. vir recte deducit, Trajanum, antequam iniret consulatum v. cum jam esset COS. DES. V. ex aliis nummis, primum de Dacis triumphum duxisse. Idcirco cum ex illo numismate Græco liqueat, Trajanum jam an. v. (imperii nimirum, prout Græci numerabant, non vero trib. potest.) a 27. Jan. hujus an. Chr. CII. decurrente, *ΔΑΚ.* seu Dacicum fuisse dictum; inde etiam patet, eundem principem jam ante 27. Jan. an. Chr. CIII. quo VI. ejus imperii annus inchoatur, ex Dacia reversum, de Dacis triumphasse, et Dacicum esse appellatum: ac adeo nummos in quibus notatur TR. P. VI. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. seu DACICVS COS. IIII. ad hunc an. VII. desinentem pertinere, quo tempore COS. V. in subseq. an. designatus fuerit. Nec enim Antiocheni nummum nostrum an. Trajani V. adhuc labente cudere potuerunt, nisi Trajanus Novembri, vel summum ineunte Decemb. an. Chr. CII. triumphum duxerit, atque DACICVS ex S. C. Romæ appellatus sit. Quo tamen titulo nondum publice decoratum fuisse, cum jam ab ineunte Novemb. tribun. potest. VI.

[m] Critic. an. Chr. CIII. § 4. [n] Lib. LXVIII. p. 774.

tot epistolæ, sex nempe numero, ab urbe in Germaniam, et vice versa, conscribi et transmitti potuerunt. Sed illis bimestre modo concedamus. Attamen si post Idus Octob. datæ dicantur, tum 15. circiter dies supererunt, quibus Trajanus debuerit Romam redire, et cetera peragere, quæ superius ostendimus ab eo post reditum peracta, antequam Kal. Jan. tertium iniret consulatum. Quod cum dictu sit absurdum, idcirco certum ratumque maneat, Trajanum et mense Augusto jam in Italia reducem fuisse, cum Plinius commeatum peteret.

Hoc autem impetrato, Ep. x. 25. cum Noster mox in Tuscos excurrisset, 'legati provinciæ Bæticæ questuri de proconsulatu Cæcilii Classici eum a senatu petierunt.' Sed collegis eum excusantibus, 'factum est S. C. perquam honorificum,' ut Plinius 'daretur provincialibus patronus, si ab ipso eum impetrassent,' Ep. III. 4. Vid. et Ep. 9. Tum etiam Noster, literis ab Octavio Rufo ea de re acceptis, quibus is videtur flagitasse, ut ille se excusaret Bæticis, si nollet contra Bæticos Classico adesse; respondet Ep. I. 7. quæ huc transferenda, et inde præcipue notandum, quod sub finem dicit, se 'circa Idus Octob. sperare Romæ futurum.'

Post vero Plinii e Tuscis reditum, ut ex dicendis colligitur, cum provinciales Afri, Ep. II. 11. patronum eum 'optassent contra Marium Priscum,' qui ex Bætica proconsulatum in Africa eodem anno gesserat, quo in Bætica Classicus ex Africa oriundus, Ep. III. 9. Ep. II. 11. Noster 'et petiit veniam hujus muneris, et impetravit;' quia scil. 'ut primum promotus' fuerat ad præfecturam ærarii, 'omnibus advocationibus renuntiaverat, ut toto animo delegato sibi officio vacaret,' Ep. x. 20.

Postea tamen Plinius annuit, atque Afrorum, sicut et Bæticorum causam an. seq. egit, ut modo exponemus.

An. Chr. C. An. Æt. $\frac{38}{39}$.

Hoc an. Kal. Jan. Trajanus Cos. III. processit, omnibus Fastis testibus, et suffragante Plinio, qui Pan. cap. LIX. di-

serte notat, medium fuisse annum inter II. Trajani consulatum atque III. Quod tamen pessime cl. Pagi intellexit, id pro semestri spatio interpretatus.[e]

Eodem mense comitiis consulum a Trajano consule habitis Plinius et Cornutus Tertullus Coss. in Septemb. seq. designati sunt. Etenim Noster Pan. cap. XCII. Trajanum alloquens: 'Tu,' inquit, 'comitiis nostris præsidere, tu nobis sanctissimum illud carmen præire dignatus es: tuo judicio consules facti, tua voce renuntiati sumus,' &c. Hæc autem nonnisi a consule fiebant, uti vel ex cap. LXVII. et LX-LXV. perspicuum.

Deinde cum Marii Prisci causa mense Januario ageretur, jam Cos. designatus erat Cornutus, Ep. II. 11. et 12. qui tamen una cum Plinio designatus est, Pan. c. XC-XCII. Ergo uterque eo mense Cos. creatus. Denique in eundem annum Trajanus eorum consulatum contulit, quo et ipse tertium gessit; atque mensem attribuit, quo Domitiano interfecto Nerva successit, ipseque natus, Pan. cap. XCII. Is autem erat September, Ep. X. 28. &c.

Paulo post eam designationem Plinius causam Afrorum contra Priscum in se suscepit, uti docet Ep. X. 20. his ad Trajanum verbis: 'Sed cum postea consul designatus, (quod male Tillemontius[f] ad ipsum imp. refert,) censuisses faciendum nobiscum, quorum erat excusatio recepta, ut essemus in senatus postestate, ... convenientissimum esse tranquillitati sæculi tui putavi, præsertim tam moderatæ voluntati amplissimi ordinis non repugnare,' &c. Quod Plinii consilium obsequiumve Trajanus Ep. 21. ad eum scripta se probare testatur, &c.

Plinius autem 'et Corn. Tacitus adesse provincialibus jussi;' cumque causa ageretur 'princeps præsidebat, erat enim consul; ad hoc Januarius mensis' erat, Ep. II. 11. ex qua et 12. petas, quæ triduo peracta (ibid. et Pan. cap. LXXVI.) huc spectant.

e Critic. in Ann. Bar. ad A. C. XCIX. § 11.

f Hist. des Empp. tom. II. p. 276.

Quoad Classici ac Bæticorum causam, Plinius eam nonnisi post superiorem egit. Etenim de eadem scribens Ep. III. 4. cum hæc dixisset: 'Legati rursus inducti, iterum me jam præsentem' (e Tuscis nempe reversum) 'postulaverunt advocatum, implorantes fidem meam, quam essent contra Massam Bæbium experti,' &c. addit, causas recensens, quibus ad causam suscipiendam motus: 'In summa computabam, si munere hoc jam tertio fungerer, faciliorem mihi excusationem fore, si quis incidisset, quem non deberem accusare:' scil. hoc munere nunc tertio fungebatur; quia jam primo contra Massam, secundo contra Marium egerat. Vid. et Ep. VI. 29. Deinde ex Epp. X. 20. 21. discimus, Afrorum causam contra Marium priorem esse, quam egerit ex quo ærarii præfectus fuerat; et quam tamen nonnisi jam Cos. designatus ac hoc oriente an. in se suscepit.

Quantum vero Plinius in hac publica provinciæ Bæticæ causa laboris exhauserit, prolixe perscribit Ep. III. 9. quæ huc referenda. Inprimis observandum quod ibid. ait: 'Eodem S. C. industria, fides, constantia nostra plenissimo testimonio comprobata est,' &c. Quo alludunt hæc Pan. cap. XCV. ad P.C. 'Vos in istis officiis etiam, quæ e studiis nostris circa tuendos socios injunxeratis, cuncti constantiæ antiquiss. testimonium perhibuistis.' Ex quibus locis simul collatis intelligimus, hanc Bæticorum causam ante mensem Septemb. esse peractam.

Panegyricum enim eo mense hujus an. (non vero seq. ut voluit Baronius,) certissime Plinius jam Cos. dixit, et quidem initio, ut ex cap. XCII. Ep. VI. 27. &c. liquet. Ea autem oratione disertissima ex officio consulatus principi gratias egit, non modo reip. nomine, Pan. cap. LIV. Ep. III. 13-18. sed et suo collegæque Cornuti, Pan. cap. XC. Quod cum 'in senatu ad rationem et loci et temporis ex more fecisset,' eadem 'spatiosius et uberius volumine' amplexus est, Ep. III. 18. Librum igitur jam exaratum Romano misit emendandum, cum 'nuper' dixisset, Ep. III. 13. Eundem postea Romæ amicis per 'triduum fœdissimis

insuper tempestatibus' recitavit, Ep. III. 18. Unde palam est, eum sermonem sub hujus an. exitum, vel sequentis principium fuisse recitatum, illasque Epp. III. 13. et 18. conscriptas.

Quæstorem vero in consulatu Plinius Rosianum Geminum habuit, Ep. x. 11. Cum vero ex superius discussis pateat, aliquot ex lib. III. Epp. ad hunc an. pertinere, atque unam aut alteram ad sequentis initium; nec ulla ex manifestis characteribus ad tempora multum recentiora videatur rejicienda; hinc conjectare fas, Ep. VII. qua mortem Silii Italici nuntiat Caninio, et hoc circiter tempore scriptam. Quod hæc confirmant ibid. verba: 'Novissime ab urbe secessit (Silius), seque in Campania tenuit; ac ne adventu quidem novi principis inde commotus,' &c. Unde discimus, I. Silium jam ante quam Trajanus ex Germania rediret, secessisse, et quidem sub Nerva; quippe qui, teste Plinio, ex quo secesserat in Campaniam, inde ad mortem usque non esset commotus, ne adventu etiam novi principis, scil. Trajani, ut liquet; ante quem adeo nullus fuerat princeps post Silii secessum, ob cujus novum imperium is commoveri debuisset. Quod insuper probatur ex Martial. XI. 49. 51. II. Ex iisdem Nostri verbis Ep. III. 7. patet, Silium nonnisi post Trajani e Germania reditum obiisse, ac proinde haud ante an. XCIX. et cum novissime tamen secesserat.

Idem de Epist. 21. et ultima ejusd. lib. III. dicendum, qua Plinius Martialis decessum deflet; et quæ adeo ad hunc vel subseq. an. alliganda. Ille sane poëta nonnisi post prædictum Trajani reditum lib. x. ac XI. emendatos contractosque denuo publicavit, circa idem tempus, quo lib. XII. edidit. Nam Epig. 5. hujus lib. ad imperat. ait: 'Longior undecimi nobis, decimique libelli Arctatus labor est, et breve rasit opus,' &c. At vero pluribus lib. x. epigr. vates non modo Trajanum jam imperantem celebrat, sed et ejus legum post reditum latarum meminit. Sic epigr. 34. ad eum principem: 'Di tibi dent quicquid, princeps Trajane, mereris, &c. Qui sua restituis spoliato jura patrono.

Libertis exul non erit ille suis,' &c. Quibus clare significat, Trajanum jam lege cavisse, ne patroni, libertis servisve accusatoribus, in exilium mitterentur, ut ante sub Domitiano fiebat. Hanc autem legem Plinius ceteris Romæ post Trajani reditum sancitis annumerat Pan. cap. XLII.

Deinde Martialem nonnisi an. Chr. C. lib. XII. emisisse, hac argumentatione conficitur. Iste lib. (ex Præf.) editus post 'desidiæ triennium,' quod ab eo tempore, quo vates in patriam secesserat, computandum esse, vel ex ead. Præf. discitur. Atqui Martialis haud ante III. Nervæ consulatum an. Chr. XCVII. initium Roma profectus est, ex lib. XI. epig. 5. (quo Deos pro Nerva precatus, dicit eum nuper consulem III. esse factum,) collato cum epig. 2. ad lectores, (ubi indicat, se hunc lib. XI. præside Nerva in lucem mittere) atque cum epig. I. quo de Parthenio loquitur velut tum in vivis, cum poëta eundem lib. ederet, qui tamen an. Chr. XCVII. ante Trajani adoptionem interfectus est.[g] Quibus inter se collatis cum evincatur, Martialem eo currente an. Chr. XCVII. Romæ adhucdum versantem, prima vice lib. XI. vulgasse: inde quoque comprobatur, poëtam citius eo an. patriam repetere nequivisse. Idcirco cum illud 'desidiæ triennium,' a lib. XI. editione ad XII. divulgationem excurrens, numerandum sit ab eo tempore, quo Martialis Romæ valedicens in patriam secessit: hinc certo sequitur, idem triennium nonnisi hoc an. Chr. C. initio peractum esse; ac proinde lib. XII. cœpisse tum æthereas volitare per auras. Vere porro hujus an. exisse, aliis rationibus alibi probo, quas hic proferre non licet, nec varias hallucinationes de vita et libb. istius poëtæ a cl. H. D.[h] commissas fusius arguere.

Sufficiat ex disputatis patefieri, Martialem haud ante hunc an. etiam adultum, obiisse, dici posse; neque tamen cum cl. viro affirmandum, tanquam ex lib. XII. eum an. Chr. CIII. superstitem fuisse.

[g] Vid. Dion. lib. LXVIII. pag. 770. Plin. Pan. c. V. VI. &c.

[h] Prælect. ad Spart. Hadr. ac Annal. Quintil. &c.

An. Chr. CI. An. Æt. $\frac{39}{40}$.

Trajanus Kal. Jan. consulatum III. iniit, ad quem jam designatus, cum Plinius Paneg. dicebat. Vid. c. LXXVIII. et Fast. Ac proinde nondum Dacicam expeditionem susceperat. Nec illius vel minimam suspicionem suggerit in Paneg. Plinius. Hoc tamen an. ejus initium collocant viri summæ in rebus chronologicis auctoritatis, præterquam illust. Norisius, qui idem in an. seq. rejicit. Illorum vero sententia verior nobis videtur.

Hoc citissimum tempore Plinius illud in Tuscos, et exinde in patriam susceperit iter, ad quod se accingebat, cum Ep. IV. 1. ad Fabatum prosocerum scriberet. Nec enim citius potuerit illud templum perfici, quod in oppido Tiferno Tiberino pecunia sua exstruxerat; et 'cujus dedicationem,' ait, 'cum sit paratum, differre longius irreligiosum est,' &c.

Tum autem Fabatus cupiebat post longum tempus neptem suam Nostrumque una videre, ibid. Ejus scil. neptis ex filio erat tertia Plinii conjux, Ep. V. 12. et VI. 12. VIII. 10. &c. quæ Calphurnia vocabatur, Ep. VI. 4. et 7. VII. 5. mater vero Pompeia Celerina, ad quam Ep. I. 4. et cujus meminit Ep. III. 19. Unde conjicere licet, Plinium hanc uxorem jam ab an. Chr. XCIX. habuisse, quo citissimum, post biennii a novissimæ uxoris morte (quam ad an. Chr. XCVII. ineuntem alligavimus) vacationem, fas Nostro per legem Papiam[1] fuerit aliam ducere.

Si vero Noster hoc an. illud iter in patriam fecerit, postquam dedicationem templi in prædicto municipio celebrâverat, prout constituerat, Ep. IV. 1. ad hunc etiam an. forte spectaverit Ep. III. 6. qua Severo nuntiat, emisse Corinthium signum; ut 'in patria nostra,' inquit, 'celebri loco ponerem, ac potissimum in Jovis templo,' &c. Et paucis post lineis: 'vel ipse,' addit, 'quod mavis, afferam

[1] Vid. Lipsii Excurs. ad Tacit. Ann. lib. III.

mecum. Destino enim, (si tamen officii ratio permiserit,) excurrere isto.' At 'ad paucos dies,' subjungit; 'neque enim diutius abesse me sinunt eadem hæc, quæ nondum exire patiuntur.'

Quodnam fuerit illud officium, certo definire non valemus. Putamus tamen, nec sine veri specie, idem omnino ac illud, de quo Ep. v. 15. ubi, 'secesseram,' ait, 'in municipium, cum mihi nuntiatum est, Cornutum Tertullum accepisse Æmiliæ viæ curam.' Deinde scribit, aliquanto magis eum delectare mandatum sibi officium, postquam par Cornuto datum' videbat; accedere vinculum necessitudinis, cum idem fuerit 'collega in præfectura ærarii et in consulatu;' denique cum nuntius venit, fuisse 'cum prosocero suo, cum amita uxoris, tum amicis diu desideratis;' atque includi 'angustiis commeatus,' &c. Tum igitur Plinius erat in patria cum uxore, quod congruit cum itinere, de quo Ep. IV. 1. et quidem cum jam diu desideratus fuisset, quod illis convenit, quæ ex ead. Ep. et Ep. III. 6. protulimus. Idcirco quid impedit, quo minus asseramus, unum idemque officium esse, de quo hæc Ep. III. 6. et v. 15. loquuntur? Ad hæc Plinius jam consulatu functus cum Cornuto fuerat; ac adeo haud ante hunc an. dici potest, illud officium ei delegatum.

In ejus vero natura definienda nequaquam consentiunt docti; aliis existimantibus, Plinium non secus ac Cornutum Æmiliæ viæ curatorem fuisse; aliis autem urgentibus illud 'par,' quo Noster utitur, indicare videri haud omnino idem utrique officium esse datum; eo magis, quod Plinius in toties citatis inscript. signatur modo: CVRATOR ALVEI TIBERIS ET RIPARVM, ET CLOACarum VRBIS. Atque his nos assentiri profitemur.

Porro cum Noster in patria esset, audivissetque municipum filios Mediolani studere, quod Comi nullos præceptores haberent; patres admonuit, ut præceptores conducerent, promisitque, se 'tertiam partem ejus, quod conferre' municipibus placeret, daturum. Postea reversus, cum ad pauculos dies in Tusculano commoraretur, Tacitum in urbe

versantem rogavit, 'ut circumspiceret præceptores,' Ep. IV. 13. Huc etiam referenda Ep. 30. ejusd. lib.

Eidem forsan an. antequam Trajanus ad bellum Dacicum proficisceretur, alligandum, quod Ep. IV. 22. Plinius narrat, 'se interfuisse principis optimi cognitioni, in consilium assumtum, de gymnico agone apud Viennenses,' &c.

Item quod de Julii Bassi causa tradit Ep. IV. 9. Ille 'a Domitiano relegatus, revocatus a Nerva, sortitusque Bithyniam, rediit reus,' ut Plinius habet ibid. qui eum, postquam contra Marcum et Classicum egerat, tuitus est, Ep. VI. 29. Bassus vero jam reus, at ante quam ejus causa in senatu ageretur, 'principi dixerat, sola se munuscula, duntaxat natali suo, aut Saturnalibus, accepisse et plerisque misisse,' &c. Unde clarum, et tunc Trajanum Romæ fuisse, et post Plinii consulatum rem agitatam, adeoque vix ante hunc an. ad quem hoc ipsum referunt cl. viri Norisius et Pagius.[k] Hic tamen labitur, asserens Plinium, se tum consularem fuisse, cum Bassum defendit, tradere illis verbis: 'post duos, et consulares et disertos,' &c. Ep. IV. 9. 'nempe,' ait Pagi, 'post semet et Lucceium Albinum.' Verum Noster de se hoc loco non loquitur, sed de Pomponio Rufo et Herennio Pollione, qui jam diserte contra Bassum pro Bithynis dixerant, et post quos tamen Theophanes, unus ex legatis, 'tempus sibi laxius vindicavit.'

Igitur sic res ad Bassi proconsulatum spectantes ordinamus, ut arbitremur, eum æstate an. XCIX. Bithyniam petiisse, provinciamanno rexisse, exinde an. Chr. C. adulto Romam rediisse, tandem a Bithynis accusatum, an. CI. a Plinio defensum. Ei vero P. Servilius Calvus proxime successerit, Bithyniamque ad medium hunc an. obtinuerit proconsul, Ep. X. 64. 65. Deinde et hoc an. eandem provinciam sortitus fuerit Rufus Varenus, Ep. V. 20. &c. Quæ ex dicendis ad an. seq. et CIII. illustrabuntur.

[k] Vid. Epist. Consul. p. 69. et Critic. ad an. Chr. 102. § 2. et 7.

An. Chr. CII. An. Æt. $\frac{40}{41}$.

Quin hoc an. Trajanus in Dacia cum exercitu fuerit, dubitare nos non sinit vel Spartianus, qui testatur, Hadrianum 'quæsturam gessisse Trajano IV. et Articuleio Coss.' i. e. an. Chr. CI. 'post quæsturam acta senatus curavisse, atque ad bellum Dacicum Trajanum familiarius prosecutum esse.' Deinde ex lapidum nummorumque inscriptionibus[1] constat, Trajanum in tribunitia potest. VI. quæ hoc an. sub Novemb. initium inchoata, IMP. II. et IIII. esse dictum; atque adeo tum bis imperatorium multiplicasse titulum; qui tamen nonnisi devictis hostibus augebatur. Superatis ergo per legatos et suo ductu Dacis Trajanus IMP. III. et IIII. a victore exercitu salutatus est. Quod cum a senatu confirmatum esset, ille tandem post reditum se passus est in publicis monumentis et nummis IMP. IIII. signari, cum modo TRIB. POT. VI. auspicatus esset, ac adhucdum COS. IV. seu COS. IV. DESignatus V. diceretur. Omnibus autem Fastis testibus Trajanus COS. V. an. Chr. CIII. processit. Equidem Fastos hac in parte emendandos, ac principem illum nonnisi an. Chr. CIV. COS. V. fuisse scribendum, censuerunt cl. vv. Norisius, Fabrettus, et Mediobarbus; quia nempe duo Trajani numismata, quæ priores tractarunt, sic ab adversa parte inscribuntur: TR. P. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. P. P. hæc vero TRibunicia potestas VII. labente autumno an. Chr. CIII. cœpit; quo tempore si Trajanus COS. DESignatus V. anno tantum insequenti Chr. CIV. consul V. fuerit. Verum etsi nolimus Norisii Fabrettique in re nummaria peritiam in dubium revocare; attamen eorum sententiam amplecti nobis non licet ob seq. rationes. I. Quod nullum istiusmodi nummum viderimus, quanquam innumeros fere ejusdem imp. contrectaverimus. II. Quod cl. Vaillantius, qui hac in re peritissimus habetur, parem epigraphen vulgave-

[1] Vid. Gruter. p. 177. 2. 190. 4. Noris. Epis. Consul. et de Epoch. pag. 281. Fabrett. de Col. Traj. c. 9. &c. Pag. Crit. an. Chr. 101.

rit ex nummo, qui postea ad severius examen revocatus, cl. vv. Rainsantio et Morellio apparuit ab imperito artifice adulteratus, ut rem fusius exponit Pagius.[m] III. Quod nos penes D. Lloyd Præstantiss. Episc. Vigorniensis filium dignissimum sæpius num. elegantiss. ær. mediocr. tractaverimus sic signatum ab antica parte: *ΑΥΤΟ. Κ. ΝЄΡ. ΤΡΑΙΑΝΟC CЄΒ. ΓЄΡ. ΔΑΚ.* A postica vero intra lauream cernitur S. C. ac inferius: Є. i. e. an. v. Atqui narrante apud Xiphilinum Dione,[n] Trajanus Romam reversus, Decebali regis Dacorum legatis in senatum admissis, &c. de Dacis triumphavit, et Dacicus appellatus est. Ex quibus verbis docti colligunt, Trajanum nonnisi post istum triumphum hoc Dacici cognomen senatus decreto tulisse. Nec sane nummi TR. P. VI. ac IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. signati eum exhibent titulum. Norisius tamen alium arg. e Museo Mediceo profert a postica inscriptum: DACICUS COS. IIII. P. P. Unde eruditiss. vir recte deducit, Trajanum, antequam iniret consulatum v. cum jam esset COS. DES. V. ex aliis nummis, primum de Dacis triumphum duxisse. Idcirco cum ex illo numismate Græco liqueat, Trajanum jam an. v. (imperii nimirum, prout Græci numerabant, non vero trib. potest.) a 27. Jan. hujus an. Chr. CII. decurrente, *ΔΑΚ.* seu Dacicum fuisse dictum; inde etiam patet, eundem principem jam ante 27. Jan. an. Chr. CIII. quo VI. ejus imperii annus inchoatur, ex Dacia reversum, de Dacis triumphasse, et Dacicum esse appellatum: ac adeo nummos in quibus notatur TR. P. VI. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. seu DACICVS COS. IIII. ad hunc an. VII. desinentem pertinere, quo tempore COS. V. in subseq. an. designatus fuerit. Nec enim Antiocheni nummum nostrum an. Trajani v. adhuc labente cudere potuerunt, nisi Trajanus Novembri, vel summum ineunte Decemb. an. Chr. CII. triumphum duxerit, atque DACICVS ex S. C. Romæ appellatus sit. Quo tamen titulo nondum publice decoratum fuisse, cum jam ab ineunte Novemb. tribun. potest. VI.

[m] Critiç. an. Chr. CIII. § 4. [n] Lib. LXVIII. p. 774.

iniisset, docent nummi supra laudati, in quibus ille GERM. tantum legitur: non secus ac in alio ær. I. M. pulcherr. penes D. Wren juniorem, rei nummariæ amantissimum peritissimumque, a postica signato L. Δ. seu an. Trajani quarto, cum Fortuna stante; ab antica vero: *ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝ ϹΕΒ. ΓΕΡΜ.* Cap. laur.

Illis ita prolixius, ut necesse fuit, expositis, censemus Plinii Ep. x. 9. huic an. alligandam, qua Trajano scribit: 'Victoriæ tuæ, optime imp. maximæ, pulcherrimæ, antiquissimæ, et tuo nomine, et Reip. gratulor,' &c.

Hoc quoque an. jam adulto, at antequam Trajanus e Dacia rediret, Varenus nobis videtur, jam Bithyniæ proconsulatu functus ac Romæ reversus, a Bithynis accusatus, atque a Plinio vindicatus. Etenim Noster Ep. v. 20. 'Iterum Bithyni, post breve tempus (N.B.) a Julio Basso, etiam Rufum Varenum proconsulem detulerunt. Varenum, quem nuper adversus Bassum advocatum et postularant et acceperant,' &c. Quibus collatis cum Ep. IV. 9. ubi dicit, Pomponium Rufum egisse pro Bithynis contra Bassum, clarum erit, I. Rufum Varenum, de quo Ep. v. 20. unum eundemque esse ac Pomponium Rufum Ep. IV. 9. II. Varenum non quidem immediate Basso successisse, cum ille contra hunc jam e provincia reversum egerit, neque tamen duos inter utrumque proconsules fuisse, ut illud 'breve tempus' ac 'nuper' Ep. v. 20. demonstrant. III. Plinium nec Vareni immediatum fuisse in eadem provincia successorem; quippe qui utrumque statim post eorum reditum tuitus. Cum vero hac in causa Varenus peteret, ut 'sibi quoque defensionis causa vocare testes liceret,' id, quanquam recusantibus Bithynis, S. C. concessum est, Ep. v. 20. et VI. 29. quæ mox post istam scripta.

Paulo post, et quidem sequenti senatu, Licinius Nepos, cum de aliis rebus referretur, de illo 'proximo S. C. disseruit, finitamque causam retractavit.' Qua occasione, cum Nepotis oratio displiceret maxime Jubentio Celso prætori, qui eum vehementer increpuit, atque disputatio inter

utrumque reciprocaretur; contigit ut nonnulli eis propitium Cæsarem precarentur, &c. Ep. VI. 5. Unde colligere est Trajanum tunc non interfuisse. Quod et ex Ep. 13. confirmatur; ubi, quæ in eadem causa sunt subsecuta, narrans: 'Bithyni,' inquit, 'S. C. apud consules carpere et labefactare sunt ausi, atque etiam absenti (N.B.) principi criminari: ab illo ad senatum remissi, non destiterunt,' &c. Iterum tamen a senatu impetratum, quod prius petierat Varenus, ibid. At antequam testes vocarentur, fieretque inquisitio, Bithyni accusationem Vareni, ut temere inchoatam, omiserunt; ac de eo Polyænus provinciæ legatus attulit decretum concilii ad Cæsarem, &c. Cum tamen perstaret Magius, (qui prius a provincia contra Varenum missus, Ep. V. 20.) consulibus postularet, 'ut Varenus exhibere rationes cogeretur:' re coram illis agitata, defendente rursus Varenum Plinio, consules, ut Polyænus postulabat, omnia integra principi servaverunt; 'cujus,' ait Noster, 'cognitionem suspensus expecto,' &c. Ep. VII. 6. Ep. vero 10. ad eundem reliqua narrans: 'Acta,' ait, 'causa hinc a Polyæno, inde a Magio. Finitis actionibus, Cæsar, neutra, inquit, pars de mora queretur. Erit mihi curæ, explorare provinciæ voluntatem,' &c.

Ex iis autem cum superioribus collatis discere est, Vareni causam absente Trajano inchoatam, ad ejus usque reditum protractam fuisse; nec multo post tamen imperatorem hoc postremum dedisse responsum, siquidem noluit, ut alterutra pars de mora quereretur; atque adeo hoc ipsum ad hunc an. Chr. CII. desinentem esse referendum; præsertim cum ea verba, modo ex Ep. VII. 6. producta, ostendant Trajanum consulem tum non fuisse, cum consules omnia integra illi principi servaverunt.

Equidem hæc Vareni causa videtur illus. Norisio 'in aliquot annos protracta.'[o] Verum id ex nolentibus vix extorquebit; nec sane quæ jam ex Nostro summatim exposuimus, plusquam menses aliquot requirunt. Inde etiam patet, eum haud accurate satis dicere, 'testes ex Bithynia

[o] Epis. Consul. p. 69. Vid. et Pag. Crit. an. Chr. 102. § 2.

advocatos a Vareno, atque a Bithynis legatos modo contra eundem, modo mutata sententia pro eodem ad Trajanum, tum in Daciam, tum Romam destinatos.' Per nos tamen licebit, Cæsaris rei cognitionem ad æstatem usque an. Chr. CIII. protrahere.

Quis vero Bithyniam post Varenum rexerit, haud certo novimus. Plinius certe ibidem tunc non fuerit, ut qui Romæ degerit, quamdiu illius causa fuit agitata. Sed nihil impedit, quo minus dicamus, ex Ep. x. 113. Anicium Maximum fuisse Vareni successorem, Plinii vero decessorem.

An. Chr. CIII. An. Æt. $\frac{41}{42}$.

Hoc an. quo Trajanum Cos. v. fuisse supra diximus, sub æstatem Plinius videtur evocatus in consilium ab ipso imp. ad Centum Cellas variis per triduum cognitionibus interfuisse, Ep. vi. 31. Etenim de cognitione tertio die indulta narrans: 'Hæredes,' inquit, 'cum Cæsar esset in Dacia, communiter epistola scripta, petierant ut susciperet cognitionem: susceperat. Reversus diem dixerat,' &c. Rursus: 'Indulserat tamen petentibus dilationem; cujus tempore exacto, consederat auditurus,' &c. Tandem locum describens, 'villa pulcherrima cingitur viridissimis agris,' &c.

Hoc etiam circiter tempore existimamus Plinium a Trajano auguratum petiisse, Ep. x. 8. et impetravisse. Arriano enim, qui gratulatus ei fuerat, quod illud sacerdotium accepisset, rescribens Ep. iv. 8. testatur, se Julio Frontino successisse, et quidem postquam consulatu jam functus fuerat. At vero Frontinus Dacico bello interfuit, librumque de agrorum qualitate, &c. absolvit, cum imp. ille 'maximus victoriam Dacicam proxime reseravisset,' ut ipse in Prologo profitetur.

Confidimus et hoc an. circiter medio Plinium in Bithyniam missum; hac in parte lubenter assentientes illustriss. semperque colendo D. D. Episc. Vigorniensi chronologorum facile principi; qui, si Deus votis annuat, propediem suam sententiam invictis propugnabit argumentis. Interim

liceat nostras proferre rationes. At in antecessum Nostri legatio paucis declaranda.

Quamvis Plinii antecessores supra notati eam provinciam sortiti, titulo proconsulum rexerint; attamen Noster in Gruteri inscript. signatur tantum LEGATUS PROPRÆTOR PROVINCIAE PONTI CONSVLARI POTESTATE, &c. Cui congruit, quod Trajanus Nostro scribit, Ep. x. 19. eum 'electum' esse, qui ad provinciales 'sui loco' mitteretur; et quod Plinius Trajano Ep. 40. sibi ab eo 'jus' datum 'referendi' ad imp. de quibus dubitaret; cum proconsules ad senatum referre solerent, ut cujus, populive provincias administrarent.[p] Unde quis non male forsan colligeret, istam provinciam hoc tempore provinciis Cæsaris annumeratam esse; ac adeo in Dionis Excerpt. Val.[q] ubi scribitur, 'Hadrianum, misso in Bithyniam legato proprætore, Pamphyliam illius loco senatui tribuisse,' legendum 'Trajanum, pro 'Hadrianum;' præsertim cum Noster doceat Ep. 12. Trajanum in eandem provinciam ad finem consulatus Cœlium Clementem transtulisse, ut scil. Plinio succederet. Id enim ostendit, Plinium haud extra ordinem eo missum.[r]

Deinde observandum, non solum Ponto, sed et Bithyniæ Nostrum præfuisse, uti passim Epp. lib. x. declarant, et inprimis Ep. 28. Quin et Byzantiorum resp. ejus erat curis demandata, ex Epp. 52. 53.

Cohortibus etiam præerat, Ep. 32. atque sub se legatum, qui Servilius Pudens, Ep. 10. et præfectum oræ Ponticæ, Gabium Bassum, Ep. 18. 32. habebat.

His prænotatis, ut legationis tempus eruatur, I. anni tempestas, qua Noster Roma profectus, tenenda. Julio autem, vel summum Augusto, mense iter suscepisse, ex Ep. x. 26. et 28. intelligimus. Illa Trajano scribit, cum jam Ephesum appulisset, 'quamvis contrariis ventis retentus,' tunc 'destinare partim orariis navibus, partim vehiculis, provinciam petere.' 'Nam,' subjungit, 'sicut itineri

[p] Vid. Sam. Petit. Var. Lect. IV. 3.

[q] Pag. 714.

[r] Consul. Cl. Spanhem. de Præst. Num. p. 566. seq.

graves æstus, ita continuæ navigationi Etesiæ reluctantur.' Etesiæ vero (veri in orientem navigantibus secundi,[s] quique adeo Plinii navigationi Epheso provinciam versus, i. e. ad Septemtrionem, adversissimi erant) flare incipiebant VI. Id. Jul. diebus octo ante Caniculæ ortum, teste Collumella; nec desinebant nisi post dies 40. auctore Plinio Seniore.[t] Dein ex Ep. 28. postquam Noster Epheso vehiculis iter facere cœperat, 'gravissimis æstibus, atque etiam febriculis vexatus, Pergami substitit.' 'Rursus,' ut pergit, 'cum transissem in orarias naviculas, contrariis ventis retentus, aliquanto tardius, quam speraveram, id est, XV. Kal. Octob. Bithyniam intravi,' &c.

II. Mora Nostri in provincia venit animadvertenda, quæ 18. circiter mensium fuisse videtur. Nam cum 17. Sept. ut primum Bithyniam intraverat, natalem Trajani celebrasset, Ep. X. 28. postea solennia vota pro incolumitate principis cum provincialibus et suscepit et solvit, Ep. 44. 45. Quæ de votis III. Non. Jan. pro more susceptis intelligenda, consentiunt viri docti.[u] Eadem vero iterum a Plinio et provincialibus suscepta constat ex Epp. 101. 102. Item bis diem imperii Trajani celebravit, ex Epp. 60. 61. et 103. 104. Equidem doctiss. Pagi ea loca de Quindecennalibus imperii proconsularis, et imperii Augustei interpretatur. Verum id sine teste, et invito Plinio facit. Igitur cum Trajanus imperium susceperit 27. Jan. de eodem die Plinius ibid. intelligendus; ac proinde cum hunc diem secunda vice celebraret, jam in provincia per 16. menses et paucos dies degerat. Nec vero potuerit Plinius ante Martium, mareque apertum provincia abire.

III. Tandem supponendum, per totum illud temporis spatium, quo Noster in provincia moratus, Trajanum Romæ degisse; quod certum ex X. 13. 14. 15. 28. 29. 48. 49. 50. 51. et 82. uti prolixius præstantiss. præsul supra laudatus apud Pagium[v] demonstrat.

[s] Vid. Cæsar. III. Bel. Civ. l. III. Tacit. Hist. II. 98. &c.

[t] Hist. Nat. II. 47. XVIII. 28. 31.

[u] Vid. Pag. Crit. ad an. Chr. 102. § 5.

[v] Crit. ibid. § 8.

Nunc, istis fundamentis præstructis, ad arcem causæ veniendum, ut probemus Plinium in provinciam hoc an. Chr. CIII. missum esse. Id autem his evincimus argumentis.

I. Ex superius de Basso et Vareno dictis constat, non modo utrumque, sed et duos alios procoss. ante Nostrum Bithyniam rexisse; atque Varenum ex provincia reversum, absente Trajano, in Dacia nempe belligerante, reum esse postulatum, ejusque causam ad reditum usque imp. protractam, i. e. ad exitum an. Chr. CII. vel summum hujus an. CIII. initium; denique Plinium jam consulatu functum Basso affuisse, ac post breve tempus Vareno, quousque Trajanus jam redux rei cognitionem susceperit. Igitur Plinius haud ante hunc an. nec alio, potuit in Bithyniam mitti. Nam cum ille Bassum an. Chr. CI. citissimum tuitus sit, atque unus tantum inter Bassum et Varenum procoss. fuerit, Varenusque alium, antequam Nostrum, habuerit successorem; nec tamen singuli plusquam annum provinciæ præesse, pro more procoss. provinciarum populi, potuerint; ita liquet, tres annos tantum inter Bassi proconsulatum atque Nostri legationem intercessisse; qui ab an. Chr. C. medio, (quo tempore procoss. in Bithyniam missos ex Nostri profectione palam fit,) numerati, (alias Varenus nequaquam ante belli Dacici finem ex provincia reverti potuisset,) desinent medio quoque an. Chr. CIII. quo Plinius Bithyniæ proprætor a Trajano creatus omnino fuerit.

II. Cum Plinius Ep. X. 64. scriberet, jam biennium erat elapsum, ex quo S. C. acta Bassi in Bithynia rescissa fuerant; at vero cum ex Epist. tribus tantum intermediis, collocata sit post 60. qua de die imperii Trajani agitur, quem prima vice Plinius in provincia celebravit; hinc colligere licet, illam Ep. 64. circiter V. vel VI. mensibus scriptam, postquam Noster provinciam intraverat. Quinimmo ex Epist. principio haurire fas est, haud multo post Plinii adventum, cum ille semel tantum imperatorem de rebus provincialibus consuluisset, missam esse. Etenim; 'summas,' ait, 'gratias ago, quod inter maximas occupationes,

iis, de quibus te consului, me quoque regere dignatus es: quod nunc quoque facias, rogo,' &c. Idcirco si biennium jam præterlapsum, i. e. cum aliquot mensibus, ab actorum Bassi rescissione, i. e. ab an. Chr. CI. labente computetur, tum necesse erit, ut Plinius an. demum CIII. Bithyniam obtinuerit. Neque vero multum temporis ultra biennium inter illam rescissionem atque Plinii legationem interfuisse, contextus Nostri clare satis indigitat, non secus ac hoc Trajani responsum Ep. 65. 'Qui a Julio Basso in perpetuum relegatus est, cum per biennium agendi facultatem habuerit,...neque id fecerit,' &c. An quæso sic loqueretur Trajanus, siquidem Plinii legatio ad an. Chr. CIX. vel CX. cum cl. vv. Norisio et Pagio esset referenda; atque adeo si relegatus ille a Bassi condemnatione, quam uterque cum an. Chr. CI. connectit, per octo annos, i. e. quater biennium, agendi facultatem habuisset?

Sunt et plura alia, quæ ad nostram sententiam confirmandam, aliorumve confutandam, addere valeremus, si per institutum nunc liceret.

An. Chr. CIII. An. Æt. $\frac{41}{42}$. An. Chr. CIV. An. Æt. $\frac{42}{43}$.
An. Chr. CV. An. Æt. $\frac{43}{44}$.

Itaque sufficiat, ex probatis palam fieri, Christianorum in Bithynia persecutionem sub Plinio propraetore, Ep. x. 97. 98. intra XV. Kalend. Octob. hujus an. CIII. ac vernum tempus an. CV. contigisse. Cui spatio alliganda veniunt, quæ Noster de suæ legationis negotiis scribit lib. x. et quæ hic ordine collocare, nostra epitome non permittit. Mox Cœlius Clemens Plinio successit, Ep. x. 12.

An. Chr. CV. An. Æt. $\frac{43}{44}$. An. Chr. CVI. An. Æt. $\frac{44}{45}$.

Eo anno Chr. CV. quo Noster legatione functus in Italiam rediit, Trajanus iterum in Dacos profectus est, quos σὺν χρόνῳ καὶ μόλις devicit;[w] nec adeo ante seq. an. quo imp. V. dictus, ut signatur apud Gruter.[x] una cum TR. P. VIIII. et COS. V.

[w] Dio l. LXVIII. p. 776.

Id bellum quod Caninius scribere parabat, ut recens Noster Ep. 4. ad illum lib. VIII. memorat: 'Dices,' inquit, 'immissa terris nova flumina, novos pontes' (alludit ad pontem super Danubium a Trajano constructum, a Dione descriptum, et in nummis cernendum) 'fluminibus injectos, insessa castris montium abrupta, pulsum regia, pulsum etiam vita, regem (Decebalum) nihil desperantem. Super hæc, actos bis triumphos: quorum alter ex invicta gente primus, alter novissimus fuit,' &c.

An. Chr. CVII. An. Æt. $\frac{45}{46}$.

Plinius cum venisset in socrûs suæ, Pompeiæ Celerinæ, Ep. I. 4. villam Alsiensem, quæ aliquando Rufi Virginii fuerat, non sine dolore, indignatione, et miseratione vidit 'post decimum mortis annum' reliquias ejus sine titulo, &c. Ep. VI. 10. Virginius autem an. Chr. XCVII. labente decessit, ut ad eum an. ostendimus.

Hic est postremus temporis character certus, qui in Epist. Plinii occurrit, in quo ideo desinemus, cum omnino sit incompertum quo an. Noster obierit; atque cetera, quæ superaddi possint, conjecturis tantum fulta longiorem requirant discussionem, quam hæc epitome patitur; quæ jam bibliopolæ longior, quam par erat, videtur. Alias, si Deus annuat, de Plinii secessu, operibus Poëticis, Epistolarum ordine et editione, &c. prolixius edisseremus.

x Pag. 162. n. 2.

V I T A

C. PLINII CÆCILII SECUNDI,

AUCTORE JAC. DE LA BAUNE.

Anno U. C. DCCCXV. Christi LXII. Neronis IX.

C. PLINIUS CÆCILIUS SECUNDUS, patre L. Cæcilio, et matre Plinia C. Plinii Majoris sorore, nascitur in provincia Transpadana, Novocomi.

Nam quod aiunt Catullum, qui Veronensis erat, a Plinio 'suum' appellari Ep. IV. 27. vehementer errant: neque enim a Plinio, sed a Sentio Augurino eo modo appellatur. Veronenses vero ultima epistola lib. VI. dicit 'suos,' seu quod maternum inde genus duceret, seu quod ejus urbis esset patronus, seu propter Veronæ et Comi viciniam; vel eo sensu quo Ep. VI. 18. ad Sabinum scribens, Firmanos 'suos' appellat, et Catullus epigr. in Ægnatium Transpadanos 'suos' vocat; nimirum ut suum erga Veronam affectum exprimeret; seu demum, ut ait Onuphrius Panvin. de Illustr. Veron. quod adoptatus ab avunculo Plinio Veronensi lege adoptionis, non modo ejus nomen, uti mos erat, acceperit; sed factus sit quoque, itidem ut ille, Veronensis.

Quod enim Majorem Plinium alio errore Novocomensem faciunt nonnulli ex Eusebii loco, cujus hæc verba sunt ab Hieronymo Latine reddita ad annum Trajani duodecimum: 'Plinius Secundus Novocomensis, orator et historicus in-

signis habetur, cujus plurima ingenii monumenta extant. Periit dum invisit Vesuvium;' falluntur illi: nam hic de Juniore Plinio haud dubie agi, ut cetera argumenta desint, hoc unum evincit, quod omnium consensu Major Plinius ad hæc Trajani tempora nunquam pervenit. Atenim Junior Plinius ad Vesuvium non periit. Sit ita sane; sed dicendum cum Arnaldo Pontaco, aut librariorum errore voces aliquot excidisse, cum legendum esset, 'nepos illius qui periit;' aut ab iisdem perperam additum, quod delendum esse; nec in scriptis manu codicibus reperiri testatur Scaliger, nec parum confirmat quod Cassiodorus, Honorius, et Beda, qui hunc locum uti ab iis repertum est, exscripsere, hæc verba non habeant. Quod autem is, de quo agitur hoc loco, Plinius 'historicus' appellatur; nihil hoc prohibet quominus de Juniore Plinio intelligi possit, cum is ipse in elogio quod sub ejus statua cernitur Comi, hoc nomine donetur. Et vero historiam a se conscriptam testari videtur, cum Ep. v. 8. scribendæ historiæ studio flagrare se ait, et Ep. VIII. 4. Caninium docet quomodo belli Dacici historia sit ab eo conscribenda; ac demum Ep. VIII. 3. 13. 15. et IX. 13. 18. 20. conscriptorum a se libellorum complurium mentionem facit. Fortasse Eusebii hallucinatio est Plinium alterum ab altero non satis distinguentis. Fortasse etiam id Hieronymo a quo Eusebius Latinus factus est tribuendum, quem Plinii Junioris Epistolas nunquam legisse inde colligit Josephus Scaliger. Idque ut credat eo magis adduci se ait, quod ante Hieronymum simili errore Sammonicus Serenus deceptus sit, ut apud Macrobium Saturn. II. 12. videre est. Utut est, non mirum si Plinianæ vitæ, quæ ab imperitis Suetonio attribuitur, verus auctor, sequioris, ut ait Scaliger, haud dubie sæculi, atque adeo Hieronymo posterior; non mirum si Macrobius, si nonnulli alii tantorum virorum auctoritate decepti, in eundem errorem impegerunt. Etsi autem in vulgaribus Majoris Plinii editionibus idem error irrepsit, negat esse in veteribus codicibus doctissimus Pellicerius in eo Plinio, quem ejus manuscriptis aliquot notis auctum in biblio-

theca nostra Claromontana servamus. Et vero quomodo in Præfatione sua Catullum, ut omnes sciunt, Veronensem, 'conterraneum suum' vocat, nisi idem fuisset Veronensis? Sic itaque maneat Plinium Majorem Historiæ Naturalis scriptorem Veronensem fuisse; nunc ad Plinium nostrum Novocomensem redeamus.

Cum esset adhuc puer ad Fabium Quintilianum, et Niceam, seu Niceten, ut alii legunt, sacerdotem se contulit, ut ab illo quidem eloquentiæ, ab hoc philosophiæ præceptis imbueretur, Ep. vi. 6. Sic exacta in his studiis pueritia. Vix ingressus adolescentiam a mansuetioribus Musis ad arma se conferens, fuit in Syria tribunus militaris, Ep. i. 10. iii. 11.

An. U. C. DCCCXXXIII. Chr. LXXX. Tit. II. Ætat. XVIII.

Hoc anno cum a matre deductus esset ad avunculum Romanæ apud Misenum classi præfectum, is ix. Kal. Sept. Vesuviano incendio opprimitur, Ep. vi. 16. Tum, ut ipse de se ait Ep. vi. 20. 'annum agebat duodevicesimum.' Ex quo loco manifestum est Plinium nostrum an. Chr. 62. natum esse.

An. U. C. DCCCXXXIV. Chr. LXXXI. Tit. III. Ætat. XIX.

Statim ab avunculi morte Romam redit, ad forenses causas, quam videbat ad honores viam esse tutissimam, animum adjuncturus. Ita ipse de se Ep. viii. 5. 'Undevicesimo ætatis anno dicere cœpi.' Causam, opinor, Julii, seu Junii Pastoris, de qua Ep. i. 18. ad Suetonium, quem ominoso quodam somnio a dicendo deterritum, exemplo suo confirmat: 'Causam,' inquit, 'susceperam, cum mihi quiescenti visa est socrus mea advoluta genibus, ne agerem obsecrare; et eram acturus adolescentulus adhuc; eram in quadruplici judicio; eram contra potentissimos civitatis, atque etiam Cæsaris amicos: quæ singula excutere mentem mihi, post tam triste somnium poterant. Prospere cessit. Atque adeo illa actio mihi aures hominum, illa januam famæ patefecit.' Qua quidem celebritate nominis factum, ut et

unus omnium sæpe eligeretur a senatu, qui afflictarum provinciarum, aliasque id genus illustres causas susciperet, et a variis oppidis patronus optaretur. Ipse Tifernii oppidi meminit Ep. IV. 1. Ita sex ferme annis in foro magna cum laude transactis, primum imperatoris quæstor, tum tribunus plebis factus, Ep. VII. 16.

An. U. C. DCCCXLII. Chr. LXXXIX. Domitiani IX. Ætat. XXVII.

Tribunatum excepit prætura anno antequam per ætatem liceret hunc honorem contingere; quem magistratum Plinius gessit, cum eruditi omnes inprimisque philosophi a Domitiano imperatore pellerentur.

Sub extrema Domitiani tempora, cum Herennio Senecione advocatus datus Bæticis contra Bæbium Massam, qui eos proconsul expilarat, liberius paulo quam temporum conditio ferret, loquitur. Quod ubi audiit Nerva, qui tum Tarenti cum bonis multis, teste Philostrato lib. VII. exulabat, 'missis' illico ad Plinium 'gravissimis literis, non ei solum, verum etiam sæculo gratulatus, cui exemplum,' sic enim scripsit, 'simile antiquis contigisset,' Ep. VII. 33. Ibidem Cornelium Tacitum sibi amicissimum rogat Plinius, ut præclare illud factum historiæ suæ inserat. Eadem libertate usus in accusatione Cæcilii Classici pro iisdem Bæticis, quos itidem iste proconsul expilarat, Domitiani offensionem incurrit. Ipse Ep. III. 9. ad Minutianum: 'Conjectabis ex hoc quantas contentiones, quantas etiam offensas subierimus, duntaxat ad breve tempus. Nam fides in præsentia eos, quibus resistit, offendit; deinde ab illis ipsis suspicitur laudaturque.' Herennius vero Senecio, cum Helvidii viri boni et locupletis, quem imperator ejus bona direpturus ter in exilium miserat, causam suscepisset, reus apud imperatorem factus a Metio Caro Domitiani liberto interficitur, Ep. I. 5. III. 11. VII. 14. Sed et Plinius eandem sortem subiturum se fuisse postmodum agnovit, 'si Domitianus diutius vixisset;' 'nam,' inquit Ep.

VII. 27. 'in scrinio ejus, datus a Caro, de me libellus inventus est.'

An. U. C. DCCCXLIX. Chr. XCVI. Nervæ I. Ætat. XXXIV.

Simul interfecto Domitiano Nerva successit, omnibus, ut ait Dio, inimicos suos accusantibus, Plinius Helvidii, quem olim defenderat, interfecti ultionem suscipit admirabili constantia contra Publicium Certum, qui paulo post vulgatam Plinii in eum orationem morbone, an mœrore decessit. Tum cum hanc causam egit Plinius tristis erat, ut ibidem ait, amissa recens uxore, Vectii Proculi privigna, de qua Ep. IX. 13.

An. U. C. DCCCL. Chr. XCVII. Nervæ II. Ætat. XXXV.

Eo circiter tempore Calpurniam Calpurnii et Pompeiæ Celerinæ clarissimæ fœminæ filiam, L. Calpurnii Fabati equitis Romani integerrimi et opulentissimi viri neptem, ex antiqua Calpurniorum familia, uxorem duxit. Ex neutra conjuge liberos a se susceptos esse docet ipse Plinius Ep. IV. 13. ad Tacitum. Ac de Calpurniæ abortu, dum, ut ait ille, 'se prægnantem esse puellariter nesciret,' cum ipso Fabato prosocero conqueritur, Ep. VIII. 10. Atque hinc est cur jus trium liberorum per Julium Servianum sibi ab imperatore petierit, ut, quod ait ille de Suetonio cui idem jus obtinuit, 'ab ejus bonitate impetraret quod sibi fortunæ malignitas denegasset.' Ea de re gratias agit Trajano Ep. X. 2. Utut est, vixit cum Calpurnia conjunctissime: hujus sermonis suavitatem, et ingenii venustatem laudat Ep. VI. 7. eruditionem vero commendat Ep. IV. 19. ad ejusdem amitam Hispullam: 'Summum est in ea acumen, summa frugalitas: amat me, quod castitatis indicium est. Accedit his studium literarum, quod ex mei caritate concepit: meos libellos habet, lectitat, ediscit.' Cum ea vixit ad Bithyniæ saltem proconsulatum; nam cum esset in Bithynia, excusat se apud Trajanum, quod eam diplomate instructam dimiserit audita Fabati avi sui morte Romam negotiorum

causa properantem Ep. x. 121. Fortasse hoc tempore a Corellio viro gravissimo, et summis magistratibus perfuncto, plurimum una cum Cornuto Tertullo laudatur et apud Nervam commendatur. Itaque hoc ipso anno mense circiter Decembri, cum magnarum in foro rerum gestarum gloria apud bonos omnes floreret, Nerva, non tam Corellii commendatione inductus, quam laudatæ olim a se Plinii integritatis et constantiæ memor, eum ærario præficit una cum Tertullo.

An. U. C. DCCCLIII. Chr. C. Trajani III. Ætat. XXXVIII.

'Nondum Plinius et Tertullus biennium in hoc officio compleverant,' Paneg. cap. XCI. cum uterque ad consulatum, non quidem ordinarium, a Trajano promovetur.

Consul ordinarius erat is ex cujus nomine anni supputatio ordinaretur, id est, cujus nomen in literis, instrumentis, et fastis scriberetur; quique Kalend. Jan. honorem iniret. His qui honoris causa ad aliquot menses, aut etiam dies sufficiebantur, dicebantur 'honorarii.' Turnebus Advers. v. 10. in Suetonii locum de Domitiano cap. 2. 'In sex consulatibus, nonnisi unum ordinarium gessit.' Dio vero lib. XLIII. 'honorarios' consules, qui et 'minores' consules, dicebantur, a Cæsare primum ait institutos an. U. C. 708. Itaque Plinius cum Tertullo honorarius consul suffectus est in mensem Septembrem. In Panegyrico enim gratias agit Trajano, quod consulatui suo attribuisset eum mensem, quem natalis ipsius imperatoris, id est, ejus adoptionis dies, qui quidem in Septembrem cadebat, exornaret.

Tum Plinius agebat annum XXXVIII. Hinc Ep. IV. 8. 'Utinam,' inquit, 'ut sacerdotium idem, et consulatum multo etiam junior quam ille (nempe Cicero) sum consecutus, ita senex saltem ingenium ejus aliqua ex parte assequi possim!' At Tullius anno ætatis 43. (ut a nobis infra observabitur, Pacat. cap. VII.) consulatum adeptus est.

Errant autem qui Plinii consulatum in sequentem annum rejiciunt. Primum enim, duobus post datam ærarii præfec-

turam annis, consul factus est. Deinde Plinius Panegyrici cap. LX. meminit consulatus, quem Trajanus ante annum recusasset: recusavit autem anno imperii secundo. Loquitur etiam de quarto Trajani consulatu tanquam de re sequenti anno futura, quem ipsi quarto imperii anno delatum constat. Restat ergo ut tertio Trajani anno consul factus hanc orationem habuerit. Accedit Onuphrii mecum sentientis auctoritas. Quid quod verisimile non est Trajanum, sequenti anno expeditione Dacica occupatum, huic orationi Romæ interesse potuisse?

Plinius vero habuit hanc orationem non consul tantum designatus, in quo etiam errant aliqui, sed primis consulatus sui diebus, et, ut ipse ait, in consulatu: 'Acturus in consulatu optimo Principi gratias,' &c. Ep. II. 1. Eam autem orationem non brevem illam quidem, quomodo 'ad rationem loci et temporis imperatori dicere necesse habuit;' sed, ut bono civi convenientissimum videbatur, spatiosius postea et uberius, scriptis qualem habemus comprehensam, tribus continuis diebus magno auditorum applausu a se recitatam dicit, Ep. III. 18.

An. U. C. DCCCLV. Chr. CII. Trajani V. Ætat. XL.

Lata lex erat a Julio Cæsare, inquit Dio lib. LIII. in actis anni 726. ne quis majores magistratus continuos acciperet. Igitur Plinius altero post consulatum anno in Bithyniam, a Bassa proconsule direptam, proconsul a Trajano mittitur. Quo post longum iter tandem advenit XV. Kal. Octob. Ep. X. 28. De qua mora sibi 'negat esse conquerendum, cum ipsi contigerit, quod erat auspicatissimum, imperatoris natalem,' ipso adventus sui die, 'ibi celebrare,' Ep. X. 97. Hinc præclaram illam, et Christianæ religioni adeo gloriosam epistolam ad Trajanum scripsit, in qua homo gentilis honorificum de Christianorum integritate testimonium reddit, Ep. X. 97. qua epistola inductus Trajanus data adversus Christianos mandata utcumque mitigavit.

An. U. C. DCCCLVI. Chr. CIII. Trajani VI. Ætat. XLI.

In ea provincia boni ac strenui proconsulis functus est officio: emendavit jura, acta Bassæ rescidit, pristinum Bithyniæ splendorem restituit, refecit ædificia: Nicomediæ aquæ ductus et lacum, Ep. x. 47. et 51. Nicææ balnea et theatrum, Ep. x. 48. Prusæ item balnea instauravit, Ep. x. 60. Quibus rebus ita sibi Trajanum conciliavit; ut auguratum ac jus trium liberorum sibi, amicis vero jus Quiritium, civitatis, trium liberorum, senatoriam, et prætoriam dignitatem impetrarit.

An. U. C. DCCCLX. Chr. CVII. Trajani X. Ætat. XLV.

Plinius data ad Albinum epistola Ep. VI. 10. conqueritur quod Virginii Rufi ante decem annos extincti sepulcrum nondum esset confectum. Et quoniam de Plinio nihil occurrit, neque in ejus epistolis, neque usquam alibi, quod ad posteriora tempora pertineat, et Eusebius duodecimo Trajani anno Plinium extinctum tradat, (quo loco etsi Plinium Majorem significare videtur Eusebius, nonnisi de Minore tamen intelligi posse supra demonstravi,) facile adducor ut credam Plinium hoc anno obiisse.

Fuit in Plinio præstans et amœnum inprimis ingenium, incredibile discendi studium, abundans variarum rerum cognitio. Livii capiebatur eloquentia; Demosthenem, si quid scriberet, perpetuo habebat ob oculos; nec minus Tullii imitandi studio flagrabat. Quod si acutioribus sententiis ac metaphoris plusculum indulsit quam Ciceronis imitatorem deceret, fuit hoc illius ætatis vitium; quam degenerasse et ab optimo dicendi genere defecisse identidem dolebat. Quod autem poëticum quid aliquando sonat ejus dictio, nimirum sua huc illum ferebat indoles: tragœdiam etiam, cum esset adhuc annorum quatuordecim, elegos, epigrammata, et hendecasyllaborum volumen conscripsit, ut ex variis ejus epistolis apparet. Sed nihil horum extat præter

unum et alterum epigramma, ex quibus cetera ejus poëmata licet æstimare, Ep. VII. 4. et 9. Decem epistolarum libros nobis reliquit: nec desunt qui ei librum de Viris Illustribus attribuant, quem alii Suetonio, alii Cornelio Tacito, alii demum Quintiliano ascribunt. Incredibili immortalitatis studio tenebatur, ac ingenii, literarum, ceterarumque virtutum commendatione aditum sibi fecit ad Nervæ Trajanique gratiam, et ad summos quosque magistratus. In quibus gerendis quanta fide, integritate, et prudentia versatus sit, cum ex rebus ab eo gestis, tum ex Trajani ad eum literis cognosci potest. Suetonio Tranquillo amicissimo utebatur, huicque adeo jus trium liberorum a Trajano impetravit. Silium Italicum ætatis suæ, si Martiali credimus, poëtam insignem, hominem triplici consulatu clarum amavit, luxitque defunctum, Ep. III. 7. Martialem abeuntem viatico donavit, a quo elegantissimis hendecasyllabis redonatus est, Ep. III. 21. Fuit ei cum Tacito studiorum commercium, Ep. VII. 20. Ambo mutuam sibi in recognoscendis operibus tradebant operam, et forensem laudem ita inter se partiebantur, ut quoties aliquis in foro singulare aliquod eloquentiæ specimen edidisset, quæreretur 'Tacitus esset, an Plinius?' Ep. IX. 23. Denique nemo vel ingenio vel eruditione hoc tempore præcelluit, qui cum eo conjunctissime non viveret. Quam opulentus esset, testes Thuscus ager, Ep. IV. 6. et V. 6. Laurentinus, Ep. II. 17. Comensis, cujus fontem admirabilem celebrat Ep. IV. 30. sacra ædes apud Tibernum suis sumtibus erecta, plures ad Larium lacum villæ amœnissimæ; quarum alteram, quod esset humili loco, comœdiam, alteram, quod in colle edito esset, tragœdiam, per jocum appellabat, Ep. IX. 7. Ceterum in patriam, et amicos, supra quam dici potest, liberalis fuit. Comensibus in ingenuorum ingenuarumque alimenta, quinquaginta sestertia dedit, Ep. VII. 18. iisdem ad erigendas Novocomi scholas sestertium undecies, Ep. IV. 13. Romano Firmo ad explendum censum equestrem trecenta millia, Ep. I. 19. agrum centum millium nummum nutrici suæ: nubenti Calvinæ in dotem centum millia, Ep. II. 4. Fabii vero Quin-

tiliani magistri sui filiæ Nono Celeri consulari viro desponsatæ, 'dedit quinquaginta millia nummum; plus,' ut ipse ait, 'collaturus, nisi a verecundia Fabii, sola mediocritate munusculi impetrari posse confideret, ne recusaret,' Ep. VI. 32. Metilio vero Crispo municipi suo abeunti quadraginta millia nummum, ad instruendum se ornandumque, Ep. VI. 25.

DE

C. PLINIO CÆCILIO SECUNDO

VETERUM AC RECENTIORUM QUORUNDAM

AUCTORUM

TESTIMONIA.

Comi in exteriori structura templi maximi.

C. PLINIO. L. F. O. V. F. CAECILIO.
SECVNDO. COS. AVG. CVRAT. TIBER.

In semidiruta æde D. Juliani apud Fegium agri Mediolanensis; apud Gruter. p. 454.

C. PLINIO. L. F. OVF. CAECILIO.
SECVNDO. COS. AVGVR. CVR. ALV.
TIBER. ET. CLOAC. VRB. PRAEF.
AER. MIL. Q. IMP. SEVIR. EQ. ROM.
LEG. III. GALL.[a] XVIRO. STL. IVD.
FL. DIVI. T. AVG. . . . . . RCELIENS.

Mediolani in æde S. Ambrosii; apud Gruter. p. 454. et 1028.

C. PLINIVS. C. F. C. N. CAECILLIVS.
SECVNDVS. COS. AVGVR. LEGAT.
PRO. PRAET. PROVINC. PONTI. CON

[a] Cl. J. Masson legit, TRIB. LEG. III. GALL. *Hearn.*

SVLARI. POTESTATE. IN. EAM.
PROVINCIAM. AB. IMP. CAESARE.
NERVA. TRAIANO. AVG. GERMANICO.
MISSVS. CVRAT. ALVEI. TIBERIS.[b]

[b] In not. ad Ep. Plin. IV. 15. clarissimi Buchneri sententiam amplexus sum, qui his inscriptionibus fretus, 'officium par,' quod Plinius Cornuto collegæ suo datum fuisse dicit, de 'cura alvei Tiberis ac ripar.' non autem de cura Viæ Æmiliæ cum Catanæo et Reinesio intelligit. Nec jam aliter sentio, nisi quod suspicio aliqua sit, recentiores esse has inscriptiones quam quibusdam videntur, haustasque fuisse e juniorum incertis traditionibus. Habemus certe Comensium civium in honorem Plinii inscriptionem A. D. MCCCCXCVIII. quam Volaterranus refert lib. XVIII.

C. PLINIO CAECILIO SECVNDO,
QVI CONSVLATV, AVGVRATV, MILITIAE
GESTIS, AC ORANDIS CAVSIS, POEMATIBVS,
ET HISTORIIS CONFICIENDIS,
CAESAREM TRAIANVM AVGVST. LVCVLENTISSIME LAVDANDO, ADFICIENDOQ. IMMENSA
LIBERALITATE PATRIAM SVAM, EIDEM
IMMORTALE CONTVLIT ORNAMENTVM,
ORDO COMENSIS CONCIVI SVO DESIDERABILI,
HONORE ACCEPTO,
MONVMENTVM POSVIT.
M. CCCC. LXXXX. VIII.
CAL. MAII.

FVNCTVS ERAM SED TVM VETERI PRÆCLARVS HONORE:
VIVEBAM, PERII: NVNC QVOQVE VITA MIHI EST.

E cujus latere dextro memoria extat alia C. Plinii Secundi Senioris. Habemus etiam Patavinorum in Livii sui honorem alias satis nuperas. Quin et apud Plinium ipsum tam altum est de honoribus silentium, quos tamen istæ memorant inscriptiones, quam in inscriptionibus altum est de cura Viæ Æmiliæ. Neque hoc prætereundum, reliqua nempe omnia Cornuti officia eadem prorsus fuisse cum ceteris Plinii officiis. Fuerant in ærarii præfectura et in consolatu collegæ, ejusd. scil. non paris duntaxat honoris. Eodem etiam modo in dicta epistola gratulatur quo fuerat olim de 'communi officio' gratulatus. Dixerat in Panegyrico, non minus se Tertulli collegæ nomine quam suo proprio debere. Dixerat ea principem præstitisse ambobus, quæ si tantum in alterum contulisset, ambos tamen æqualiter obligasset. Dicit utrumque collegæ consulatu tanquam iterum suo gaudere. Hac itidem epistola ejus illa verba legimus: 'Exprimere non possum, quanto sim gaudio affectus et meo nomine.' Nempe concordiæ eorum hoc datum agnoscit in Panegyrico. Dicit porro se 'includi angustiis commeatus,' eoque ipso, quod delegatum Cornuto audiret officium, sui admoneri. Sed quorsum hæc, nisi idem fuisset utriusque officium, eodemque tempore ineundum? *Hearn.*

ET. RIPAR. PRAEF. AERARI. SATVRNI.
PRAEF. AERARI. MILIT. QVAEST. IMP.
SEVIR. EQVITVM. . . . . TRIB.
MILIT. LEG. III. GALLICAE . . . . .
X. VIR. STLITIB. IVDICANDIS. THER.[c]
. . . . . . ADIECTIS. IN. ORNATVM.
HS. CCC. . . . . . AMPLIVS. IN. TVTELA.
H-S. CC. T. F. I. . . . . . . ET. LIBERTORVM.
SVORVM. NOMIN. H-S. |XVIII.|[d] LXVI.
DCLVI. REI. INCREMENT. POSTEA.
AD. EPVLVM. PLEB. VRBAN. VOLVIT.
PERTIN. AMPLIVS. DEDIT. IN. ALI-
MENT. PVEROR. ET. PVELLAR. PLEB.
VRB. H-S. . . . IN. TVTELAM. BIBLI-
OTHECAE.[e] H-S. C. . . . .
. . . .

Ipse Plinius Ep. III. 13.

Librum, quo nuper optimo principi consul gratias egi, misi exigenti tibi: missurus etsi non exegisses. In hoc consideres velim ut pulchritudinem materiæ, ita difficultatem; in ceteris enim lectorem novitas ipsa intentum habet:

[c] Priore loco (p. 454.) dimidiam tantum partem, prout etiam Cellarius notavit, Gruterus affert usque ad asteriscum: nisi quod verba, QVÆSTOR IMP. SEVIR. EQVITVM ... TRIB. MILIT. aliter, quam loco altero (pag. 1028.) leguntur, nempe LEG. LEG. VI. GALLIC. hoc est, 'Legatus legionis VI. Gallicæ,' ut possint duæ diversæ inscriptiones videri. Doctiss. autem Jo. Masson emendat: TRIB. LEG. III. GALL. Cl. Veenhusius posteriora plenius exscripsit et puncta quædam supplevit, ut *in alimenta puerorum et puellarum pleb. urb. HS. CCC.* Alibi puncta prætermisit, conjunctis verbis, quæ his defectus signis separata erant. Etiam hoc discrimen utriusque inscriptionis, quod primo prioris versu literæ C. F. C. N. visuntur, quas expressimus: in altera, L. F. OVF. *Hearn.*

[d] Illa XVIII. ita visuntur circumducta, tanquam per errorem marmorarii adjecta. *Hearn.*

[e] Notandum quod quamvis inscriptio hæc Mediolanensis bibliothecæ redditibus locupletatæ meminerit, tamen certum est Comi, non Mediolani, institutam esse a Plinio bibliothecam, et quidem eo ipso consilio institutam esse cum schola bibliothecam, ne cives Comenses deinceps necesse haberent ut juventutem suam Mediolanum mitterent erudiendam. Quod item plane probat inscriptiones hasce dubias esse. *Hearn.*

in hoc nota, vulgata dicta sunt omnia: quo fit ut quasi otiosus securusque lector tantum elocutioni vacet, in qua satisfacere difficilius est cum sola æstimatur. Atque utinam ordo saltem, et transitus, et figuræ simul spectarentur; nam invenire præclare, enuntiare magnifice, interdum etiam barbari solent; disponere apte, figurare varie, nisi eruditis, negatum est.

Iterum Ep. III. 18.

Officium consulatus injunxit mihi, ut reipub. nomine principi gratias agerem: quod ego in senatu cum ad rationem et loci et temporis ex more fecissem, bono civi convenientissimum credidi, eadem illa spatiosius et uberius volumine amplecti: primum, ut imperatori nostro virtutes suæ veris laudibus commendarentur; deinde, ut futuri principes, non quasi a magistro, sed tamen sub exemplo, præmonerentur qua potissimum via possent ad eandem gloriam niti.

Addit deinde:

Per triduum se recitasse amicis hunc librum, i. e. Panegyricum, et valde probasse.

Martialis, X. 19.

Nec doctum satis, et parum severum,
Sed non rusticulum nimis libellum
Facundo mea Plinio Thalia,
I, perfer, &c.[f]

Quintilianus Instit. Orat. XII. 10. hæc celebrium oratorum exempla et characteres ponit.

Hinc vim Cæsaris, indolem Cœlii,[g] subtilitatem Callidii, gravitatem Bruti, acumen Sulpitii, acerbitatem Cassii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sanctitatem Calvi

[f] Posteriora epigrammatis verba Noster epistola ultima libri III. repetiit. *Hearn.*

[g] Nonnulli leg. *Cæcilii.* Hearn.

reperiemus. In his etiam quos ipsi vidimus, copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri, jucunditatem Crispi, sonum Trachalli, elegantiam Secundi.[h]

Macrobius Saturn. v. 1.

Quatuor sunt genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur: breve, in quo Sallustius regnat: siccum, quod Frontoni ascribitur: pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur.

Sidonius Apollinaris I. 1.

Epistolas omnes, retractatis exemplaribus enucleatisque, uno volumine includam, Q. Symmachi rotunditatem, C. Plinii disciplinam maturitatemque vestigiis præsumtuosis insecuturus.

Idem, IV. 3. ad Claudianum, Mamerti, Viennensis Episcopi, fratrem, ut ex Ep. 11. apparet.

Si reare quenquam mortalium, cui tamen sermocinari Latialiter cordi est, non pavere, cum in examen aurium tuarum, quippe scriptus, adducitur, tuarum, inquam, aurium, quarum peritiæ, si me decursorum ad hoc ævi temporum prærogativa non obruat, nec Frontonianæ gravitatis, aut ponderis Apuleiani fulmen æquiparem, cui Varrones, vel Atacinus, vel Terentius, Plinii vel avunculus vel secundus, compositi inpræsentiarum rusticabuntur.

Eodem lib. Ep. 22.

Ego Plinio, ut discipulus, assurgo.[i]

[h] Quem ultimo loco Secundum laudat, Cl. Thomasio videtur Plinius Secundus Cæcilius esse, quem iste non modo discipulum formavit, sed postea etiam florentem eloquentia vidit: quod ex Ep. VI. 32. constare potest. Nec abludit elegantiæ, quem tribuit, character. *Hearn.*

[i] Perpetuus enim imitator Plinii est Sidonius, ut doctissimus interpres Jo. Savaro passim observavit. *Hearn.*

Idem VIII. 10.

C. Plinius pro Attia Viriola[k] plus gloriæ de centumvirali suggestu domum retulit, quam cum Marco Ulpio, incomparabili principi, comparabilem[l] Panegyricum dixit.

Aurelius Cassiodorus in Chronico sub Trajano.

Celsus et Crispinus. His consulibus Plinius Secundus Novocomensis orator et historicus insignis habetur, cujus ingenii plurima opera extant.

D. Erasm. Roterod. in brevissima et compendiaria conficiendarum epistolar. formula.

Esse enim epistolicus stylus simplex debet, ac velut negligentiusculus. Nam est quædam negligentia diligens; exemplo sunt Plinii Cæcilii Epistolæ, acutæ, elegantes, expressæ, in quibus nihil nisi domesticum, quotidianum, sed omnia tantum Latina, casta ornataque leguntur. Cumque sit stylus ille multa arte atque ingenio cultuque subactus et elaboratus, illaboratus tamen pæne, subitus atque extemporaneus videtur.

Et alibi de demonstrativo genere.

Ad hoc genus referendæ sunt Epistolæ, quæ vel laudant aliquem vel vituperant. Ejus generis est Epistola Plinii,

[k] Alii leg. *Accia Variola*. Hearn.

[l] In hoc loco *incomparabilem* legendum videtur: nec tam aut maligne, aut imperite, super eximio hoc scripto Sidonium censuisse. Atenim præfert illam pro Variola, sicut et Ciceronis pro Cluentio, omnibus aliis: non eloquii flore, aut acrimonia; sed inventionum difficultate, et quia in rebus arctis causisque arduis, magis sagax ingenium elucet. Atque de actione pro Variola sic ipse judicat Plinius Ep. VI. 33. ad Romanum: "Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores.' Seu scribis aliquid, seu legis, tolli, auferri, jube, et accipe orationem meam, ut illi arma, divinam.' Et in fine: 'In summa solent quidam ex contubernalibus nostris existimare hanc orationem, iterum dicam, ut inter meas ὑπὲρ Κτησιφῶντος esse.' Baudius refragatur *incomparabilem* legendum esse; nec dubitat, quin palmarium inter Plinii scripta obtineat Panegyricus pro Trajano. *Hearn.*

cujus principium est: 'Si quando Urbs nostra,' &c. Primo Euphratem Philosophum Plinius ab animi bonis eximiisque virtutibus, ut humanitate et eloquentia, deinde a bonis corporis, ut corporis proceritate, decora facie, demisso capillo, ingenti et cana barba; postremo ab externis quanquam leviter et obiter, ut cum dicit: 'Juliani Pompeii clarissimi J. Consulti, et Consulis generum fuisse.' Ejus generis est Epistola apud eundem: 'Petis ut fratris tui filiæ,' &c. Laudat enim Minutium ab honestate morum, clara patria, clarisque parentibus, et ab ea maxime verecundia, qua magistratus plurimos gesserat, dein a facie liberali ingenuaque, a totius corporis pulchritudine et quodam senatorio decore, denique ab amplis facultatibus et maximo censu majorum.

Joannes Lud. Vives de conscribendis Epistolis, cap. de Auctoribus Epistolarum.

Antiquissimæ enim Epistolæ extant Platonis perpaucæ, et Demosthenis: hinc M. Tullii amissæ quidem multæ, sed multæ etiam in hanc usque ætatem reservatæ, in quibus præter verba et dictionem (quibus vir ille ceteros omnes scriptores, Latinos duntaxat, tanto post se intervallo relinquit) plurimum inest et ad respublicas et ad privatas judicii ac prudentiæ. Senecæ Epistolæ volumina sunt de philosophia. Accommodatior ad usum Plinius Cæcilius, eorum præsertim, qui de negotiis privatis, aut rep. non scribunt; nam hujusmodi melior Cicero. Plinius vero succinctus, et festivus, et facetus, et frequens concinnis sententiis, doctis atque acutis ingeniis mirifice est aptus, qui scholasticas inter se mittunt epistolas et umbraticas, ut idem ipse ait, quibus oportet plus ornatus et condimenti adjungi, quando rebus non perinde nituntur.

Gerhardus Joannes Vossius de Hist. Lat. lib. I.

Uti autem Tacitus, ita et, cum ante, tum sub Trajano, inprimis fuit C. Plinius Cæcilius Secundus, Novocomensis,

C. Plinii Veronensis sororis filius, Quintiliani, ut de se ipse[m] testatur, discipulus. Hic a multis auctor creditus est libri de Viris Illustribus. Sed ejus quidem nomine ab Aldo et aliis editus est. Ac similiter Ms. inter alios, qui Oxonii est in bibliotheca Collegii Corporis Christi, atque iterum in collegio Lincoln. ubi et Ms. ejus Epistolæ, et libellus[n] ei præmissus cum hac epigraphe: 'Brevis animadversio de duobus Pliniis Veronensibus oratoribus ex multis hinc inde collecta per Joannem Mansionarium Veronensem:' incipit, 'Plinii duo.' Sed quod ad opusculum de Viris Illustribus, illud esse Sex. Aurelii Victoris diximus superius, cum de Cornelio Nepote ageremus. Videtur interim scripsisse, saltem cogitasse de historia condenda. Sic enim loquitur Epist. v. 8. 'Suades, ut historiam scribam, et suades non solus. Multi hoc me sæpe monuerunt; et ego volo; non quia commode facturum esse confido, (id enim temere credas, nisi expertus,) sed quia mihi pulchrum inprimis videtur, non pati occidere, quibus æternitas debeatur, aliorumque famam cum sua extendere.' Et paulo post: 'Me vero ad hoc studium impellit domesticum quoque exemplum. Avunculus meus, idemque per adoptionem pater, historias, et quidem religiosissime, scripsit. Invenio autem apud sapientes, honestissimum esse majorum vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint.' Item post aliqua: 'Nunc cogita, quæ potissimum tempora aggrediamur. Vetera, et scripta aliis? Parata inquisitio; sed onerosa collatio. Intacta et nova? graves offensæ, levis gratia.' Denique claudit Epistolam his verbis: 'Illud, peto, præstruas, ad quod hortaris, eligasque materiam, ne mihi, jam scribere parato, alia rursus cunctationis et moræ justa ratio nascatur.' Novocomi legitur inscriptio hujusmodi: 'C. Plinio Cæcilio Secundo,' &c. [Vide supra not. [b].]

[m] Lib. II. epist. 14. ad Maximum. *Hearn.*

[n] Integrum mox damus. *Hearn.*

Brevis annotatio [a] de duobus Pliniis Veronensibus Oratoribus ex multis hinc inde collecta per Joannem Mansionarium Veronensem.

Ex duob. codd. Mss. uno Bodleiano, altero Lincolniensi edita.

Plinii duo fuisse noscuntur eodem nomine et prænominibus appellati, hoc titulo: Caius Plinius Secundus Veronensis Orator. In priori Plinio hoc nomen Secundus [b] denotat prænominationem; in altero vero innuit ordinem numeri, ut sit a primo secundus. Junior Plinius titulum habet talem: Caii Plinii Secundi Oratoris Veronensis, Novocomensis; quod novus habitator Comensis fuerit, et præcipue juxta lacum Larium,[c] qui Cumanus dicitur, ubi fundos amplissimos habuit, ut colligitur ejusdem Plinii Minoris Epistola ultima quarti libri ad Suram. Quod autem fuerit Veronensis, ponit libri sexti Epistola ultima ad Maximum. Major Plinius de se ipso dicit quod fuerit patria Veronensis in principio [d] proœmii librorum Naturalis Historiæ; nam introducens [e] exemplum Valerii Catulli Poëtæ Veronensis eum conterraneum suum vocat, scribens ad Vespasianum Augustum.

Fuerunt autem ambo Plinii magni philosophi, et summi oratores ac historici, nobilissimo genere orti, equites Romani et senatores, et ad omnia dignitatum officia meritis exigentibus promoti.

Prior Plinius fuit avunculus Junioris, et ille ex sorore nepos, ut testatur ipse Junior Epist. III. 5. ad Marcum,[f] ubi de primo Plinio sic refert: 'Pergratum est mihi, quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas, ut habere omnes

[a] Titulus deest in cod. Bod.

[b] Vox ista *Secundus* deest in Bod.

[c] In cod. Bod. aliter legitur: *Quod videlicet prænomen Novocomensis potius quam gentile insinuare videtur, quod novus habitator Comensis, et præcipue j. l. L. q. C. d. hic Plinius habitaverit.*

[d] Ita in cod. Bod. sed in Lin. *Major Plinius Veronensem fuisse ostendit in principio.*

[e] *Ubi introducens* legitur in Lin.

[f] *Macrum* in cod. Bod. et sic mox. Vide Epistolam ipsam.

velis, quærasque qui sint omnes: fungar judicis partibus, atque etiam quo sint ordine scripti notum tibi faciam. Est enim hæc quoque studiosis non injucunda cognitio.' Scripsit autem Plinius Major, ut breviter ex præfata Epistola colligitur, 'de Jaculatione Equestri librum unum; de Vita Pomponii Secundi libros duos; Bellorum Germaniæ factorum libros XX.' in arte rhetorica, 'de Institutione Oratoris libros VI. Dubii Sermonis libros octo.' Tempore Neronis imperatoris[g] 'Historiarum a fine Aufidii Bassi libros XXXI. Naturalis Historiæ libros XXXVII.' et multa alia quæ non habentur. De ipso refert Suetonius Tranquillus, et valde miratur quod vir militaribus officiis deditus tanta componere potuit, etiam ratione vitæ.[h] Nam, ut dicit idem Suetonius in libro de Viris Illustribus, dum idem Plinius legiones in Siciliam duceret, eruptione favillarum ab Ætna eructantium præfocatus interiit, anno vitæ suæ LVI. et in Sicilia tumulatur.' Cui consonat Plinius Nepos ejus in præfata Epistola ad Marcum dicens: 'Miraris quod tot volumina, multaque in his scrupulosa, homo occupatus absolverit. Magis miraberis si scieris[i] illum aliquamdiu dictitasse et decessisse anno sexto et quinquagesimo.' De morte vero ipsius quia præsens erat Junior Plinius scribit plenissime ad Cornelium Tacitum Epist. VI. 16.

Plinius Junior, Majoris Plinii ex sorore nepos, sic bonarum virtutum studiis est avunculum imitatus, ut esset idem numero, si non posset in altero. Nam et iste per omnia officia Romanæ urbis est promotus. Consul fuit. Deinde Africæ proconsul, et postmodum præses Hispaniarum. Hic, ut scribunt Hieronymus Beda et Vincentius, Hugo et alii in Chronicis, et Eusebius Cæsariensis libro III. Ecclesiasticæ Historiæ, dum præses esset Hispaniarum, videns Christianos sine causa crudeliter interfici, scripsit imperatori Trajano, ut persecutionem cohibere dignaretur;

g Vox ista *imperatoris* in Lin. desideratur.

h Aliter in Lin. *De hoc refert Suetonius Tranquillus, quod valde miratur, virum militaribus officiis deditum tanta componere potuisse, etiam ratione vitæ.*

i *Si sciens* in Lin.

eo quod nihil contra Romanas agerent leges. 'Hoc solùm invenitur in eis, quod nescio quem Christum, eorum Deum, ut dicunt, antelucanum adorant.' Hic senex Romæ decessit. Scripsit autem et iste libros historiarum a principio mundi usque ad tempus suum LXXVII.[k] in quibus imitatur avunculum, ut de se dicit Epist. V. 8. ad Capitonem; ait enim: 'Me ad hoc studium historiarum impellit domesticum exemplum. Avunculus meus, idemque per adoptionem pater, historias et equidem religiosissime scripsit.' Fecit etiam Plinius iste Epistolarum suarum ad Septitium[l] libros VIII.[m] Librum Virorum Illustrium a Proca Rege Albanorum[n] usque ad Cleopatram in XCVIII. capitulis, secundum ipsorum virorum numerum: in quo vitas ipsorum et merita mirabili et aperta brevitate describit. De tripartitione orbis libros VI. Item in poëmate floruit. Hic, avunculi vitam imitatus et mores, etiam in otio aut scripsit aut legit. Et si erat etiam in venatu seu itinere, sicut et[o] avunculus, notarium habebat, cui equitando dictabat; ut de se dicit, ad Caium Tacitum Epist. I. 6. Hæc et alia Epistolarum ejus libris, et in his quæ superius memoravimus, diligens lector inveniet.[p]

[k] In Bod. est *LXXIX.*

[l] In cod. Lin. *Septimium.*

[m] *Lib. VII.* in cod. Lin.

[n] Vox ista *Albanorum* deest in Lin.

[o] *Quemadmodum et* in Lin.

[p] In cod. Bod. ita: *Hæc et alia in corpore hujus sequentis Epistolarum libri, et in his quæ superius memoravi, diligens lector inveniet.*

VITA

M. ULPII TRAJANI,

AUCTORE JAC. DE LA BAUNE.



Anno U. C. DCCCVII. Christi LIV. Claudii Imp. XIV.

M. Ulpius Trajanus, Ulpius ab avo, Trajanus a Trajo paterni generis auctore, vel potius a Trajano patre appellatus, nascitur VII. Kal. Julii, Italicæ, quæ civitas est Tuditanæ, vel, ut alii legunt, Turditanæ provinciæ in Hispania. Quo factum ut aliqui affinitate nominis decepti existimarint eum Tuderti, quæ urbs est Italiæ, natum.

Adhuc privatus cum esset, ut ex Panegyrici c. LXXXIII. manifestum est, Pompeiam Plotinam duxit, fœminam prudentem et gravem; quam Plinius in Epistolis appellat 'sanctissimam,' sororem, ut Tristanus in Commentariis Historicis suspicatur, aut certe affinem Pompeii Plantæ, illius Ægyptii præfecti, quem Trajanus in Epistolis ad Plinium 'amicum' appellat 'suum.' Fuit illa fortunæ non nimium fidens: quæ, ut refert Dio, palatium ingressa pri-

mum, et adhuc in gradibus consistens, ad multitudinem conversa: 'Talis,' inquit, 'huc ingredior, qualem me exire cupio.' Panegyrici vero cap. LXXXIII. 'Quid illa sanctius? quid antiquius? nonne, si Pontifici Maximo eligenda sit conjux, aut hanc, aut similem (ubi est autem similis?) elegerit? ... Quam modica cultu! Quam parca comitatu! Quam civilis incessu!' Extat de ea nummus, cujus in altera parte puella stans, dextra coronam lauream, sinistra pilum sine ferro præfert. Titulus, 'ara lætitiæ;' quo nimirum sincera bonæ conjugis de marito a Nerva adoptato lætitia significaretur. Extat item nummus alter Plotinæ aræ incumbentis. Titulus, 'ara pudicitiæ;' quo ejus pudicitia commendaretur. His et aliis virtutibus 'incredibile dictu est,' inquit Victor in Juliani Vita, 'quanto auxerit gloriam Trajani; cujus procuratores cum provincias vexarent, illa conjugem corripuit; atque increpans quod laudis esset incuriosus, talem reddidit, ut postea exactiones improbans et detestans, fiscum lienem vocaret, quod eo crescente artus reliqui tabescant.' Nullos quidem Trajano liberos peperit Plotina, sed successorem ipsi providit, Hadrianum; a quo deinde consecrata est.

Soror Trajani fuit Marciana, si Tristano credimus, M. Julii Montani uxor, tum cum Trajanus imperator factus est, jam vidua, eoque senior. Quare de novis nuptiis ab eo tempore non cogitavit. Fuit illius Matidiæ mater, cujus filia Sabina Hadriano imperatori conjux a Plotina data est. Obiit Marciana ante sextum Trajani consulatum, ut ex fornice Anconitano constat: de cujus nomine Trajanus Marcianopolim Mœsiæ urbem appellavit. Ammian. lib. XXVII. Jornand. c. 16. Eidem pro consuetudine Marcianales flaminicæ institutæ. Utriusque, Plotinæ nimirum et Marcianæ, candorem, concordiam, prudentiam, et in deprecando Augustæ nomine, quamdiu Trajanus patris patriæ appellationem recusavit, modestiam laudat Plinius Paneg. cap. LXXXIV.

Trajani vero patrem, etsi 'ex familia magis antiqua, quam clara ortum' ait Eutropius, neque ulla in fastis ejus

mentio est, Plinius tamen multis in locis, aliique Trajani vitæ scriptores patricium appellant, consularem, et triumphalem, id est, qui triumphalia ornamenta consecutus fuerat, Paneg. cap. LXXXIX. Triumphum enim nemini post Agrippam concessum esse observavimus in notis ad eum locum, ubi plura diximus de discrimine triumphum inter et ornamenta triumphalia. Credo is ei honos delatus, post bellum adversus Parthos gestum a Domitiano Corbulone, cui Nero duodecimo imperii anno 'insignia triumphi indulsit,' Tac. Annal. XI. 20. Primarios autem exercitus duces, ut in triumphi, sic et in triumphalium honorum partem solitos venire notum est. Idem, cum Vespasianus an. U. C. 830. ex Parthicis, Illyricis, Germanicisque copiis exercitum contra Judæos contraheret, huic se adjunxit, in eoque bello decimæ legionis præfectus, quam strenue, præsertim in expugnatione Japhæ et Jotapatæ, se gesserit, tradit Josephus de Bello Jud. III. 11. et 16. Utrique bello una cum patre interfuisse minorem Trajanum indicare videtur Plinius Paneg. cap. XIV. 'Nonne incunabula hæc tibi, Cæsar, et rudimenta, cum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augeres?' Et cap. XV. 'Tribunus vero disjunctissimas terras, teneris adhuc annis, viri firmitate lustrasti.' Cap. XVI. 'Tanto magis prædicanda moderatio tua, quod innutritus bellicis.' Et cap. LXXXIX. ad Trajanum patrem cœlo, ut aiebat ille, fruentem conversa oratione: 'Quantam percipis voluptatem, cum illum tribunum, illum militem tuum, tantum imperatorem cernis?'

Quamobrem recte observavit doctissimus Baronius Trajanum hominem externum, Nervæ nullatenus affinem, neque, ut supra dictum est, claro admodum genere, cum ab aula procul abesset, singulari Dei providentia, quod antea Vespasiano et Tito contigerat, ideo provectum esse ad culmen imperii, quod adhuc puer, itidem ut illi, puniendis Judæis operam Deo navasset.

Hoc loco refellendus videtur Joan. Sarisberiensis, Fr. Petrarchæ, aliorumque opinio, qui ex Plutarchi ad Trajanum Epistola, quæ pro supposititia ab eruditis habetur, existimarunt Trajani præceptorem fuisse Plutarchum. Pri-

mum enim vix quinque annis Trajano ætate superior fuit Plutarchus, isque sub Vespasiano vix ullum habebat nomen, si Vossio fides est. Deinde hoc ipso tempore jam Trajanus sub patre militabat. Ejus tamen consiliis semper usus est: hunc, teste Suida, consularibus ornavit fascibus. Atque adeo Hadrianum successorem suum ei tradidit instituendum: cujus opera tantopere et Latinis, et quod magis mirum videbatur, Græcis literis excultus est, ut is postea Græculus imperator, si Spartiano credimus, appellaretur. Cumque Hadriano Trajani cognomen esset, hinc fortasse factum est, ut Plutarchus Trajani præceptor vulgari errore habitus sit.

An. U. C. DCCCXXXIX. Chr. LXXXVI. Domitiani VI. Ætatis XXXII.

Trajanus vir prætorius Hadriani tum decennis tutelam gerit, ut refert Ælius Spartianus, qui, quo anno præturam gesserit Trajanus, non adjecit.

An. U. C. DCCCXLI. Chr. LXXXVIII. Domitiani VIII. Ætat. XXXIV.

Trajanum hoc anno consulem fuisse Domitiano XIV. collega tradit Cuspiniani anonymus. De quo consulatu nullibi præterea mentio est.

An. U. C. DCCCXLIV. Chr. XC. Domitiani XI. Ætat. XXXVII.

Trajanus fit consul Acilio Glabrione collega. Is Acilius, quod notandum videtur, quinto post anno Domitiani jussu leonibus primum expositus in theatro, ab iisque minime læsus, pro Christo interfectus est, ut tradidit Eusebius. Quo anno utrique signa obtigisse tradit Dio, quibus Glabrioni quidem mors, Trajano vero portendebatur imperium.

An. U. C. DCCCXLV. Chr. XCII. Domitiani XII. Ætat. XXXVIII.

Concedit Trajanus in Hispaniam; nam Hadrianus eo fertur apud Spartianum hoc anno abiisse, opinor ego cum

Trajano tutore suo, et velut altero parente, a quo 'non multo post Romam abductus' dicitur, cum scilicet Trajanus ad Germanicum bellum a Domitiano inde cum legionibus evocatus est. Paneg. c. XIV. 'Nec dubito quin ille (Domitianus) qui te inter Germaniæ bella ab Hispania usque ut validissimum præsidium exciverat,' &c.

An. U. C. DCCCL. Chr. XCVII. Nervæ Imp. II. Ætat. XLIII.

Cum Trajanus Germaniæ adhuc præesset, Nerva imperator propter senium spretus, erat enim sexagenario major, et impar regendo imperio, nisi præclari alicujus viri juventute et robore ejus senectus fulciretur; ascendit Capitolium, quam modo Trajanus ad se e Pannonia lauream miserat, in gremio Jovis Capitolini depositurus; et ibi ante pulvinar Jovis, inter aras et altaria, populis nihil tale expectantibus: 'Quod felix,' exclamavit, 'faustumque senatui, populoque Romano, mihique sit, M. Ulpium Trajanum adopto.' Quod incredibili omnium alacritate et plausu exceptum est. Compressi illico prætorianorum tumultus, quos Calpurnius Crassus, et Ælianus Casperius prætorianis præfectus excitarant; aucta Nervæ auctoritas. Verumtamen violatæ a prætorianis majestatis non immemor, Homericum illud, Dione teste, ad Trajanum scripsit, *Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι*, quo eum ad hanc ulciscendam injuriam hortaretur. Atque ut magis excitaret, visum est omnes simul honores etiam absenti conferre, Pan. cap. IX. 'Eidem cum Germaniæ præsideret, Germanici nomen hinc missum ... Jam Cæsar, jam imperator, jam Germanicus, absens et ignarus.' Cap. VIII. 'Simul filius, simul Cæsar, mox imperator, et consors tribunitiæ potestatis, et omnia pariter et statim factus est.'

Hæc adoptio contigit XIV. Kal. Octob. quem diem Plinius Pan. c. XCII. 'triplici gaudio lætum' appellat: 'qui pessimum principem abstulit,' Domitianum: 'dedit optimum,' Nervam: 'meliorem optime genuit,' Trajanum, adoptione illa quasi genitum, et ad imperium evectum.

Hadrianus illico missus in Germaniam superiorem ad gratulandum exercitui Germanico de adoptione Trajani

ducis et præsidis sui. Ita Salmasius explicat hæc Spartiani de Hadriano verba: 'Trajano a Nerva adoptato, ad gratulationem exercitus missus, in Germaniam superiorem translatus est.' Casaubonus vero sic interpretatur, ut Hadrianus, accepto in Mœsia adoptionis Trajani nuntio, statim ab ipso præside, vel ab ipso exercitu missus sit Romam, qui seni imperatori consensum et gratulationem exercitus deferret. Ubi potestate a Nerva ipsi facta in Germaniam superiorem, quo propius a Trajano abesset, sese transferendi, vix eo pervenerat, cum de morte Nervæ audit. Igitur itinere statim in inferiorem Germaniam ad Trajanum converso, gratiam aucupatus læti adeo nuntii, Trajanum invenit apud Agrippinam Coloniam, ubi suscepisse imperium apud Victorem aliosque auctores dicitur.

An. U. C. DCCCLI. Chr. XCVIII. Nervæ III. Trajani XLIV.

Trajanus fit consul secundum, Nerva collega. Nerva autem mortuo VI. Kal. Feb. solus imperat Trajanus. Atque inde ejus imperii anni numerantur, cum tribunitiæ potestatis tempus a XIV. Kal. Octobris anni superioris numerentur. Atque imperium quidem auspicatus est illustri exemplo et pietatis in Nervam, quem statim consecrari per senatum voluit, et singularis humanitatis in senatum, ad quem scripsit, se nullum virum bonum nece aut ignominia affecturum, uti reipsa præstitit, Pan. cap. LVII. 'Secundum' consulatum 'imperator quidem, sub imperatore tamen inisti.'

An. U. C. DCCCLII. Chr. XCIX. Trajani II. Ætat. XLV.

Tertium consulatum recusat Pan. c. LVI. 'Secundum consulatum recepisti, quia princeps et pater deferebat. At postquam ad te imperii summam, et cum omnium rerum, tum etiam tui potestatem Dii transtulerint, tertium consulatum recusasti, cum agere tam bonum consulem posses.' Et mox: 'Hoc ergo honore privatis cessisti.' Itaque contra morem ceterorum imperatorum, 'altero anno ab imperii

auspicio,' ut Sidonius notat Ep. i. 9. 'consulatum ineuntium,' hunc annum aperuerunt privati.

Trajanus sub medium annum, inquit Plinius, e Germania in Urbem redux, Ælianum Casperium seditionis adversus Nervam excitatæ ducem, atque adeo ipsius Nervæ percussorem ad se evocatum puniri morte jubet. Venit ad comitia tanquam candidatus tertii consulatus. Nomen patris patriæ ægre admodum sumit, quod in publicis monumentis nonnisi post sextum consulatum inseri permittit. Dat populo spectacula.

An. U. C. DCCCLIII. Chr. C. Trajani III. Ætat. XLVI.

Cum Trajanus tertium esset consul Cornelio Frontone collega, C. Plinius Cæcilius Secundus et Cornutus Tertullus honorarium consulatum accipiunt in mensem Septembrem. Ille primo consulatus sui die hanc gratiarum actionem Trajano dixit, ut fusius in Vita Plinii demonstratum est.

An. U. C. DCCCLIV. Chr. CI. Trajani IV. Ætat. XLVII.

Trajanus Decebalo Dacorum regi pendi a Romanis tributa ægre ferens, trajecto per pontem Danubio impositum exercitu, illum adoritur, et territum ad petendam pacem adigit. Ita Dio.

An. U. C. DCCCLV. Chr. CII. Trajani V. Ætat. XLVIII.

Decebalus, violatis pacis conditionibus, atque adeo detectis quas sæpe Trajano struxerat insidiis, veritus ne regno amisso vivus insuper ipse caperetur, mortem sibi ipse consciscit. Ita scribit Dio.

An. U. C. DCCCLVI. Chr. CIII. Trajani VI. Ætat. XLIX.

Trajanus mortuo Decebalo Daciam in Romanæ provinciæ formam redigit.

An. U. C. DCCCLVII. Chr. CIV. Trajani VII. Ætat. L.

Trajano post Dacicam victoriam in Urbem revertenti variarum gentium legationes occurrunt; ipse de Dacis tri-

umphavit, et Dacicus dictus est. 120. continuis diebus magnificentissima populo spectacula edidit, ædificia multa instauravit, insignem bibliothecam, quæ ab ejus nomine Ulpia dicta est, excitavit. Celebrem illam columnam erigi jussit 128. pedes altam, ad cujus fastigium per 183. gradus conscenderetur, lucem fenestris 43. præbentibus; quod opus octavo tantum post anno absolutum esse, ex ejus inscriptione patet.

An. U. C. DCCCLVIII. Chr. CV. Trajani VIII. Ætat. LI.

Trajanus Armenis et Parthis bellum indicturus, sive quod, ut ipse dicebat, rex Armenorum non ab ipso, sed a rege Parthorum diadema accepisset, sive potius ut novam gloriæ segetem foris quæreret; in itinere Athenis transiit; ubi Osrhois, seu Cosrhois Parthi legatis cum muneribus sibi occurrentibus in Syria responsurum se esse dixit. Interim Cilicia finitimisque provinciis peragratis Euphratem flumen ponte jungit, et ad Orientis fines progreditur. Ita Dio.

An. U. C. DCCCLIX. Chr. CVI. Trajani IX. Ætat. LII.

Armeniam devictis Parthis recipit. Parthamaspatæ vero eorum regi indignanti, quod depositum ultro ad Trajani pedes diadema non sibi redderetur, commiseratione motus imperium reddit. Ita Eutrop.

An. U. C. DCCCLXV. Chr. CXII. Trajani XV. ætat. LVIII.

Trajano sextum consule absoluta est celebris illa Trajani columna, futurum ejus de Dacis triumphi perenne monumentum. Romæ in medio Trajani foro posita est, ubi hodieque extat.

An. U. C. DCCCLXVII. Chr. CXIV. Trajani XVII. Ætat. LX.

'Optimus' et 'Parthicus' cognominatur, ut scribit Dio.

An. U. C. DCCCLXVIII. Chr. CXV. Trajani XVIII. Ætat. LXI.

Ingens terræ motus Antiochiam pæne subruit. Qua in

ruina plane luctuosa, Pedo hujus anni consul cum infinitis prope aliis obrutus est; ipsum vero Trajanum ignotus quidam inusitatæ et plusquam humanæ magnitudinis prehensum manu, ex ædibus in quibus erat per fenestram eduxit: quod hyeme contigisse refert Petavius. Ineunte autem vere ultra Tigrim, transgressus Adiabenem amnem, Arbella, Gaugamela, inde Babylonem, Ctesiphontem, aliasque urbes expugnat. Quamobrem imperator appellatur. Confirmato ei Parthici nomine, decernit senatus, ut quot vellet, triumphos ageret; et cum alia multa, tum vero arcum triumphalem ei erigi jubet. Ultra sinum Persicum navigabat, iturus ut dictitabat in Indiam, si junior fuisset, cum propter earum gentium quas devicerat defectionem regredi cogitur. Interim cum jam senior deficere viribus inciperet, et imperium Romanum amplitudine sua laboraret, Judæi Cyrenenses omnium primi jugo excusso Romanos atque Græcos cædunt ad CC. M. Hæc ex Dione.

An. U. C. DCCCLXIX. Chr. CXVI. Trajani XIX.
Ætat. LXII.

Iidem Judæi Cyrenenses in Ægypto et Cypro grassati gentilium circiter CCXL. M. cædunt. Sed et Antiochiæ a Martio Turbone, in Mesopotamia et Cypro a Quinto Lucio internecione delentur: quam in insulam appellere etiam tempestate delatis ab eo tempore capitale Judæis fuit. In rebelles reliquos Lucius et Maximus duces a Trajano mittuntur. Hic prælio victus interiit, ille felicior Nisibim recepit, Edessam et Seleuciam incendit. Trajanus autem, veritus ne Parthi quoque aliorum exemplo inducti deficerent, satius esse duxit, suum iis regnum relinquere: atque unum ex iis sibi tamen fidum nomine Parthamaspaten huic regno imponere; inde in Arabiam adversus Agarenos profectus, Agaram primariam eorum urbem oppugnat. Mox tonitru, fulguribus, fulminibus, et grandinibus quasi cœlo pro iis militante ab ejus mœnibus repulsus re infecta discedit; et quidem vulneratus, cum ex canitie et oris majestate agnitus sagittis undecumque appeteretur. Ita scribit Dio.

An. U. C. DCCCLXX. Chr. CXVII. Trajani XX. Ætat. LXIII.

Parthi, rege quem Trajanus dederat Parthamaspate expulso, jugum penitus excutiunt. Quamobrem Hadrianum consobrinum, hoc anno designatum consulem ordinarium, in Syria cum exercitu relinquit, dum ipse in Mesopotamiam trajicere exercitum constituit. Sed morbo correptus iter in Italiam flectere necesse habuit. Quo quidem ingravescente, cum salutis spes nulla superesset, hæredem ascivit Hadrianum. Quanquam negat Spartianus Trajano fuisse unquam in animo Hadrianum adoptare, sed potius Neratium Priscum, cui olim ad bellum proficiscens, 'Commendo,' inquit, 'tibi provincias meas, si quid mihi fatale contigerit.' Fortasse etiam ea in re Alexandro Magno similis esse voluit, ut successorem nullum sibi eligeret. A. Victor addit 'fuisse qui putarent (Hadrianum) Plotinæ Trajani conjugis favore imperium esse assecutum, quæ viri testamento hæredem illum simularet.' Quod quidem Dio a patre suo Aproniano, qui tum Ciliciæ præerat, quique ea omnia certo nosset, accepisse se confirmat. Inprimis Trajani mortem aliquot dies occultam fuisse, dum adoptio rata esset, idque ex literis ejus ad senatum cognitum fuisse: quibus literis non ipse, sed Plotina subscripsit, quod alias factum fuerat nunquam. Addit hoc ideo factum a Plotina et Arriano, seu Tatiano, quod ipsi carus esset inprimis Hadrianus, quodque non procul abesset cum magno exercitu. Ut ut est, Hadrianus Antiochiæ, ubi tum erat, literas adoptionis sive a Trajano, sive a Plotina accipit v. Idus Aug. Postero vero die ad Selinuntem urbem, (Seleuciam Isauriæ vocat Eutropius,) quæ urbs inde Trajanopolis appellata est, Trajanus obit, aut morbo, ut plerique volunt, aut, ut ipse existimabat, veneno. Uni ex omnibus imperatoribus et triumphus mortuo decretus et sepulcrum intra Urbem datum. Ejus cineres in urna aurea procurante Hadriano conditi, et imago Romam triumphali curru magnificentissime invecta, præeunte Plotina, Matidia, et Titiano, bonis omnibus lugentibus: ossa in foro posita sub columna

ab eo dicta, ipse inter Divos ab Hadriano relatus est. Ita scribit Dio, Epit. Vict. Spart. in Hadriano. Quod spectat ad annos Trajani, constat primo eum obiisse anno Chr. 117. quarto Id. Aug. Deinde imperare cœpisse an. 98. sexto Kal. Februarii. Denique imperasse annos 19. menses 6. dies 15. Quo vero anno natus sit, etsi difficile est statuere, sicut et quo ætatis anno imperare cœperit; propterea quod Eutropius ann. 62. menses 9. dies 4. Victor. ann. 64. Euseb. Cassiod. et post illos noster Labbeus ann. 63. menses 9. dies 4. Petav. Briet. ann. 63. mensem 1. dies 15. vixisse illum tradant. Hos postremos secutus sum.

Quod addunt de Trajani anima Gregorii Magni precibus ab Inferis erepta, plane commentitium cuilibet videretur, nisi Joan. Damascenus, cujus auctoritati plurimum tribuendum est, id ipsum tanquam toti orienti et occidenti contestatum referret. Hujus rei meminit Euchologium Græcorum cap. 19. ac Joan. Diaconus in Magni Gregorii vita, ut huic rei fidem faciat, eam aliquot ex Anglicana Ecclesia repetitis testimoniis firmare utcumque nititur. Sed quoniam non satis apparet ex quo vetere scriptore Joannes Diaconus, aut porro Damascenus, Gregorio 150. annis posterior id sumserit, fortasse hæc opinio una fuerit ex iis quæ jactari dicuntur ab omnibus, diligentius examinatæ nullum habent auctorem. Theologi quidem post magistrum sententiarum in IV. dist. 45. id si factum est, explicant quomodo fieri potuerit, sed utrum factum sit, plerique eorum valde dubitant. Plura in hanc rem Baronius.

Fuit Trajanus firmo, proceroque corpore, specie prorsus imperio digna, vultu amabili. Quod autem dotes animi spectat, dubitari potest utrum domi, an militiæ; privatis, an imperatoriis virtutibus, fuerit clarior. In foro assiduus, in castris frequens: hic militaris disciplinæ vindex perpetuus, illic legum defensor comiter severus, nec dissolute clemens: utrobique bonus consul, imperator fortis, sanctus pontifex, et 'talis in suos' (ut dictitabat ille amicis nimiam ejus comitatem accusantibus) 'quales sibi esse imperatores privatus optasset.' Ita Eutrop. Qui prætorii præfecto

gladium porrigens: 'Pro me,' inquit, 'si bene atque ex ratione imperavero, distringes; sin minus, eo ad interitum meum utere.' Dio et Victor. Nemo imperator bellicæ laudis avidior fuit, nemo Romani imperii fines tam late propagavit. Ipse enim ultra Tigrim et Euphratem progressus. Nemo ærarii custos magis sedulus fuit, nemo ad locupletandum fiscum minus attentus, non minus ab aliena pecunia, quam a cædibus abstinens; in ædificiis, in spectaculis, in largitionibus, in conviviis publicis magnificus, parce et contente vivens domi. Constans amicus, nec suspicax. Ita nobilitatem fovens, ut plebem non sperneret. Pius erga Deos, erga parentem modestus, ut statuam non nisi unam alteramve, eamque æream, neque in Jovis Capitolini templo, quemadmodum ceteri imperatores, sed in porticu tantum sibi erigi voluerit. Quibus bellicis domesticisque virtutibus, quam metuendus hostibus, tam civibus suis carus erat. A Dione, fortasse ex odio in Romanum imperatorem Græcis insito, ebrietatis et præposteræ libidinis notatus. Juxta Dionem et Victorem 'parcæ quidem scientiæ, moderateque eloquens.' Juxta Vossium ex Prisciani loco lib. VI. Dacicæ historiæ scriptor fuit. Juxta omnes certe eruditorum patronus. Silium Italicum poëtam ter consulem fecit, Plinio et Plutarcho consulatum dedit: præcipiens Illyricis, ne quid, nisi ex hujus consilio gererent. Ita Suidas. Illi vero Bithyniæ præterea proconsulatum, auguratum, aliosque honores concessit. Ejus commendatione Suetonio jus trium liberorum indulsit. Plin. Ep. x. 96. Dionem Prusæum, insignem sophistam et philosophum, cui sua eloquentia Chrysostomi nomen fecit, ita complexus est, ut in currum triumphalem assumto has voces iteraret: Φιλῶ σε ὡς ἐμαυτὸν, ut scribit Philostratus. Celso Jurisconsulto statuam erigi jussit. Ut de illo non immerito Juvenalis Sat. VII. 'Et spes, et ratio studiorum in Cæsare tantum; Solus enim tristes hac tempestate camœnas Respexit;' et Corn. Tacitus, in Procemio Vitæ Jul. Agricolæ, 'Trajani sæculum beatissimum' dixerit; et 'ejus principatum, uberiorem et securiorem materiam, senectuti sepositam.'

Ita in Proœmio Hist. Ac demum Florus in Præfatione affirmarit 'imperium, quod inertia Cæsarum quasi consenuerat, statim movisse lacertos, et præter spem omnium senectutem imperii, quasi reddita juventute reviruisse.' Merito sane Trajanus appellatus optimus, ut postea in acclamationibus et votis non optaretur princeps 'Trajano melior.' Ac 'talem se præbuisse dicatur, qualem vix ægreque exprimere valuerunt summorum scriptorum miranda ingenia.' Et, 'princeps in quo Dii effecerant, ne quid desideraretur.' Victor Schotti.

Utique nihil ferme in eo desiderandum, si Christianus fuisset. Quod si ejus tempore persecutio contra Christianos commota est, hoc ejus procuratoribus tribuendum, qui quidem severius usi sunt edicto illo, quo hæterias seu conventicula, in quibus ad seditiones excitandas audierat homines novitatis studiosos convenire, inconsultius prohibuerat. Qua de re monitus a Plinio, tum Bithyniæ proconsule, simul et ab eo edoctus, qua essent morum integritate Christiani, ipse persecutionem, ut notat post Eusebium Orosius, rescriptis levioribus mitigavit.

ELENCHUS ALPHABETICUS

NONNULLORUM SCRIPTURÆ COMPENDIORUM QUÆ IN VV. LL. OCCURRUNT.

Acidal.	Valentinus Acidalius, cujus conjecturæ extant in ed. Paris. 1643.
Ald. 1. 2.	Plinii Epist. et Panegyr. ap. Aldum, an. 1508. 1518.
Arntz.	—— Panegyr. curante Joanne Arntzenio, Amstelædami, 1738.
Ascens.	—— Epist. et Panegyr. ex chalcographia J. B. Ascensii, an. 1533.
Baun.	Panegyrici Vett. cum notis Jac. de la Baune in usum Delphini, Paris. 1677. repetiti Venetiis, an. 1728.
Behr.	Christopherus Behrius in Controversiis in Plinii Panegyr. ann. 1700–1702.
Berneg.	Plinii Panegyr. edente Matth. Berneggero, Argent. 1635.
Beroald.	—— Epist. et Panegyr. emend. per Philip. Beroaldum, Venetiis 1501.
Bertin.	Codex Monasterii Bertinensis, quem citat Livineius.
Boxhorn.	Plinii Epist. et Panegyr. edente M. Z. Boxhornio, Amstel. ex offic. Elzeviriana, an. 1659.
Catan. 1. 2. 3.	—————— cum comment. J. M. Catanæi, Mediol. 1506. Venet. 1510. 1519.
Cellar.	—————— Cellarii, Lips. 1693.
Cev.	—— Panegyr. cum notis P. Thomæ Cevæ, Venetiis, 1727.
Chouet.	—— Epist. et Panegyr. Genevæ, ap. Petr. et Jac. Chouet, 1643.
Cratand.	—————— Basileæ, per Andr. Cratandrum, 1626. 1642.
Cuspin.	Panegyrici Vett. edente J. Cuspiniano, Viennæ, 1513.
Delph.	———— cum notis J. de la Baune in usum Delphini, Paris. 1677.
Ed. pr.	Editio princeps, Fr. Puteolani, an. 1476.
Elz.	Plinii Epist. et Panegyr. ap. Elzevir. 1640.
Ernest.	A. G. Ernesti in ed. Gesneri, Lips. 1770.
Exc. Lang.	Excerpta Langii, quibus usus est Livineius.
Exc. Mod.	——— Modii e Bertinensis Monasterii codice.
Exc. Scal.	——— Scaligeri, quæ citat Hearne.
Exc. Voss.	——— Vossiana; nempe lectiones ex variis codd. quas in exemplar Panegyr. Pliniani Traj. ad

Rhen. 1652. retulit Vossius. Plurimas sumsit e cod. Patav. quædam e conjectura notatæ sunt.

Fab. — Plinii Panegyr. cum notis Fabri, Salmur. 1671.

Frischm. — ——— curante Jo. Frischmanno, Argent. 1635.

H. Froben. — ——— Epist. et Panegyr. Basileæ, per Hieron. Frobenium, an. 1552.

J. Froben. — Panegyrici Vett. Basileæ, ap. Jo. Frobenium, an. 1520.

Gesn. 1. — Plinii Panegyr. edente J. M. Gesnero, Lips. 1735.

Gesn. 2. — ——— Epist. et Panegyr. ——— Lips. 1739.

Gierig. 1. — ——— Panegyr. cum notis G. E. Gierig, Lips. 1796.

Gierig. 2. — ——— Epist. et Panegyr. ——— Lips. 1806.

Grut. — Panegyrici Vett. opera Gruteri, Francof. 1607. 1611.

Gryph. 1. 2. 3. — Plinii Epist. et Panegyr. Lugduni ap. Sebast. Gryphium, ann. 1531. 1539. 1542.

Gud. 1. — Liber Gudianus prior; nempe ed. H. Stephani, an. 1591. cujus margini variantes lectiones ascripsit Marquardus Gudius.

Gud. 2. — Liber Gudianus alter; nempe ed. Gruteri, an. 1607. cujus margini variantes lectiones allevit idem Gudius, quæ maxime consentiunt cum lectt. codicis Guelph.

Guelph. — Codex Guelpherbytanus, chartaceus.

Hack. — Plinii Panegyr. cum Notis Varr. ex offic. Hackiana, Lugd. Bat. 1675.

Hearn. — ——— Epist. et Panegyr. edente Thoma Hearne, Oxon. 1703.

Herzog. — M. Jo. Christ. Herzogius in ed. Cellarii, Lips. 1711.

Junt. — Plinii Epist. et Panegyr. Florentiæ ap. Juntam, an. 1515.

Kirch. — ——— Paneg. edente G. C. Kirchmaiero, Wittemb. 1689.

Lips. — ——— cum comment. Just. Lipsii, Antverp. an. 1600. 1604. et Traj. ad Rhen. 1652.

Livin. — Panegyrici Vett. edente Jo. Livineio, Antverp. ex offic. Plantiniana, an. 1599.

Livinian. — Codex membranaceus ejusdem Livineii.

Nav. — Panegyrici Diversorum per Paul. Navium, Venetiis ap. Gryphios, an. 1576.

Paris. — Codex Parisiensis, membranaceus, in Biblioth. Reg., cujus variantes lect. exhibuit Schwarzius.

Parisienses, — Panegyrici Vett. Puteani, Paris. 1643. 1655.

Patarol. — ——— edente Laur. Patarol, Venet. 1719.

Patav. — Codex Patavinus, membranaceus, in Biblioth. Monasterii S. Justinæ dicati, quem citat Schwarzius.

Philomus.	Plinii Panegyr. edente Jac. Lochner Philomusio, Nurimburgæ, an. 1520.
Plant.	———— ex offic. Plantiniana, ann. 1600. 1604. 1622.
Putean.	Panegyrici Vett. Puteani, Paris. 1643. 1655.
Puteol.	———— Franc. Puteolani, sive Editio princeps, an. 1476.
Rhenan.	———— ex recensione Beati Rhenani, Basil. per J. Froben. 1520.
Ritter.	Conradus Rittershusius, cujus conjecturæ extant in ed. Paris. 1643.
Rivin.	Plinii Epist. et Panegyr. necnon alii Panegyr. Vett. cura Ardr. Rivini, Lips. 1650.
Roth.	Plinii Panegyr. opera Alb. Christ. Rothii, Hal. Sax. an. 1695.
Salisb.	Codex Salisburgensis, membranaceus, quem citat Schwarzius. In margine habet variantes lectiones ex alio codice.
Schæf.	Plinii Epist. et Panegyr. Schæferi, Lips. 1805.
Schwarz.	Christ. Gottl. Schwarzius in ed. sua Panegyrici Pliniani, Norimb. 1746. cujus textum exhibendum curavimus.
Schwarzian.	Codex Schwarzii in membranis nitide scriptus. Præter Plinii Panegyr. ceteros quoque Panegyricos Vett. Lat. complectitur.
Sichard.	Plinii Epist. et Panegyr. ad vetustissimum exemplar emend. curante Jo. Sichardo, Basil. 1542.
H. Steph.	Plinii Epist. ejusdem Plin. Pacati et aliorum Panegyrici ap. Henr. Stephanum, an. 1591.
P. Steph.	Plinii Epist. et Panegyr. aliique Panegyr. Vett. cum comment. Catanæi, ap. Paul. Stephanum, an. 1601.
R. Steph.	———— Rob. Stephani, an. 1529.
Vatt. 1. 2. 3. 4.	Quatuor codices Vaticani, membranacei, No. 1475. 1775. 1776. 3461. cujus variantes lect. exhibuit Schwarzius.
Venett. 1. 2.	Duo codices Veneti, membranacei, quorum prior extat in Biblioth. D. Marci, alter in Biblioth. Monasterii PP. Ord. Dominicani, DD. Apostolis Joanni et Paulo dicati, asservatur. Citantur a Schwarzio.
Venet. 1498.	Editio hujus anni Veneta, quam laudat Arntzenius.
Vet. Livin.	Veteres Livineii membranæ.
Voss.	Liber Vossianus, sive Excerpta Vossii.

C. PLINII CÆCILII SECUNDI[a]

CONSULIS

PANEGYRICUS[b]

NERVÆ TRAJANO AUGUSTO DICTUS.[c]

SYNOPSIS PANEGYRICI.

In Exordio primum reddit rationem cur initio Deos precetur: quod hæc instituta sit a majoribus consuetudo, quam nemini ait potius quam sibi observandum, cap. I. Quia consulem decet religio, quia laudat optimum Principem, qualis Deorum munus est, cap. II. Quia inprimis Trajanus a Diis datus, cujus adoptio ante Jovis pulvinar in Capitolio facta. Deinde ostendit hanc laudationem non tam ut Principi serviliter obsequatur a se susceptam, quam ut senatusconsulto pareat; utque boni principes, quæ facere debeant, in laudatis Trajani virtutibus recognoscant. Quare abesse oportere adulationis suspicionem. Hæret in commendatione ejus humanitatis, cap. III. Hucusque exordium. Distributio videtur hæc esse: I. Vita Trajani publica. II. Vita ejusdem privata laudatur, cap. IV.

I. Pars. Universas Trajani laudes primum ponit sub uno aspectu, quas postea sigillatim persequatur. Adoptatur a Nerva, cap. V. Quam gratus erga eum fuerit, cap. X. Quam metuendus esset hostibus, cap. XII. Quam carus et venerabilis militibus suis, cap. XIII. Traducta in bello prima ejus pueritia, cap. XIV. Jam tum signa dedit victoriarum ab eo referendarum. Plinius quasi vaticinans triumphum describit, cap. XV. Trajanus disciplinam militarem emendat, cap. XVIII. Romam redit, cap. XX. Patris patriæ appellationem accipit a senatu, cap. XXI. Describitur placidus ejus reditus, cap. XXII. Romam redux primum tributa remittit: congiaria, donativa, alimenta dat, cap. XXV. Ubertatem in Urbem invehit, cap. XXVIII. Inde Ægypti sterilitati succurrit, cap. XXX. Ludos dat populo, cap. XXXIII. Delatores punit, cap. XXXIV. Vicesimale tributum temperat, cap. XXXVII. Testamentis securitatem inducit, cap. XLIII. Bonis et maxime nobilitati favet, cap. XLIV. Censoris nomen recusat, cap. XLV. Literarum studia promovet: honorem dicendi magistris habet. Ejus co-

mitas et humanitas, cap. XLVII. In publicis ædificiis ejus magnificentia, domi frugalitas, cap. L. Tanto major ceteris imperatoribus, quanto illis modestior, cap. LII. Secundum consulatum admittit sub Nerva, cap. LVI. Quo mortuo, jam sui juris factus, tertium recusat, cap. LVII. Exoratus tandem a republica eum suscipit anno sequenti, servatis tamen, quasi in privati hominis electione, comitiorum legibus, cap. LIX. In tertio consulatu nobiles viros promovet ad magistratus, maxime quos provinciæ commendarent, cap. LXIX. Quam fuerit comis in candidatos, in cives, cap. LXXI. Quas acclamationes modestia meruerit, cap. LXXIV. Assiduus in foro, ibi omnes boni consulis partes agit, cap. LXXVI. Rogatur, ut quartum consulatum accipiat, cap. LXXVII. Quicquid superat ab reip. rebus otii, non luxu aut desidia consumit, sed venatione ceterisque corporis exercitationibus impendit, cap. LXXXI.

II. PARS. Hactenus qualis in imperio fuerit: nunc qualis in privata vita. Laus Plotinæ Trajani conjugis, Marcianæ sororis, quas exemplo suo instituit, cap. LXXXIV. Quanta esset in colendis amicitiis ejus constantia, cap. LXXXV. Quanta ipsius procuratorum integritas, cap. LXXXVII. Neque libertis plus quam par esset tribuit: ob quæ omnia merito dicitur optimus a senatu, cap. LXXXVIII.

In fine compellat Nervam et Trajanum patrem; quibus de filii virtutibus gratulatur, cap. LXXXIX. Senatores; a quibus dicendi munus sibi impositum erat, cap. XC. Trajanum Imperatorem; cui et pro se et pro collega gratias agit, cap. XCI. Custodes imperii Deos, præcipue Capitolinum Jovem, quem orat pro æternitate imperii et Principis, cap. XCIV. Iterum senatores, quibus obsequium et reverentiam pollicetur, cap. XCV.

CAP. I. 1. BENE ac sapienter, Patres Conscripti,[d] majores

Panegyricus habent omnes codd. et antiq. edd. 'Nescio an hoc nomen ipse actioni suæ ac libro posuerit Plinius. Certe non colligas ex Ep. III. 18. quæ epistola præfationis instar ad hunc librum est, et ante eum legenda.' *Gesner.* 'Hanc *Gratiarum Actionem* non recte *Panegyricum* dici, et Theodor. Marcilius ad Sueton. Vesp. cap. 2. et Ger. Voss. Inst. Orat. I. 5. ostendunt. Hoc tamen nomen Berneccerus ex materia, loco, dicendi genere tuetur, quanquam non neget aliquid satiricum admixtum esse, dum ita laudat optimum principem, ut acriter perstringat, qui antecesserunt, malos.' *Hearne.*

CAP. I. 1 Exc. Voss. *majores nostri.* Gryph. 1542. et H. Steph. in marg.

NOTÆ

[a] *C. Plinii Cæcilii Secundi* [*Novocomensis*] Novocomum sive Novum Comum Italiæ Transpadanæ civitas in Insubria ad lacum Larium, Comum primo dicta, ac post ejus instaurationem, Novocomum: hodie *Como.*

[b] *Panegyricus*] Subauditur 'sermo.' Panegyricæ orationes primum dictæ sunt, quæ habebantur in Panegyri; id est, in ludis ac celebritate totius Græciæ; sed postquam ejusmodi orationum consuetudo exolevit, quæcumque in laudem principis, aut etiam cujusvis privati hominis, sive in senatu,

instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium, a precationibus capere: quod nihil rite, nihilque providenter, homines, sine Deorum immortalium ope, consilio, honore, auspicarentur.[e] 2. Qui mos cui potius, quam consuli? aut

ut, quemadmodum rerum agendarum. Mox, *a precationibus caperetur* Beroald. Catan. Cuspin. R. Steph. Ald. 1508. 1519. Gryph. 1542. Junt. al. vett. et Barth. Adv., LXVII. 17. *a p. caperent* Voss. codd. Vatt. Gud. 2. et Guelph. *capere* codd. Schwarz. Rhenan. 1520. et aliæ deinceps edd. *nihil recte* Baun. '*Nihilque providenter*] Schæferus ait, præstare lect. a Longolio ad Plin. Ep. x. 42. laudatam, *nihil rite, nihil providenter.* Equidem nollem asyndeta in uno, eodemque brevissimo, verborum ambitu cumulari.' *Gierig. nihil rite, nihil prov.* codd. Vatt. Paris. Venet. Salisb. Schwarz. et Guelph.—2 Venet. 1.

NOTÆ

sive in aliquo alio nobili consessu fierent, dictæ sunt Panegyricæ. Immo, si Tullio et Quintiliano credimus, suasiones ipsæ, et quæcumque oratio ad delectationem comparata abesset a civili strepitu, Panegyrici nomen obtinuit. Hæc quidem oratio *Gratiarum Actio* dicenda potius videtur; tum quod Plinius ait cap. IV. 'Senatusconsulto' sancitum fuisse, ut 'sub titulo gratiarum agendarum' hujusmodi orationes haberentur; tum etiam quod Ausonii ad Gratianum principem pro accepto item consulatu oratio, inscripta est non *Panegyricus*, sed *Gratiarum Actio*. Ut hic tamen *Panegyricus* dicatur, facit cum Apollinaris Sidonii auctoritas, tum quod antiquæ omnes, ac novæ editiones hanc inscriptionem habent.

c *Trajano Augusto dictus*] Ab Octaviano Cæsare, qui omnium primus 'Augustus' cognominatus est, invaluit deinde consuetudo, ut ceteri imperatores 'Augusti' dicerentur. Mos autem fuit apud Romanos stante republica, ut novi magistratus populo statim gratias agerent. Ita referunt Plutarchus in Æmilio, Tullius initio Agrariæ. Verum postquam imperatores traxerunt ad se jura populi pæne omnia, atque inprimis creandorum consulum, tum gratiarum actiones, quæ antea populo fieri solerent, sibi ab iis quos consules fecissent fieri voluerunt, facto, ut ait Plinius cap. IV. ea de re senatusconsulto; cujus quia nusquam alibi, quod sciam, mentio est, quo tempore factum sit, incertum est. Igitur Plinius a Trajano imperatore consul una cum Cornuto Tertullo designatus, ut huic sive consuetudini, sive senatusconsulto satisfaciat, hac oratione Trajano in senatu gratias agit.

d *Patres Conscripti*] Senatores *patres* dicti sunt, vel 'ætate,' ut ait Sallustius, erant enim seniores; vel 'curæ similitudine.' Nam eam reipublicæ, quam patres suæ familiæ, curam habebant. *Conscripti* vero primum dicebantur ii, qui, ut certum numerum explerent, ad alios ascribebantur: postea uno et eodem nomine omnes æque senatores dicti sunt *patres conscripti*.

e *Auspicarentur*] Id moris erat apud veteres, ut nihil ferme nisi Deos precati, atque adeo captatis auspiciis, inciperent. De qua consuetudine videri potest Tullius pro Rabir. et de Divin. lib. II. et Val. Max. II. 5. Atque hinc factum est ut 'auspicari' dixerint pro 'incipere.' Auspi-

quando magis usurpandus colendusque est, quam cum imperio senatus, auctoritate reipublicæ, ad agendas Optimo Principi gratias excitamur? 3. Quod enim præstabilius est, aut pulchrius munus Deorum, quam castus, et sanctus, et Diis simillimus, Princeps? 4. Ac, si adhuc dubium fuisset, forte casuque rectores terris, an aliquo numine, darentur; Principem tamen nostrum liqueret divinitus constitutum.[f] 5. Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Jove ipso, coram ac palam *repertus est; electus quippe* inter aras et altaria,[g] eodemque loci,[h] quem Deus ille tam manifestus ac præsens, quam cœlum ac sidera, insedit. 6. Quo magis[i] aptum piumque est, te, Jupiter optime[j] maxime, antea conditorem,[k] nunc conservatorem,[l] imperii nostri,

colendusque, quam, omisso *est*. *Senatus, aut Reip.* codd. Voss. et Patav. ex compend. scribendi. 'Recepta scriptura sanior est.' *Arntz.*—3 Voces *et sanctus* desunt in Hack.—4 *At si adhuc* Venet. 1. *ac aliquo* cod. Schwarz. Pro *liqueret*, Guelph. *liquet*, ex solito errore, cum nota illa, qua literæ *er*, vel *re*, exprimuntur, properantes librariorum oculos effugeret, de quo infra cap. VIII. n. 2. codd. Vatt. etiam, *liquet*. Salisb. *divinitus institutum*.—5 Codex Schwarzii, *repertus electus quippe*, *&c*. Paris. *repertus, electus est quippe*, *&c*. Guelf. *repertus confirm. electus est quippe*, *&c*. Patav. *repertus electus est: quippe*, *&c*. P. Steph. Chouet. et Arntz. *repertus. Electus est quippe*, *&c*. Ald. Elz. Delph. Hack. et Hearn. *repertus, electus est. Quippe*, *&c*. Schwarz. Heuman. Gesn. Gierig. et Schæf. *repertus est; electus quippe*, *&c*. 'Possis etiam propius ad codicis fidem legere, *repertus est, lectus*. Verbum *est* prima sua litera scriptum, evanido, qui imponi solet, apice, adhæsit ad sequens vocabulum tanto facilius, cum *electus* optime huc conveniat, et sit usitatius.' *Gesn.* Paris. *eodemque loco*. Mox, *quo Deus ille t. m. ac præsens cum cœlum*, *&c*. Exc. Voss.—6 Codd. Venet. 1. Salisb. edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Venet. 1501. Aldd. Cuspin. Rhenan. Baun. et aliæ quædam edd. vett. *Jupiter optime*, omisso τῷ *maxime*.

NOTÆ

cari autem, seu auspicia consulere, est aves, aut potius avium volatum, inspicere.

[f] *Divinitus constitutum*] De hac Trajani electione diximus in ejus Vita.

[g] *Inter aras et altaria*] Differunt. *Aræ* enim Diis superis, æque et inferis; *altaria* vero Diis tantum superis consecrabantur. Sic Servius in illud Virgilii Ecl. v. 64. 'En quatuor aras: Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phœbo.'

[h] *Eodemque loci*] In Capitolio.

[i] *Quo magis*] Deorum invocatio est, qua non poëtas tantum, sed et oratores uti solere, docet Quintil. in Præfat. lib. IV.

[j] *Optime*] Ant. Schonovius ex veteri codice addit *maxime*; itaque est in edit. Lugdunensi.

[k] *Conditorem*] Annon Romæ conditor Romulus? sane; sed eo sensu id intelligendum est, quo apud Virgil. Æn. XII. 829. Jupiter dicitur 'rerum repertor,' licet alii quoque Dii multarum rerum usum invenerint. Quia

precari, ut mihi digna consule,[m] digna senatu,[n] digna Principe, contingat oratio; utque omnibus, quæ dicentur a me, libertas, fides, veritas, constet; tantumque a specie adulationis[o] absit gratiarum actio mea, quantum abest a necessitate.

CAP. II. 1. Equidem non consuli modo, sed omnibus civibus, enitendum reor, ne quid de Principe nostro ita dicant, ut idem illud de alio dici[p] potuisse videatur. 2. Quare abeant ac recedant voces illæ,[q] quas metus exprimebat: nihil, quale antea,[r] dicamus: nihil enim, quale antea, patimur: nec eadem de Principe palam, quæ prius, prædicemus: neque enim eadem secreto loquimur, quæ

CAP. II. 1. *E quibus non consuli* Patav. *sed omnibus enitendum* Venet. 1. *sed o. civibus enitendum* omnes alii codd. et edd. 'J. A. Ernestio Plinius aut *videndum* dedisse, aut non recte scripsisse videtur; requiri enim hic notionem cavendi. Immo bene scripsit Plinius. Cf. Cic. Off. I. 33. Leg. Manil. 8. Nostr. v. 17.' *Gierig*. Codex Schwarz. *dici posse*.—2 Excerpta Scaligeri in marg. ed. Stephani: *Quare habeant et valeant voces*. Quatuor codd. Vatt. *habeant ac recedant;* Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. et Cuspin. etiam, *habeant*. Livin. *nihil, q. antea dicebamus;* Grut. ex codd. antiq. restituit: *nihil, q. a. dicamus:* Guelph. ap. Arntzen. *nihil q. a. dicemus;* Guelph. ap. Schwarz. *quale antea dicimus;* Venett. et Salisb. *quale antea dicamus;* non paucæ edd. ap. Schwarz. *ante;* et sic edidit Arntz. Vulgg. ap. Hearn. *nihil enim q. ante patimur;* codd. Venett. et Salisb. *quale antea patimur*. Nonnulli libri excusi hic etiam habent *ante*. Mox, particula *palam* deest in Guelph. et omnibus codd. Schwarzii; item in edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Aldd. Catan. et Livin. Eam prodidere Cuspin. Gryph. Sichard. Plant. Gruter. Boxhorn. Bernegger. al. Vat. 4. *quæ prius prædicamus;* Beroald. *quæ prius prædicemus*. Deinde Voss. Paris. et Venett. *secreto quæ prius loquimur;* et sic edd. Gryph. et Sichard. *quæ prius, secreto loquimur* codd. Vatt. Salisb. et Guelph. *Secreto quæ prius loquimur*] 'Verbis

NOTÆ

nempe nihil ejusmodi fit sine Jovis ope atque consilio. Quid quod Romæ conditor dici potest, qui ejus conservator fuerit, cum Romuli fugientem stitit exercitum?

[l] *Nunc conservatorem*] Postquam spreto propter affectam ætatem Nerva, nutans eam ob rem imperium ad Trajanum per summam bonitatem transtulisti.

[m] *Digna consule*] Plinium fuisse tum consulem, cum hanc orationem dixit, in ejus Vita ostendimus.

[n] *Digna senatu*] Quem intueor. Unde patet orationem hanc habitam in senatu.

[o] *A specie adulationis*] A suspicione adulationis. Nota hujus loci artificium: amolitur a se quantum potest adulationis suspicionem.

[p] *De alio dici*] Martial. x. 74. de Trajano: 'Hoc sub principe, si sapis, caveto Verbis, Roma, prioribus loquaris.'

[q] *Voces illæ*] Adulatoriæ.

[r] *Quale antea*] Sub Nerone, Domitiano, ceterisque malis principibus.

prius. 3. Discernatur orationibus nostris diversitas temporum, et ex ipso genere [s] gratiarum agendarum intelligatur, cui, quando, sint actæ. Nusquam ut Deo nunc, nusquam ut numini, blandiamur. Non enim de tyranno,[t] sed de cive; non de domino,[u] sed de parente, loquimur. 4. Unum ille se ex nobis, et hoc magis excellit atque eminet, quod

quæ prius hunc locum e codd. Paris. Venet. Voss. et edd. Gryphii et Sich. assignavimus. Vulgo in fine periodi, contra Latinarum periodorum formam, posita leguntur. Schæferus cum Vaticc. Salisb. et Guelph. malit, *quæ prius, secreto.* Is quoque ordo bene se habet. Mihi vero aliter placet, quia et in priore membro *palam* præcedit.' *Gierig.*—3 Pro *diversitas temporum*, properantiæ vitio vel memoriæ *felicitas temporum* legit Nerius Annal. II. 27. Exc. Voss. *ut ex ipso genere;* R. Steph. *et ipso genere.* Codex Livin. *cui quando sint hactenus quoniam ut Deo ut Numini blandiamur.* Cusp. *cui quando sint hactenus quam ut Deo, nunc nusquam ut N. blandiamur.* Livin. conj. *cui, quando sint actæ. Nusquam ut Deo nunc, nusquam ut Numini, &c.* Ita quoque Lipsius, approbante Grutero. Puteol. 1476. Venet. 1498. Ald. Ascens. Catan. Hack. et al. sequentes: *cui quando sint hactenus ut Deo, nunc nusquam, &c.* Voss. 1. *cui quando sint habendæ, qui se ut Deo nusquam, &c.* Voss. alter recentior: *cui quando sint hactenus: quoniam ut Deo nusquam ut numini blandiamur.* Scaligerus vulg. tuetur, sed aliter distinguit: *cui quando. Sint hactenus ut Deo. Nunc nusquam, &c.* Lipsii et Livin. emend. exhibent Elz. Put. Delph. et Hearn. Pro *Deo* Arntz. conj. *domino.* Vide Nott. Varr.—4 Guelph. Exc. Scal. Gud. 1. et Vatt. 2. 4. *quod unum putat,* omissis voc. *ex nobis.* Quædam

NOTÆ

[s] *Ex ipso genere*] Ita emendarunt hunc locum Lipsius et Gruterus. Sensus vero est: Ex hoc gratiarum agendarum genere intelligatur, cui principi, et quo tempore sint actæ gratiæ. Nullo hujus orationis loco ipsi, sic tanquam Deo, adulemur. Si quis tamen malit textum, uti legitur in aliis editionibus, hunc repræsento: *Cui quando sint hactenus ut Deo, nunc nusquam ut numini blandiamur.*

[t] *Non enim de tyranno*] Confert Trajani humanitatem cum Domitiani arrogantia. 'Neque enim bonum virum proprie et copiose laudari sine virtutum, nec improbum notari ac vituperari sine vitiorum cognitione satis insigniter atque aspere posse,' testatur Cicero de Orat. II. 349. *Tyranni* autem vox in bonam partem accipiebatur pro quocumque rege. Unde illud Æneid. VII. 266. 'Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.' Sensim tamen abiit nomen illud in invidiam, ut violentum dominatorem significaret.

[u] *Non de domino*] Suetonius: 'Appellationem illam odiosam Augustus exhorruit.' Sic etiam Tiberius cuidam se dominum vocanti succensuit, vetuitque ne hoc deinceps nomine compellaretur. Non ita verecundus fuit Domitianus, qui 'dominus,' et, quod extremæ dementiæ est, 'Deus' appellari voluit. Hanc Trajani modestiam, nomen illud 'domini' aversantis, notat Martial. x. 72. 'Frustra, blanditiæ, venitis ad me, Attritis miserabiles labellis: Dicturus dominum, Deumque non sum: Jam non est locus hac in urbe vobis, Non est hic dominus, sed imperator.'

unum ex nobis, putat; nec minus hominem se,[v] quam hominibus præesse, meminit. 5. Intelligamus ergo bona nostra, dignosque nos illius usu [w] probemus, atque identidem cogitemus, *quam sit indignum,* si [x] majus principibus præstemus obsequium, qui servitute civium, quam qui libertate, lætantur. 6. Et populus quidem Romanus dilectum Principum [y] servat; quantoque paulo ante concentu [z] formosum alium,[a] hunc fortissimum,[b] personat: quibusque

edd. *quod unum se ex nobis putat.* Facilis erat repetitio e prioribus.—5 Gud. 1. et Exc. Scal. *illius usu præbeamus.* Lipsius conj. *illis,* probantibus Grut. et Perizon. *illi* Arntz. et Gesn. in Emend. ad J. A. Ernesti. '*Illis,* quod Lipsius suasit, probavit Gruterus, receperunt Baun. Patarol. Gesn. valde se commendat. Utamur felicitate, quæ nobis contingit, usque illo ipso probemus nos ea dignos. Sed Schwarzius propter codd. consensum tuetur *illius.*' Gierig. Mox Grut. conj. *atque i. rogitemus.* Codd. et edd. fere omnes: *atque i. cogitemus, si majus principibus, &c.* Livin. ex uno Cuspiniani libro legit: *atque i. cogitemus, quam sit indignum, si majus, &c.* quam lect. recepere Arntz. Gesn. Schæf. Gierig. alii. Beroald. et Catan. *Principibus præstamus;* Paris. *Principibus præstemus auxilium.* Plant. et aliæ edd. Lipsianæ ap. Schwarz. *lætamur;* omnes libri ap. Arntz. *lætemur.*—6 Omnes codd. ap. Schwarz. Etz. Putean. Hack. et al. plurimæ edd. *dilectum principem;* Lips. Livin. Schoen. et Lips. in marg. sui cod. *dilectum principum;* quam lectionem receperunt Boxhorn. Cellar. Delph. Hearn. Arntz. Gesn. Gierig. Schæf. et recentt. *delectum principem* edd. antiquiss. *dilectum in principe* conj. Baudius. Mox, *paulo ante contentu* Guelph. et Exc. Voss. *p. a contemtu* codex Schwarzii.

NOTÆ

[v] *Nec minus hominem se*] Absimilis Alexandro, qui se Jovis Hammonis filium haberi: Augusto, qui sibi Flamines decerni: Caligulæ, qui Deorum statuis caput suum imponi: Neroni, qui Apollo dici: Domitiano, qui dominus Deusque appellari voluit.

[w] *Illius* [*illis*] *usu*] Id est, utendo, ut par est, his bonis, haud indignos nos iis esse ostendamus. In aliquot editionibus est, *illius usu.*

[x] *Cogitemus, quam sit indignum, si* [*cogitemus, si*] *Si* pro 'an.' Terent. Heaut. I. 3. 'Visam si domi est.' Propert. lib. III. 'Illa mihi referat, si nostri mutua cura est.' Horat. I. Ep. 2. 'Inspice si possum donata reponere lætus.' Livineius ex Cuspin. codice legit, *Cogitemus, quam sit indignum, si, &c.*

[y] *Dilectum Principum* [*P. principem*] Lege cum Lipsio, *dilectum principum servat.* Id est, populus quidem Romanus scitapte discernere, quibus principibus, et quanta laus debeatur.

[z] *Concentu*] Bene admodum plausus ille 'concentus' dicitur. Nam, ut ait Tacit. Annal. XVI. 4. 'In plausibus illis theatralibus, plebs certis modis, plausuque composito personabat.' Fuit hæc ars malorum imperatorum, atque inprimis Domitiani, ut robustos quosdam juvenes ad plausum sibi dandum certis in theatri partibus disponeret.

[a] *Formosum alium*] Domitianum puta, 'quem pulchrum ac decentem fuisse,' ait Suetonius.

[b] *Hunc fortissimum*] Robustissimum. De Trajani robore Dio et Victor.

aliquando clamoribus gestum alterius, et vocem;[c] hujus pietatem, abstinentiam,[d] mansuetudinem,[e] laudat. 7. Quid nos ipsi? divinitatem Principis nostri, an humanitatem, temperantiam, facilitatem, ut amor et gaudium tulit, celebrare universi solemus? Jam, quid tam civile,[f] tam senatorium, quam illud additum a nobis Optimi cognomen?[g] quod peculiare[h] hujus et proprium arrogantia priorum Principum fecit. 8. Enimvero, quam commune,[i] quam ex æquo, quod felices nos, felicem illum, prædicamus? alternisque votis, hæc faciat! hæc audiat! quasi non dicturi, nisi fecerit, comprecamur? Ad quas ille voces lacrymis etiam, ac multo pudore, suffunditur. Agnoscit enim, sentitque,[k] sibi, non Principi,[l] dici.

Particula *que*, in his, *quibusque aliquando, &c.* omittitur in codd. quatuor Vat. Gud. 1. et Salisburgensi; in quo vero eadem manu margini ascripta est.—7 *Quod nos ipsi* Guelph. et Vat. *Quid? nos ipsi divinitatem, &c.* conj. Arntzenius. Gud. 1. *aut humanitatem.* Vatt. 2. 4. ac Guelph. *universi prædicare solemus.* Mox, *optimum cognomen* Guelph.—8 *Hæc faciet* Vatt. *quasi non audituro* Heumann. *lacrymisque ac pudore multo, &c.* Guelph. *pudore multo* etiam Vatt. Mox, *sensitque* codex Schwarzii; *sentitque* deest in codd. Vatt. Guelph. et Salisburgensi; quanquam in hoc ex correctione addatur.

NOTÆ

[c] *Gestum alterius, et vocem*] Neronem intelligit, qui in arte histrionica exercitatissimus vocem suam 'divinam' dici, et 'cœlestem' volebat: Sueton.

[d] *Abstinentiam*] Dio: 'Abstinebat ab aliena pecunia, non minus quam ab magnis cædibus.'

[e] *Mansuetudinem*] Notum illud Ausonii Epigramma: 'Comis hic in cives Trajanus, at hostibus asper,' &c. Amicis eum culpantibus, quod nimis erga omnes comis esset, respondit: 'Talem se imperatorem esse privatis, quales esse sibi imperatores privatus optasset.' Ita Eutrop.

[f] *Tam civile*] Tam dignum bono cive.

[g] *Optimi cognomen*] Si Dioni, Zonaræ, et veteribus nummis fides est, cognomen illud non ante subactam Armeniam Trajano additum est: hoc est, anno ejus imperii nono. Quid ergo? utrumne errarunt illi, an noster Plinius? Conciliari poterunt, si dicamus, hoc quidem anno Optimi cognomen ei a senatu inditum; verumtamen non ante Armeniam subactam in titulis fuisse usurpatum.

[h] *Peculiare*] Adeo ut ad Valentiniani usque tempora imperatoribus acclamari solitum sit: 'Felicior Augusto, Trajano melior.' Eutrop.

[i] *Quam commune*] Quam communis est et illi et nobis felicitas, quam prædicamus! *Felices nos*, quod hunc imperatorem habeamus. *Felicem illum*, quod tot tantisque ornatus sit virtutibus. Idque alternatim optamus: *hæc faciat*, qualia huc usque fecit: *hæc audiat*, qualia hucusque a nobis audiit; nempe laudes, quas pro concessa nobis ab hu-

Cap. III. 1. Igitur, quod temperamentum omnes in illo subito pietatis calore[a] servavimus; hoc singuli quoque, meditatique, teneamus: sciamusque, nullum esse, neque sincerius, neque acceptius, genus gratiarum, quam quod illas acclamationes æmuletur, quæ fingendi non habent tempus. 2. Quantum ad me pertinet, laborabo, ut orationem meam ad modestiam Principis moderationemque summittam;[b] nec minus considerabo, quid aures ejus[m] pati possint, quam quid virtutibus debeatur. 3. Magna et inusitata Principis gloria, cui gratias acturus, non tam vereor, ne me in laudibus suis parcum, quam ne nimium, putet. Hæc me cura, hæc difficultas sola, circumstat.[n] 4. Nam merenti gratias agere, facile est, Patres Conscripti: non enim periculum est,[o] ne, cum loquar de humanitate, exprobrari sibi[p] super-

[a] *In repentino illo acclamationum nostrarum æstu.*
[b] *Deprimendo accommodem.*

Cap. III. 1 Codd. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Patav. item edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Cuspin. Aldd. Gryph. 1531. *calore servamus;* Livin. in margine ex ed. Lugdun. *c. servabimus.* Forte fuit mendum typographi; quanquam alioqui nihil insolens, *b* et *u* permutari. Codex Schwarz. *c. ferveamus.* Pro *meditatique*, quod servant codd. Vatt. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Patav. Puteol. 1476. Venet. 1498. Ald. Elz. Delph. al. *meditati* Paris. Exc. Voss. Catan. R. et H. Steph. Cellar. et Hearn. Mox, *nullum nec sincerius, nec acceptius* Catan. Paul. Steph. et Chouet. Paulo post, codd. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Patav. Exc. Voss. Beroald. Catan. Aldd. Rhenan. Philomus. Gryph. Ascens. H. et R. Steph. et Arntzen. *æmulemur.* Nostram lectionem jam in lucem protulit Cuspin. eandem retinent Livin. Lips. et Gesn. Codex Salisb. *quæ fugiendi.*—2 *Quod ad me attinet* in textu habet Livin. in margine vero *pertinet* ex cod. suo et nonnullis edd. Hoc verbum *pertinet* confirmant omnes codd. Schwarzii, multique impressi; Beroald. autem, Ald. Junt. R. Steph. et Gryph. retinent alterum, *attinet.*—3 '*Principis gloria*] Vox *gloria* perperam omissa est in cod. Vat. 4. quam ceteri omnes habent.' *Schwarz.* Beroaldus, *non tantum vereor.* Exc. Voss. *quam nimium putet.* Venet. *Nec me cura hæc difficultatis;* Guelph. et Salisb. *Hæc mea cura, hæc difficultas;* sed in Salisb. *mea* in *me*, ex correctione mutatur.—4 Gesnerus interpungit: *circumstat: nam . . . Patres conscripti, non, &c.*

NOTÆ

manissimo principe libertate, non daremus, nisi iis dignus esset.

[k] *Sentitque*] Forte inducenda est illa vox.

[l] *Sibi, non Principi*] Suis virtutibus, non principis dignitati.

[m] *Quid aures ejus*] Teretes et religiosæ, quæ quicquid assentatorium est, respuunt. Sic Horat. de Augusto Sat. II. 1. 'Cui male si palpere, recalcitrat.'

[n] *Circumstat*] Urget, premit.

[o] *Non enim periculum est*] Quam scite velut aliud agendo virtutes Tra-

biam credat; cum de frugalitate, luxuriam; cum de clementia, crudelitatem; cum de liberalitate, avaritiam; cum de benignitate, livorem; cum de continentia, libidinem; cum de labore, inertiam; cum de fortitudine, timorem. 5. Ac ne illud quidem vereor, ne gratus ingratusve videar, prout satis, aut parum, dixero. Animadverto enim, etiam Deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate, lætari; gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen,[q] intulerit.

CAP. IV. 1. Sed parendum est senatus consulto,[r] quo ex utilitate publica placuit, ut Consulis voce, sub titulo gratiarum agendarum, boni Principes, quæ facerent, recognoscerent; mali, quæ facere deberent. 2. Id nunc eo ma-

Hæ quatuor voces, *cum de continentia, libidinem*, prætermissæ sunt in Guelph. —5 *Ac ne illud quidem* Guelph. et Gud. 2. *Animadverti* in iisdem. *Et Deos ipsos* Paris. et Salisb. 'Livineius *ipsos* in contextu neglexerat, sed in suis codd. addi monuit in margine.' *Arntz.* *gratioremque ex iis* Salisb. a pr. manu: alia, deletis vocibus *ex iis*, in margine rescripsit *existimari.*

CAP. IV. 1 *Sed parendum*, omisso *est*, Guelph. '*quod ex utilitate publica placuit* codd. Paris. Venet. Patav. meus, liber Vossii. In impressis etiam Puteolanus, Navius, Sichardus, et nunc Arntzenius, qui omnem difficultatem sublatum iri putat, si modo *quod* exponatur per 'quia.' Codices tamen Vaticani habent *quo*; quod etiam Livineius, Lipsius, et alii, prodidere. Liber Vossianus a prima manu habuit *quod*; sed hoc deinceps in *quo* mutatum est; haud secius Gryph. 1531. *quo*; Gryph. 1542. *quod* edidit. Cum, in nota ad hoc caput, referrem, in codice Guelph. legi *qui*, suspicatus sum, legi debere *cui*; in quam conjecturam nunc quoque incidit Arntzenius. Atque hæc confirmatur auctoritate codicis Salisburgensis, in quo diserte exaratum est: *cui ex utilitate publica placuit*. Quæ lectio mihi placet præ *quo* et *quod*.' Schwarz. Mox, pro *placuit*, Nic. Heinsius in ora sui codicis conj. *statuit*, vel *cavit*.—

NOTÆ

jani omnes enumerat.

[p] *Exprobrari sibi*] Ut mali principes qui, dum laudantur, sua sibi vitia tacite exprobrari, ac sua ulcera illo sale defricari, aut suspicantur, aut suspicari debent.

[q] *Meditatum carmen*] Παθητικῶς sumitur, ut in Terent. Phormione: 'Meditata mihi sunt omnia incommoda.' Tullius Off. I. 4. 'Leviora enim sunt ea quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea quæ meditata et præparata inferuntur.' Ovid. Met. IX. 105. 'Verba meditata componere.'

[r] *Senatus consulto*] Quandonam factum sit, nullibi, quod sciam, proditum est. Fortasse sub Augusto, qui multa nova in remp. induxit.

gis solenne ac necessarium est, quod parens noster privatas[s] gratiarum actiones cohibet et comprimit; intercessurus etiam publicis, si permitteret sibi vetare, quod senatus juberet. 3. Utrumque, Cæsar Auguste, moderate: et quod alibi tibi gratias agi non sinis; et quod hic sinis. Non enim a te ipso[t] tibi honor iste, sed ab agentibus, habetur. Cedis affectibus nostris; nec nobis munera tua prædicare, sed audire tibi, necesse est.[c] 4. Sæpe ego mecum, P. C. tacitus agitavi, qualem, quantumque, esse oporteret, cujus ditione nutuque maria, terræ, pax, bella, regerentur: cum interea fingenti formantique mihi Principem, quem æquata Diis immortalibus potestas[d] deceret, nunquam voto saltem concipere succurrit similem huic, quem videmus. 5. Enituit aliquis in bello;[u] sed obsolevit in pace. Alium toga;

[c] *Neque necesse habemus laudare tua beneficia, sed tu eorum prædicationem audire.*
[d] *Dignitas par Deorum immortalium potestati.*

2 Voss. *si permitteretur et sibi vetare;* Patav. *si permitteret et sibi vetari;* Guelph. *si permitteret sibi, vetaret.* Vid. Nott. Varr.—3 ‘Patav. et Exc. Voss. *et hic sinis.* Sed melius τὸ *quod* repetitur.’ *Schwarz.* Mox, codex Schwarzii, *sed agentibus;* unde ille conj. *non enim a te, ipsi tibi honor iste, sed agentibus, &c.* Guelph. *ab agentibus agetur;* Beroald. *sed ab a. haberetur.* ‘*Sed agentibus habetur*] Cum permittis tibi gratias agi publice, ea in re non tibi habes honorem, sed nobis qui agimus. Plana sententia, sed quam obscuraverat inculcata temere *ab,* cum legeretur: *Non enim a te ipso tibi honor iste, sed ab agentibus habetur.* Ejecimus itaque præpositionem Schwarziani libri auctoritate. Idem vir doctissimus malit, *non enim a te ipsi tibi,* non *ipso:* recte sane; et erit plenior oppositio.’ *Gesn.* ‘Honor ille non tibi, sed, si rem vere spectes, senatoribus, per consulem gratias *agentibus,* quorum decretum non dedignaris, habetur. Male vulgo, *ab agentibus.* Pro *ipso* Schwarz. conjicit et Gesn. laudavit, *ipsi.* Equidem suaserim, *non enim re ipsa tibi.* J. A. Ernest. mallet: *non enim tibi iste honor, sed a te agentibus habetur.*’ Gierig.—4 Patav. *mente mea P. C. tactus cogitavi.* Vat. 4. et Guelph. *qualem ac quantum.* Venet. *esse oporteat.* Venet. 1498. et Beroald. *bella gerentur;* Catan. Ald. Junt. Philomus. in margine, R. Steph. Navius, Cratander, et Livin. *bella gerantur;* Vatt. 1. 2. 3. 4. Venett. 1. 2. Patav. Salisb. Guelph. Schwarzianus, Exc. Voss. Gud. uterque, Puteol. 1476. aliæ antiq. Livin. in marg. et recentt. *bella regerentur;* Froben. 1552. *bella regantur.*—5 *Emicuit aliquis in bello* Catan. et al. vett. *Enituit aliquibus in bello* cod. Paris. *sed absolevit in pace* Vatt. et Guelph. *sed abolevit in pace* cod. Patav. et Exc. Voss. *obsolevit* alii codd.

NOTÆ

[s] *Privatas*] A privatis hominibus factas, rejecturus etiam, quæ a consule fieri solent reip. nomine, si, &c.

[t] *Non enim a te ipso*] Non enim aucuparis, et quasi emendicas hunc honorem; sed is pæne tibi invito offertur.

[u] *Enituit aliquis in bello*] Sudant hic

sed non et arma, honestarunt. Reverentiam ille terrore; alius amorem *humilitate*, captavit. Ille quæsitam domi gloriam, in publico; hic in publico partam, domi, perdidit. Postremo adhuc nemo extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur.[e] 6. At Principi nostro, quanta concordia, quantusque concentus, omnium laudum, omnisque gloriæ, contigit! Ut nihil severitati ejus hilaritate; nihil gravitati, simplicitate; nihil majestati, humanitate, detrahitur! 7. Jam firmitas, jam proceritas corporis,[v] jam honor capitis, et dignitas oris; ad hoc ætatis indeflexa maturitas,[w] nec sine quodam munere Deum, festinatis senectutis

[e] *Nulla vitiorum affinitate corrumperentur.*

cum edd. Puteol. 1476. Catan. et recentt. Pro *humilitate*, quod servant Exc. Voss. codd. Livin. Gud. Schwarzianus, cum edd. Catan. Cuspin. Gryph. H. Steph. et al. *humanitate* legitur ap. Put. 1643. Elz. Delph. Hack. et Hearn. *humilitate* præferunt etiam Baudius, Heum. Schæf. Gierig. Arntz. et recentt. ‘ Ut gravitatis, qua alias paratur reverentia, excessus terror est, sic humanitatis, comitatis, benignitatisque, humilitas. Recte igitur post alios e suo codice vindicavit *humilitatem* Schwarzius, quam male hic *humanitas* pepulerat.’ *Gesn.* Mox, tres voces *hic in publico* librarius omisit in Vatt. 1. 4. et Guelph. in quo præterea *domi prodidit*. Etiam in cod. Salisb. a pr. m. omissæ erant istæ tres voces, quas vero alia manus in margine restituit. Fab. *domi perdidere*. —6 *Atque principi nostro* cod. Vatt. *quantusque contemtus* Vat. 4. et Guelph. *gloriæ contingit* Patav. et Catan. 1. 2. Mox, Vat. 4. confuse: *Ut n. severitate ejus, ita nihil majestati humanitate detrahitur; nihil gravitati simplicitate;* Guelph. *Ut n. s. e. h. n. gravitate simplicitate; ita nihil, &c.* At non solum tres Vatt. 1. 2. 3. sed et reliqui codd. omnes quibus usus est Schwarz. præter Patav. et Exc. Voss. hunc locum expressere ut in textu nostro. Exc. Voss. Patav. Ald. Catan. H. Steph. Livin. Elz. Cellar. Hearn. et Arntzen. *detrahatur;* non vero, ut tradit Arntzenius, cod. Guelph. *detrahitur* habent etiam edd. vett. Put. 1643. Hack. Delph. Gesn. Gierig. et recentt.—7 Hearn. et aliæ quædam edd. vett. *ad hoc, ætatis, &c.* ut τὸ *ætatis* referatur ad sequens substantivum. Gud. 1. Exc. Scal. et ed. Beroald. Venet. 1501. *inflexa*. Mox, Exc. Voss. Guelph. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venett. 1. 2. Patav. Salisb. et Gud. uterque, cum edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Ald. Cuspin. et Scal.

NOTÆ

Plinii interpretes omnes, ut mysterium in his vocibus aliquod deprehendant: quas alii de Hannibale, de Mario alii, alii de alio intelligendas volunt: quorum argutam perspicaciam etsi non vitupero, pace tamen illorum dixerim, merum hoc esse schema oratorium. Hunc locum, quemadmodum et multos alios, quos referre abstinebo, magnus Plinii imitator Claudianus, qui trecentos post annos vixit, transtulit in poëma de Stiliconis Laud. I. 28. ‘ Quem vultus honestat, Dedecorant mores: animus quem pulchrior ornat, Corpus destituit... quæ sparguntur in omnes, In te mista fluunt, et quæ divisa beatos Efficiunt, collecta tenes,’ &c.

[v] *Jam proceritas corporis*] De procera Trajani statura Martialis, Dio, Suidas, et alii.

[w] *Indeflexa maturitas*] Matura ætas,

insignibus,[x] ad augendam majestatem, ornata cæsaries; nonne longe lateque Principem ostentant?

CAP. V. 1. Talem esse oportuit, quem non bella civilia,[a] nec armis oppressa respublica; sed pax, et adoptio, et tandem exorata terris numina, dedissent. 2. An fas erat, nihil differre inter imperatorem, quem homines, et quem Dii, fecissent? quorum quidem in te, Cæsar Auguste, judicium et favor, tunc statim, cum ad exercitum[b] proficiscereris, et quidem inusitato *indicio*,[c] enituit. 3. Nam ceteros Prin-

festinantis. 'Ascens. *ad augendum majestatem*, forte ex errato typographi; nam ipse Catan. in prioribus edd. dedit *augendam*.' Schwarz.

CAP. V. 1 Exc. Voss. *nec oppressa*, omisso *armis*. Cod. Patav. item edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Nav. Cratand. Ascens. Frob. Rhen. Ald. Junt. Gryph. 1542. Steph. Catan. Boxhorn. et al. vett. *pax et adoptatio;* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Schwarzianus, Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Exc. Voss. uterque Gud. Beroald. Gryph. 1531. Elz. Cellar. Put. 1643. Delph. Hack. Hearn. Arntz. Gesn. Schæf. Gierig. et recentt. *pax et adoptio.* Exc. Scal. Exc. Voss. et Gud. in margine, *et tandem exorta.*—2 *At fas erat* Vatt. 2. 3. 4. Guelph. et Gud. 2. *quem homines, quem Dii* codex Schwarz. *Auguste* ignorant priscæ edd. Puteol. 1476. Venett. 1498. Elz. Hearn. al. neque tamen variant codd. et cap. præc. 'Utrumque, Cæsar Auguste, moderate.' Id servant codd. Gud. et al. Schwarz. item edd. Cusp. Livin. Lips. Gryph. Baun. Patarol. Hack. Arntz. Schwarz. Gesn. Schæf. et Gierig. *inusitato judicio* Cuspin. et Scal. et sic voluit Baun. *inusitato indicio* ceteræ edd. Pro ultimo verbo *enotuit*, quod exhibent codd. Schwarz. Gud. Sichard. et Guelph. item edd. vett. et Arntz. *enituit* præferunt Ald. Steph. Gryph. Paris. 1643. Delph. Hack. Hearn. Gesn. et Schæf. *exutuit* Beroald. an. 1501. 'Recepi *enotuit* cum codd. plerisque atque edd. Sichardi et Arntz. est enim verb. bonæ notæ, atque h. l. melius convenit, quam, quod Schwarz. et Gesn. reti-

NOTÆ

quæ tamen careat senectutis incommodis; flexa enim ætas dicitur, quæ vergere, et inclinari incipit.

[x] *Festinatis senectutis insignibus*] De calvitie id interpretatur Rayanus. At properata calvities, si Aristotelem audimus, vitio potius, quam laudi vertenda, quod fere sit intemperantiæ argumentum. De canitie potius, cum aliis interpretibus, id intelligam. Nam Tacitus Imp. apud Vopiscum, 'Trajanus,' inquit, 'senex ad imperium venit.' Non senex, inquit Casaubonus in hunc locum, sed senili specie; erat enim canus. Qua in re etsi Casaubono assentior; risum tamen movit lepidus error Livineii, qui, ut probet Trajanum natum annos 44. canum fuisse, Xiphilini locum affert, Trajanum ex canitie fuisse agnitum in expeditione contra Agarenos, quam suscepit sexagenario major. Unde nec mihi, nec sapienti cuivis sat recte videtur inferri posse, tum canum eum fuisse, cum annum tantum 44. attigisset.

[a] *Bella civilia*] Augustum puta, 'qui cuncta bellis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit.' Tacit. Annal. I. 14.

[b] *Cum ad exercitum*] A Domitiano in Germaniam inferiorem legatus consularis missus, ut notat Lipsius.

[c] *Inusitato indicio* [*judicio*] Livineii

cipes, aut largus cruor hostiarum,[d] aut sinister volatus[e] avium, consulentibus nuntiavit: tibi ascendenti de more[f] Capitolium, quanquam non id agentium, civium clamor, ut jam Principi, occurrit. 4. Siquidem omnis turba, quæ limen insederat, ad ingressum tuum foribus reclusis, illa quidem, ut tunc arbitrabatur, Deum; ceterum, ut docuit eventus, te consalutavit Imperatorem. 5. Nec aliter a

nuerunt, *enituit*. Sed J. A. Ernestio neutrum satisfecit: verba enim favori propria esse *eminere* et *emicare*, et sæpe in libris *eminere* atque *enitere* confusa esse.' *Gierig*. *inusitato innotuit* Vat. 4.—3 Guelph. Paris. et Vat. 4. *tibi a. Capitolium*, omissis voc. *de more*. Mox, Vat. 1. *quanquam id agentium;* Guelph. *quanquam id non agentium*. Vat. 1. et Salisb. *occurrerit;* Patav. et Exc. Voss. *occurrerent*.—4 Codd. Vat. 1. Patav. Puteol. 1476. Venet. 1498. Sichard. Catan. Ald. Junt. Steph. Elz. Cellar. et Hearn. *jam quidem;* Salisb. *iā quidem*, ut inde possis vel *jā*, i. e. *jam*, vel *illa* legere. Codd. Paris. Venett. 1. 2. Guelph. Schwarzian. Vatt. 2. 3. 4. edd. Cuspin. Plant. Grut. Put. Paris. 1643. Berneg. Baun. Hack. Cev. Gesn. Arntz. Schæf. et Gierig. *illa quidem*. Mox, quædam edd. ap. Arntz. *Deum certum est;* Catan. 1. 2. *Deum, certe;* Ascens. et H. Steph. *Deum certum*. Deinde, Vat. 1. et Guelph. *te consul. salutavit;* Patav. Exc. Voss. et Nav. *te consultavit;* Exc. Voss. ap. Arntzen. *te consultavit ut*.—5 Vat. 3. et Salisb. *intelligere volebas:* perperam. *Recusabas imperare*, omissa particula *enim*, Guelph. *imperaturo* cod. Patav. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Catan. Aldd. Junt. Gryph. 1. 2. 3. Rhenan. Philomus. Boxhorn. et Hack. *imperatori* Vatt. 1. 2. 3. 4. Guelph. Gud. 2. et Exc. Scal. *imperaturis* Salisb. et Gud. 1. *imperaturi* Paris. Venett. 1. 2. Schwarzian. Exc. Voss. edd. Cuspin. Sichard. Livin. Grut. Paris. Cellar. Hearn. Delph. Arntz. Patarol. Gesn. Schæf. et Gierig. Heumannus conj.

NOTÆ

editionem sequor. In aliis enim abest *indicio*.

[d] *Largus cruor hostiarum*] Alludit, ut Casaubonus putat, ad id quod Suetonius ait de Augusto c. 95. 'Ei immolanti duodecim se vultures ostenderunt, et omnium victimarum jecinora replicata paruerunt.' Quod omnibus visum est certum futuræ illius magnitudinis omen.

[e] *Sinister volatus*] Felix. Qui enim nobis sinister, dexter est ratione Deorum habita, proindeque et felix. Sic Virgilius Æn. II. 693. 'Intonuit lævum.' Quanquam sinister sæpe quoque sumitur pro infelici. Sic Virg. Ecl. I. 16. 'Si mens non læva fuisset.' Videri in eam rem potest Plutarchus de Quæstionibus Romanis.

[f] *De more*] Ituri olim in provincias cum aliqua potestate veniebant in Capitolium, quo Jovi Opt. Max. vota nuncuparent. Ibi autem præter Jovis Capitolini statuam, colebatur etiam simulacrum Jovis imperatoris. Quod, ut ait Tullius Verr. VI. 114. a Tito Quintio Flaminio, e Macedonia, vel, ut asserit Livius, a T. Quintio Cincinnato Præneste allatum, inter sellam Jovis et Minervæ collocatum est. Ergo Trajano, juxta hunc morem, antequam legatus iret in Germaniam, Capitolium ingrediente, turba, quæ ibi frequens aderat, 'Salve, Imperator' exclamavit. Quæ salutatio ad Jovem imperatorem pertinebat quidem, sed tamen, quia tum Trajanus, ingrediebatur templum, res visa est belle in eum cadere, qui re ipsa non multo post factus est imperator. Quare Plinius id accipit tanquam omen ejus imperii.

cunctis omen acceptum est: nam ipse intelligere nolebas. Recusabas enim [g] imperare; recusabas, quod bene erat imraturi: [h] igitur cogendus fuisti. 6. Cogi porro non poteras, nisi periculo patriæ,[i] et nutatione reipublicæ. Obstinatum enim tibi, non suscipere imperium, nisi servandum fuisset. 7. Quare *ego* illum ipsum furorem, motumque castrensem,[j] reor extitisse; quia magna vi, magnoque terrore, modestia tua vincenda erat. 8. Ac, sicut maris [k] cœlique temperiem turbines tempestatesque commendant; ita, ad augendam pacis tuæ gratiam, illum tumultum præcessisse crediderim. 9. Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis; ex adversis, secunda, nascantur. Occultat utrorumque se-

quod bene eras imperaturus: Behr, *quod bene tamen eras præstiturus.*—6 Codd. omnes et vett. edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Aldd. Junt. Delph. al. *mutatione;* tres codd. Gruteri, et Vet. Livin. cum edd. Cuspin. Gryph. 1. 2. 3. Sichard. Paris. 1643. Hearn. Cellar. Arntz. Gesn. Schæf. et Gierig. *nutatione.* '*Nisi servandum fuisset*] Nescit Schæf. cur mihi atque J. A. Ernestio *fuisset* displicuerit, atque *esset* scribendum visum sit. Nempe, plusquamperf. quod nuper jam monui, rei naturæ h. l. adversatur. Sermo enim est de tempore eo, quo Trajanus adhuc recusabat imperium, neque adeo servaverat.' *Gierig.*—7 *Quare ergo* Patav. Guelph. et Exc. Voss. cum edd. Boxhorn. Kirch. Cellar. et Hearn. *Quare ego* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venett. 1. 2. Paris. Salisb. et Schwarzian. cum ceteris edd. *favorem motumque* cod. Venet. *quia magna in magno quoque terrore* Patav. et Exc. Voss.—8 *At sicut maris* Exc. Voss. Guelph. Catan. Aldd. Junt. Froben. Hearn. et Cellar. *Ac, s. maris* codd. Paris. Venett. et Schwarzian. item Gryph. Plant. Grut. Hack. Patarol. Gesn. et recentt. Pro *præsæviisse*, quod ex cod. Voss. recepit Arntz. ceteri omnes codd. et edd. fere omnes, *præcessisse.* 'J. A. Ernest. melius esse judicat, quod Voss. liber habet, *præsævisse.* Assentitur ei Schæf. Est sane verbum grave, quod et ipse præferrem, si Plinius hæc commoto animo scripsisset. Sed leniter decurrit oratio per omnem h. l.' *Gierig.* Paris. *tumultum processisse;* Patav. *tumultum præscivisse.*—9 Duo codd. Arntzenii, alter Gudii, Puteol. 1476.

NOTÆ

g *Recusabas enim*] Vere, et ex animo. Absimilis iis principibus, qui ea nolle se simulant, quæ impensissime cupiunt, eo videlicet, ut in accipiendis honoribus, obsequi potius populorum studio, quam suæ ambitioni videantur.

h *Imperaturi*] Melius quam, ut aliqui legunt, *imperaturo.* Sensus est: Cum recusares imperium, ostendebas, quam bene esses imperaturus. Nemo enim imperio dignior, quam qui illud refugit. Atque inde imperatoris cujusdam illa vox tam celebris: 'invitos ad remp. admovendos esse.' *Lips.*

i *Periculo patriæ*] Conclamatum enim, ut supra diximus, erat de republica, nisi Nervæ propter nimiam ætatem spreto successisset Trajanus.

j *Motumque castrensem*] Prætorianorum militum, qui, contra quam prohibuerat Nerva, Domitiani interfectoribus occisis, tumultus excitarunt.

k *Ac, sicut maris*] Amœnior videtur serenitas post turbines ac procellas.

mina Deus, et plerumque bonorum malorumque causæ sub diversa specie[f] latent.

Cap. vi. 1. Magnum quidem illud sæculo dedecus, magnum reipublicæ vulnus, impressum est: Imperator,[l] et parens generis humani,[m] obsessus,[n] captus, inclusus; ablata mitissimo seni[o] servandorum hominum[p] potestas; ereptumque Principi[q] illud in principatu beatissimum, quod nihil cogitur. 2. Si tamen hæc sola erat ratio, quæ te publicæ salutis gubernaculis admoveret, prope est, ut exclamem, tanti fuisse![r] Corrupta est disciplina castrorum, ut tu corrector emendatorque contingeres: inductum pessimum exemplum,[s] ut optimum opponeretur:[t] postremo

[f] *Sub contraria forma.*

Venett. 1498. Beroald. Catan. Ald. Junt. Rhen. Gryph. Sichard. Cratand. Ascens. Livin. Steph. al. vett. *secunda noscantur;* codex Arntzenii in marg. *nascantur;* et sic Lips. Cellar. Paris. 1643. Delph. Hearn. Hack. Arntz. Gesn. Schæf. et Gierig. '*Secunda noscantur*] Sic omnes codd. et edd. veteres, ut hæc sententia e similitudine præcedente pendeat. Sed Arntz. Schwarz. et Gesn. receperunt Fabri conj. *nascantur*, propter vocc. *vices* et *semina*, quibus illa bene accommodata. Equidem hic dubius hæreo, utram lect. præferam; itaque in sup. ed. hic, ut pluribus locis, ambas lectiones simul in textu exhibui. Quæ ratio mira visa est Schæfero. Valde contra placuit Viro Docto in Ephem. Lit. Jenens. No. 346. an. 1796. Probata criticis erat et ante in Griesbachii N. T. Græco. Quanquam Schæf. pronuntiat, *nascantur* unice verum videri, tamen erunt, quibus aliter videatur. Certe idem ille V. D. in Ephem. Jenens. *noscantur* non modo ingeniosius indicat, sed et a codd. consensu probabilius.' *Gierig.* Paulo post, Exc. Scal. *utrarumque semina;* Vat. 4. et Gud. 1. *utraque semina.*

Cap. vi. 1 Vatt. 1. 4. *sæculo decus.* Mox, pro *ablata*, Vat. 1. Patav. et Exc. Voss. *oblata.* Cod. Salisb. *quod ad nihil cogitur.*—2 Vat. 4. et Guelph.

NOTÆ

[l] *Imperator*] Nerva.

[m] *Parens generis humani*] Huc pertinet illud Ausonii: 'Proximus extincto moderatur sceptra tyranno Nerva senex, princeps nomine, mente parens.'

[n] *Obsessus*] In palatio, a prætorianis, eorumque duce Æliano.

[o] *Seni*] Annum tunc agebat Nerva, Dione teste, 66. juxta Eutropium vero 71.

[p] *Servandorum hominum*] Eorum qui Domitianum interfecerant.

[q] *Ereptumque Principi*] Id quod ad principis dignitatem pertinet potissimum, ut nulla in re cogatur; ut, quos velit, morti possit eripere. Notum est illud Scipionis, et post eum Antonini Pii: 'Malle se unum civem servare, quam mille hostes occidere.'

[r] *Tanti fuisse*] Vel cladium tantarum pretio nobis redimendum erat, ut tu esses noster imperator. Cui hoc legenti statim non venit in mentem Lucani locus plane similis, I. 33.? 'Quod si non aliam venturo fata Neroni Invenere viam . . . . Jam nihil, o Superi, querimur: scelera ipsa, nefasque Hac mercede placent.'

coactus Princeps, quos *nolebat*, occidere, ut daret Principem, qui cogi non posset. 3. Olim tu quidem adoptari merebare; sed nescissemus, quantum tibi deberet imperium, si ante adoptatus esses.[u] Expectatum est[v] tempus in quo liqueret, non tam accepisse te beneficium, quam dedisse.[w] Confugit in sinum tuum[x] concussa respublica; ruensque imperium super Imperatorem Imperatoris tibi voce delatum est. 4. Imploratus adoptione, et accitus es;[y] ut olim duces magni[z] a peregrinis externisque bellis ad opem patriæ ferendam revocari solebant. Ita filius, ac parens, uno eodemque momento, rem maximam invicem præstitistis: ille tibi imperium dedit; tu illi reddidisti. 5. Solus ergo *ad hoc ævi* pro munere tanto paria accipiendo

sola erat oratio. Vat. 1. *gubernaculis admoneret.* Vat. 1. *ut optimum imponerent;* et sic etiam scriptum in vet. cod. reperit Livineius. Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venett. 1. 2. Patav. Salisb. Guelph. Schwarzian. Exc. Voss. et Gud. 1. 2. edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Philomus. Rhenan. Lips. Grut. Putean. Berneg. Hack. Baun. Patarol. Arntz. et Gierig. *quos nolebat;* Cuspin. *quos nolebas;* al. vett. *quos nollet;* et sic Gesner. et Schæf.—3 *Sed nescis senium* Vat. 1. *ne nescissemus* Gud. 1. *tempus, quo liqueret* Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. edd. Gryph. et Sichard. *tempus in quo, &c.* Patav. Exc. Voss. Puteol. 1476. Venet. Aldd. Junt. Frob. Gryph. Catan. et recentt. *Confugit in sinum tutum* Guelph. et Gud. 1. *ruens imperium,* dimissa copula *que,* Vat. 4. Salisb. et Guelph.—4 Paris. *indicem præstitistis;*

NOTÆ

[s] *Pessimum exemplum*] Violata Nervæ imp. auctoritas.

[t] *Ut optimum opponeretur*] Cum tu rebellibus occisis, suam imperatoribus auctoritatem restituisti.

[u] *Adoptatus esses*] Ante turbas illas.

[v] *Expectatum est*] Nerva secundo imperii anno Trajanum adoptavit, idque VI. Kal. Novembres: non, ut ait Onufrius, XIV. Kal. Octob. Obiit enim Nerva VI. Kal. Febr. postquam, Eutropio teste, menses tres cum adoptato vixisset. Sed de his supra in Vita Trajani.

[w] *Quam dedisse*] Cum suam ei auctoritatem restituisti, et quod pæne ipsi ablatum erat, imperium reddidisti.

[x] *Confugit in sinum tuum*] Hunc locum legenti succurrit dictum illud Themistoclis: 'Platanis se similem esse, sub quas populi confugiunt, quando sæva tempestas est, cum vero serenitas est, eas additis convitiis convellunt.' Plutarch. in Apophthegm.

[y] *Imploratus . . . es*] A Nerva, qui, si Dioni fides, ad Trajanum scripsit Homericum illud Iliad. A. 42. Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι. *Pendant pœnas Danai ob meas lacrymas tuis sagittis:* quo nimirum ad illatam sibi a prætorianis injuriam vindicandam filium adoptivum impelleret.

[z] *Ut olim duces magni*] Utrumne Sylla, quem respublica in Italiam? an potius Hannibal, quem Carthago prope deleta ad sui tutelam revocavit? Livius XXX. 9.

fecisti; immo, ultro[a] dantem obligasti. Communicato enim imperio, solicitior tu, ille securior factus est.

CAP. VII. 1. O novum atque inauditum ad principatum iter! non te propria cupiditas, proprius metus; sed aliena utilitas, alienus timor, principem fecit. 2. Videaris licet,[b] quod est amplissimum, consecutus inter homines; felicius tamen erat illud, quod reliquisti. Sub bono Principe privatus esse desiisti.[c] 3. Assumtus es in laborum curarumque consortium; nec te læta et prospera stationis istius,[d] sed aspera et dura, ad capessendam eam compu-

Exc. Voss. *præstitis;* Patav. *præstitisti.*—5 '*Ad hoc ævi* est lectio Mss. Vaticc. Veneti, Schwarz. Salisb. Eandem notavit Vossius in Excerpt. et receperunt præter alios Lips. Arntzen. Gesner. Schwarz. Hic etiam elegantiam hujus formulæ satis defendit. Mss. reliqui, *ad hoc qui*, aut *cui*. Hinc alii, *adhuc, qui*. *Paria facere*, beneficium rependere, compensare. Sententiam hausisse videtur e Senec. Benef. II. 30. Pro *ultra* Mss. Paris. Venet. liber Vossii et lib. primus Gudii, Patarol. Gesner. Arntzen. Schwarz. habent *ultro*. Id vero dupliciter capiunt. Schwarz. conjungit cum *dantem*, i. e. Nervam, a quo sponte, gratis adoptatus. Gesner. conjungit cum *obligasti*, prior illi beneficium præstitisti. Neutra sententia mihi placet; sensus enim potius debet esse hic: Tu paria ei præstitisti, immo plus fecisti, ille enim securior, tu solicitior factus est. Quod ut efficiatur, legendum est *ultra* e cod. Guelph. et cum Aldo, H. Steph. aliisque. Si quis tamen *ultro* retinere velit, explicandum arbitror per 'insuper.' Tunc fere idem foret, quod *ultra obl.* *Ultro* autem sic dici, notum est. v. Grævius ad Cic. Quint. 23.' *Gierig*. *sollicior tu* Guelph. ap. Arntz. *ille securior factus*, omisso verbo *est*, Patav. et Exc. Voss.

CAP. VII. 1 Divæus conj. *sed aliena vilitas.*—2 Ald. Sich. Gryph. Elz. Hearn. *Videaris licet, quod est amplissimum, consecutus inter homines;* Lips. et al. ita distinguunt: *Videaris licet, quod est amplissimum, consecutus, inter homines*. Omnes certe *inter homines* segregant ab *amplissimum*. Arntzenius omnem distinctionem sustulit: et sic exhibetur in edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. et Paris. Vat. 4. Paris. Patav. et Schwarzian. *privatus esse desisti;* Vat. 1. *privatus esse dedisti.*—3 *Assumtus et in laborem* Exc. Voss. *Assumtus est in laborem* cod. Schwarzian. *Assumtus in laborem* Salisb. *Assumtus etiam in laborem* Patav.

NOTÆ

[a] *Ultro*] Torquent se hoc loco interpretes: alii *ultra*, alii *ultro* volunt legi. Ego steterim pro *ultro*. Sed tamen utrovis modo legatur, ad sensum, opinor, parum refert.

[b] *Videaris licet*] Supremam quidem omnium dignitatem, nempe imperium, consecutus es: melius tamen erat quod dimisisti, nempe otium et securitas.

[c] *Privatus esse desiisti*] Hinc disce 'privatos' dici, quicunque principes non sunt. Trajanus enim et senator erat, et consularis, et provinciæ Germanicæ præses, ut notat Lipsius.

[d] *Stationis istius*] Id est, status et conditionis; quo sensu vox hæc apud ejus ævi scriptores frequens est. Sed et Tullius: 'De statione vitæ discedere,' dixit pro mori.

lerunt. Suscepisti imperium, postquam alium suscepti pœnitebat. 4. Nulla adoptati cum eo, qui adoptabat, cognatio,[e] nulla necessitudo; nisi quod uterque optimus erat, dignusque alter eligi, alter eligere. Itaque adoptatus es, non ut prius alius atque alius,[f] in gratiam uxoris. Ascivit enim te filium, non vitricus,[g] sed Princeps; eodemque animo divus Nerva pater tuus factus est, quo erat omnium. Nec decet aliter filium assumi, si assumatur a Principe. 5. An senatum populumque Romanum, exercitus, provincias, socios, transmissurus uni, successorem e sinu uxoris accipias? summæque potestatis hæredem tantum intra domum tuam quæras? non per totam civitatem circumferas oculos,[h] et hunc tibi proximum, hunc conjunctissimum, existimes, quem optimum, quem Diis simillimum, inveneris? 6. Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus:

Mox, Vatt. 1. 2. 3. Paris. Guelph. Schwarzian. et Salisb. mutato ordine, *prospera et læta.* At Patav. exhibet vulgarem ordinem. Vat. 4. *Suscepisti i. quanquam alium.*—4 Gryph. et H. Steph. in marg. *non ut prius aliis alius, neque aliis in gratiam;* Exc. Scal. *non ut prius alius atque alii, &c.* Cuspin. *non ut prius alii atque alius, &c.* Particula *non* omissa est in codd. Paris. et Salisb. Statim, *in uxoris gratiam* Guelph. Ald. Junt. Cratand. et Sichard. quo modo h. l. laudat Spanhem. de Num. Diss. XI. p. 287. Paris. *pater tuus factus*, omisso *est;* et Patav. pro *quo*, reposuit *qui*. Cod. Salisb. *sed assumatur a Principe.*—5 Codd. Livineii, Schwarzii, Gud. Vat. 1. Venett. Patav. Salisb. Exc. Voss. Exc. Scal. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Catan. Cusp. Rhenan. Lips. Grut. Paris. 1643. Delph. Arntz. Hack. Gesn. Schæf. et Gierig. 1. 2. *An Senatum populumque Romanum;* Ald. Junt. Gryph. Sichard. Nav. Steph. Elz. Hearn. Cellar. al. vett. *An Senatus populique Romani;* codd. Vat. 4. et Guelph. *An Senatum populique Romani.* Mox, *in* pro *uni* Exc. Voss. *e sinu uxorio* Exc. Scal. et Gud. 1. *ex sinu uxoris* vulgg. Paulo post, Vatic. *conferas oculos;* Guelph. *et h. t. maximum, h. convinctissimum.*—6 Hæ sex voces, *Imperaturus o. e. d. e. omnibus*, in unico cod. Vat. 4. desiderantur. Pro *eligi debet*, cod. Paris. *eligatur*. Codd. Vatic. 1. 2. 3. 4. Paris. Venet. Patav. Schwarzian. nec pauci im-

NOTÆ

[e] *Cognatio*] Nerva, nulla ratione cognatorum, quos habebat plurimos, habita, Trajanum genere Hispanum, ob præstantem ejus virtutem adoptavit.

[f] *Alius atque alius*] Tiberius et Nero: quorum ille, instante Livia matre, ab Augusto; hic vero opera et arte Agrippinæ matris, a Claudio imperatore adoptatus est. Ita Sueton.

[g] *Vitricus*] Ut Augustus Tiberium, et Claudius Neronem.

[h] *Circumferas oculos*] Simile est illud apud Vopiscum, ubi senator nescio quis, ad præclarum aliquid Tacitum imperatorem cohortatus, 'Circumspice,' inquit, 'imitare Nervas, Trajanos, Hadrianos.'

non enim servulis tuis dominum, ut possis esse contentus quasi necessario hærede,[i] sed Principem civibus, daturus es Imperator. Superbum istud et regium, nisi adoptes eum, quem constet imperaturum fuisse, etiamsi non adoptasses. 7. Fecit hoc Nerva, nihil interesse arbitratus, genueris, an elegeris; si perinde sine judicio adoptentur liberi, ac nascuntur: nisi quod tamen æquiore animo ferunt homines, quem Princeps parum feliciter genuit, quam quem male elegit.

Cap. viii. 1. Sedulo ergo vitavit hunc casum; nec *judicia* hominum,[j] sed Deorum etiam, in consilium assumsit. Itaque non tua in cubiculo, sed in templo;[k] nec ante ge-

pressi, *daturus Imperator;* Guelph. *daturus imperium;* unde Arntz. conj. *daturus. Imperium superbum, &c.* Mox, *quem constat* Guelph.—7 Guelph. *genuerit an elegerit.* Livin. Grut. Parisienses, Delph. Patarol. et quædam aliæ edd. *si proinde.* Vat. 3. Paris. Venet. Salisb. Patav. edd. Parisienses, Grut. Patarol. *ac nascantur;* Guelph. Gud. 2. Schwarzian. et edd. ceteræ fere omnes, *ac nascuntur.* 'Schæf. cum aliis præfert, *ac nascantur.* Mihi alterum placet, quia his verbis non conditio quædam ponitur, sed id memoratur, quod revera fit.' *Gierig. ac nascuntur* Carey in ed. Lond. 1821. quamvis Schæferi textum exhibere profitetur. Vulgo ante Schwarz. *nisi tamen quod;* codd. Paris. Guelph. et Schwarzian. *nisi quod tamen.* In cod. Venet. particula *tamen* plane omissa est. Vat. 4. et Beroald. *fuerunt homines;* cod. Patav. *fecerunt homines;* Vat. 4. *quem quam male elegit;* cod. Venet. *quam male elegit.*

Cap. viii. 1 Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Salisb. a m. pr. Paris. Venett. Patav. Schwarzian. edd. Puteol. Beroald. Ald. et Philomus. *nec judicio;* Gud. 2. Exc. Voss. Salisb. ex correctione antiquæ manus, et Guelph. *nec judicia;* plurimæ edd. *nec judicium;* Exc. Scal. ap. Hearn. et Cuspin. *nec in judicium.* Hæ voces omnes: *sed Deorum etiam in consilium assumsit. Itaque non tua in cubiculo,* desunt codici Paris. quia negligens librarius a prima particula *sed,* ad eandem subsequentem oculis provolavit, et verba interjecta oscitanter transiluit. Ceterum in his ipsis verbis codex Guelph. habet, *sed judicia Deorum etiam, &c.* Vat. 4. in verbis, *in consilium assumsit,* prætermisit præpositionem *in;* et in Salmurensi ed. forte ex errore typographi, legitur: *Deorum etiam in consilio assumsit.* Mox, Guelph. *Itaque non tui;* et sic edidit Arntzen. *Itaque non tu* Venet. Patav. et Schwarzian. *Itaque non tum* Salisb. *tu* Exc. Voss. a m. pr. Arntzenii lectio placuit J. A. Ernestio. 'Schæf. præterea malit ordine mutato: *Itaque tui non in cubiculo.* Hunc ordinem sane auctor

NOTÆ

[i] *Necessario hærede*] Quem lex et natura hæredem faciant; ut hæreditatem recusare non possit. Vide infra cap. xxxvii. not. [m].

[j] *Nec judicia hominum*] Supple tantum. Simile quid habet Eumenius pro restaur. Schol. cap. xix. Imperatores suorum 'temporum statum ita demum redintegrari putant, si non potentia, sed etiam eloquentia Romana revirescat.'

[k] *In templo*] Jovis Capitolini.

nialem torum,[l] sed ante pulvinar[m] Jovis optimi maximi, adoptio peracta est: qua tandem non servitus nostra, sed libertas, et salus, et securitas, fundabatur. 2. Sibi enim Dii gloriam illam vindicaverunt: horum opus, horum illud imperium. Nerva tantum minister fuit. *Utique*, qui *adop-*

in legitima ratione sequi debuisset, sed et alibi videmus tam Plinium, quam alios inde aberrasse.' *Gierig. Jovis optimi maxima adoptio* Vat. 1. et Schwarzian. *et securitas fundebatur* Guelph. et Schwarzian.—2 *Sibi e. gloriam illam Dii vindicaverunt* codd. Vatt. Paris. Venet. Salisb. et Schwarzian. nec displicet Schwarzio ista verborum collocatio. Patav. *vendicavere*. Exc. Voss. *Nerva tamen et minister*. Vulgatæ quædam edd. etiam *tamen*. '*Utique, qui adoptarat*. Sic omnino legendum, vidit Schwarzius; cujus codex, ut et margo Gudiani, *utque* hic habent. Cum literas *er* sic signare soleant librarii, ut apicem, apostrophi instar ad literam præcedentem adjiciant; apparet, quomodo *i* litera obscure scripta vel plane omitti, vel in *er* mutari potuerit. Cæterum malit vir doctissimus, *qui adoptabat*; cum sequatur, *qui adoptabaris*. Cogitabam, an forte fuerit *quum*. Vocabula monosyllaba, quorum principium est *q*, omnibus modis misceri et confundi in libris antiquis, non ignorant, qui eos tractarunt. Ingeniose Heumannus meus, *teque cum adoptaret*.' Gesn. 'Lectio vulgata et antiqua est: *Uterque qui adoptaret, tam paruit, quam tu, qui adoptabaris*. Hic primum offendit *adoptaret* propter seq. indicat. *adoptabaris*. Schwarz. mutavit in *adoptarat*. Ego malui *adoptabat*, quod tempus natura rei æque postulat ac *adoptabaris* in altero membro, quodque in margine exemplaris Gudiani reperitur. Porro *uterque* non habet, quo referatur. Schwarzius putabat, rejecto nomine *Nerva*, posse scribi: *tantum minister fuit uterque: qui ad*. Nec improbabat quod exemplar Gudianum in margine habet, ipsique e cod. vetusto fluxisse videbatur, *uterque tamen minister fuit. Tam paruit Nerva, qui adoptabat, &c.* Non assentior. In hoc enim opere divino Trajanus non fuit minister, sed unus Nerva. Non enim is, qui instituitur, sed is, qui eum alterius jussu instituit, est minister istius institutionis. Sed cum idem Schwarz. in Mss. Vaticc. tribus, Salisb. Paris. et suo, item in margine alterius exemplaris Gudiani pro *uterque* reperisset *utque*, in Veneto autem *utrique*, inde exsculpsit *utique*, idque secure in textum recepit, sequente eum Gesnero. Ego vero *uterque* non dimitto, adjuvat enim mirifice vim sententiæ. *Tam* hic revocandum esse ante *qui*, docet *quam*, quod sequitur. Nempe cum *tum* facili lapsu mutatum esset in *tam*, librariis displicuit illa vox bis posita; hinc semel deleverunt, et inde orta est corruptela. Vere igitur locum restituisse mihi videor.' Ita Gierig. in ed. prima; in secunda vero addit: 'Sic sententia oritur et vera et facilis. Hanc nostram rationem approbavimus Ernestio jun. Sed Schæf. accedit J. A. Ern. legenti, *Utique, &c.*' Hæc verba, *Uterque, qui adoptaret*, desunt in cod. Scal. ille vero scribit: *paruit Nerva, qui adoptaret, quam tu*. Behrius suadet: *Horum opus hoc, quorum hoc est imperium. Nerva tantum minister fuit: sed tu quoque. Uterque Diis obsequenti estis, et, (si rem licet dicere) qui adoptabat, tam paruit, quam tu, qui adoptabaris*. Gud. 1. in margine: *horum opus, horum illud imperium: uter-*

NOTÆ

l *Genialem torum*] Qui nempe in nuptiis, et genio, qui præsidet nuptiis, sterni solet. Seneca in Medea: 'Tuque genialis tori Lucina custos.'

m *Ante pulvinar*] Pulvinaria dicebantur lectuli, quibus Deorum simulacra imponebantur.

tarat, tam paruit, quam tu, qui adoptabaris. 3. Allata erat ex Pannonia [n] laurea, id agentibus Diis, ut [g] invicti Imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret: hanc Imperator Nerva in gremio Jovis [o] collocarat, cum repente solito major et augustior, advocata hominum concione Deorumque, te filium sibi, hoc est, unicum auxilium fessis rebus,[h] assumsit. 4. Inde, quasi deposito imperio, qua securitate, qua gloria, lætus? nam, quantulum [p] refert, de-

[g] *Ita providentibus Diis ut, &c.* [h] *Ruenti reipublicæ.*

que tamen minister fuit. Tam paruit Nerva, quam tu, qui adoptabaris.—3 *Allata erat laurea ex Pannonia* codd. Paris. et Salisb. '*Imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret*] Mirum est, plurimos codd. Mss. et in excusis Beroaldum, in numero multitudinis habere *decorarent;* quasi hoc verbum ad antecedens nomen *Deorum* sit referendum; cum tamen tunc non *insigne*, sed *insigni*, dici oportuisset. Legitur tamen in cod. Guelph. et in libro Voss. atque ex correctione in cod. Salisb. in numero singulari, *decoraret*. Dicitur enim laurea, tanquam *insigne* et indicium *victoriæ decorasse exortum*, sive auspicium imperii Trajani.' *Schwarz.* Vat. 4. *in gremio Jovis collocarat.* Codd. Paris. Venett. 1. 2. edd. Beroald. et Kirch. *major et angustior.* Mox, Vatt. 2. 4. Guelph. et Salisb. *advocata hominum Deorumque*, omissa voce *concione*, quam tamen ceteri codd. ap. Schwarz. comprobant. Pronomen *te* omisit cod. Venet.—4 *Inde quasi depositi imperii* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Schwarz. et Exc. Voss. sed *deposito imperio* habent edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Catan. Ald. Cuspin. Gryph. Grut. ceteri. Mox, Barth. ad Stat. Theb. IV. 586. conj. *an ita partiaris.* '*Nam quantulum ... hoc est*] Mihi non est dubium, hanc parenthesin culpa librarii, qui eam prætervideret, versu uno serius, quam oportebat, collocatam, revocari debere, ponique post verba, *quasi deposito imperio.*' Gesn. 'Cum codd. qui restant, fere omnes *depositi imperii* præferant, jam nuper suasi, atque etiam nunc suadeo: *qua depositi imperii* (ob depositum imp.) *securitate, &c.* Sic parenthesis *nam quantulum, &c.* loco satis commodo inserta est, neque opus est, ut eam cum Gesnero post *imperio* colloces, aut cum Schæfero verba *quasi*

NOTÆ

[n] *Pannonia*] Regio Europæ, inter Danubium, ad septemtrionem et ortum; Noricum, ad occasum; et Illyricum, ad meridiem. Duplex fuit: superior versus occasum, ubi nunc pars Austriæ, Stiriæ, Marchiæ Vindorum, Sclavoniæ, et Carniolæ; inferior ortum versus, ubi nunc magna pars Hungariæ et Sclavoniæ.

[o] *In gremio Jovis*] Nota piam Romanorum consuetudinem, qui cum insignem aliquam victoriam reportaverant, lauream, id est, coronam e lauro contextam, in gremio Jovis sui Capitolini deponebant. Stat. 'Laurumque superbam In gremio Jovis excisis deponere Pœnis.' Plinius lib. XV. cap. ultimo de lauro: 'In gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam nova victoria attulit.' Plura vide apud Lips. Excursu ad Tacit. Annal. II. et Casaub. ad Suet. Domit. c. 6.

[p] *Nam, quantulum*] Id est, minimi refert. Idem IV. 13. 'Quantulum est collata pecunia conducere præcep-

ponas, an partiaris, imperium; nisi quod difficilius hoc est.[q] Non secus, ac præsenti[r] tibi innixus, tuis humeris se patriamque sustentans, tua juventa,[s] tuo robore, invaluit; statim consedit omnis tumultus. 5. Non adoptionis opus istud fuit, sed adoptati; atque adeo temere fecerat[t] Nerva, si adoptasset alium. Oblitine sumus, ut nuper post adoptionem[u] non desierit seditio, sed cœperit? irritamentum istud irarum, et fax tumultus,[v] fuisset; nisi incidisset in te. 6. An dubium est,[w] ut dare posset imperium Imperator, qui reverentiam amiserat, auctoritate ejus effectum, cui dabatur? Simul filius, simul Cæsar, mox Imperator, et

deposito imperio loco moveas.' *Gierig.* Guelph. *tibi præsenti innixus;* Vat. 4. *præsenti tibi nixus.*—5 ' Schwarz. olim suspicabatur, *Non adoptantis opus.* Sine causa; argumentum enim, quod huic sententiæ subjicitur, *nuper post adoptionem non desiit seditio,* satis confirmat lectionem receptam: *fecerat* pro *fecisset,* quam enallagen modi satis illustravit Schw. in Observatt.' *Gierig.* Contra Schwarzium faciunt omnes codd. Pro voce *adoptati,* Beroald. edidit *adoptari.* Cod. Patav. *temere fecisset.* Mox, cod. Patav. *Obitu, nec sumus;* Exc. Voss. *Obliti nec sumus.*—6 Lips. conj. *An dubium est, ut dare posset i. I. . . . effectum esse, cui dabatur?* vel: *An dubium est? ut dare posset i. I. . . . effectum est, cui dabatur.* ' Vulgata lectio est: *An dubium est, ut dare non posset imperium Imperator, qui reverentiam amiserat? Auctoritate ejus effectum est, cui dabatur.* Ita Puteol. Ven. Ald. Frob. Asc. quam lectionem primus Sichardus loco movit, sed in pristinam sanitatem restituere non potuit, adeoque inde non meliorem sententiam effecit: *An dubium est, ut dare posset imperium Imperator, qui reverentiam amiserat? Auctoritate ejus effectum est, cui dabatur.* Ita etiam Gryphius, nisi quod in posteriori etiam sede interrogationis notam retineat. Posteriorem Lipsii conjecturam exprimit Parisina

NOTÆ

tores!' Curtius lib. VII. ' Quantulo contenti esse deberent?'

[q] *Nisi quod difficilius hoc est*] Nempe consortem imperii assumere: vel propter eligendi difficultatem, vel propter successus periculum.

[r] *Non secus, ac præsenti*] Tum enim versabatur apud Agrippinam. Eutrop. Orosius.

[s] *Tua juventa*] Attigerat quidem annum 42. sed quicumque annum 46. non excesserant in descriptione census a Servio Tullio rege facta, 'juniores' appellabantur. A. Gellius x. 28. Varro. Martialis vero XII. 8. Trajanum ' fortem, juvenemque, martiumque militem' vocat.

[t] *Fecerat*] Pro fecisset. Quomodo Virgil. Æn. IV. 603. ' Anceps belli fuerat fortuna.' Livius XXXIV. 29. 8. ' Difficilior facta oppugnatio erat, ni T. Quintius supervenisset.'

[u] *Ut nuper post adoptionem*] Pisonis, a Galba imp. factam. Simul enim Otho, qui adoptandum se speraverat, spe sua decidit, movit arma, ut imperio per vim potiretur.

[v] *Fax tumultus*] Seditionum causa.

[w] *An dubium est*] Hunc locum alii alio modo legunt. Ego Livineii emendationem secutus sum.

consors tribuniciæ potestatis,[x] et omnia, pariter, et statim, factus es, quæ proxime parens verus[y] tantum in alterum filium contulit.

CAP. IX. 1. Magnum hoc tuæ moderationis indicium, quod non solum successor imperii, sed particeps etiam sociusque, placuisti. Nam successor, etiamsi nolis, habendus *est;* non *est* habendus socius, nisi velis. 2. Credentne posteri, patricio, et consulari,[a] et triumphali,[b] patre genitum, cum fortissimum, amplissimum, amantissimum sui, exercitum regeret, Imperatorem non ab exercitu[c] factum?

editio. Priorem Cellarius, Baunius, et cl. Gesnerus, et hæc vera est, nisi quod redundet ex Mss. Livineii et nostris duobus verbum illud substantivum *esse* post *effectum,* quo sine ullo damno possumus carere.' *Arntz.* Nostram lectionem confirmant codd. Vatt. Paris. Salisb. Guelph. et Schwarzian. At cod. Patav. et Exc. Voss. habent: *An dubium est, an dare posset i. I.... effectum, cui dabatur.* 'Verbis *Simul filius* novum caput incipiendum puto. Progreditur enim ad illud, quod plures et summas dignitates simul adeptus erat Trajanus.' *Gierig.* Mox, codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venet. et Guelph. *tamen in alterum.*

CAP. IX. 1 Vatt. et Guelph. *quod non successor,* omisso τῷ *solum.* Edd. vett. *etiam si nolis, h. es; non es, h. s. nisi velis.* Codd. Vatt. Venett. Salisb. edd. Puteol. Beroald. Ald. Cuspin. Philomus. Livin. Cratander, Sichard. Putean. Bann. Berneg. Patarol. Gesn. et Arntzen. *etiam si nolis, h. est; non est h. s. nisi velis.* Exc. Voss. priore, et cod. Schwarz. altero loco, omittunt ver-

NOTÆ

[x] *Tribuniciæ potestatis*] Quia enim summa erat tribunorum plebis auctoritas, Augustus, ut ne haberet hujusmodi æmulum, qui suis forte cœptis obsisteret, hanc dignitatem omnium primus usurpavit, et perpetuam sibi fecit, atque ab eo ceteri deinceps imperatores.

[y] *Parens verus*] Vespasianus Titi non adoptione, sed verus parens. *In alterum filium*] Id est, Titum, quem triumphi socium, censorem, tribuniciæ potestatis consortem, collegam in consulatu fecit, nulla prorsus ratione habita Domitiani alterius filii. Plin. in Præf. Hist. Nat.

[a] *Patricio, et consulari*] Vix crederem, nisi hoc ipsum iterum Plinius infra, et Victor disertis verbis affirmarent; nam si Eutropio fides, 'Trajanus ex antiqua magis familia, quam clara natus.' Et in fastis ejus temporis de Trajano patre nulla mentio est.

[b] *Triumphali*] Utrum post expeditionem Judaicam, ubi, si Josepho fides est, decimæ legioni præfectus urbem Iapham et Iotapatam expugnavit? An apud Parthos, sub Nerone, duce Corbulone, cujus expeditionis socium filium duxerat. De quo Plinius infra cap. XIV. 'Cum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augeres.'

[c] *Non ab exercitu*] Qui facile in primo victoriæ impetu inducebatur, ut quos habebat duces, imperatores consalutaret, quemadmodum Galbæ, Othoni, Vitellio, et Vespasiano contigit.

eidem, cum Germaniæ [d] præsideret, Germanici nomen hinc missum? [e] nihil ipsum, ut Imperator fieret, agitasse? nihil fecisse, nisi quod meruit, et paruit? 3. Paruisti enim, Cæsar, et ad principatum obsequio pervenisti: nihilque magis a te subjecti [a] animo factum est, quam quod imperare cœpisti. Jam Cæsar, jam Imperator, jam Germanicus, absens et ignarus, et post tanta nomina, quantum ad te pertinet, privatus. 4. Magnum videretur, [f] si dicerem: nescisti, te Imperatorem futurum; eras Imperator, et esse te nesciebas. Ut vero ad te fortunæ tuæ nuntius venit, malebas quidem hoc esse, quod fueras; [g] sed non erat liberum. An non obsequereris Principi civis; legatus, [h] Imperatori; filius, patri? 5. Ubi deinde disciplina? ubi mos a majoribus traditus, quodcumque Imperator munus injungeret, æquo animo paratoque subeundi? Quid enim, si provin-

[a] *Subditi.*

bum *est.* Guelph. et Venett. *etiamsi nobis.*—3 Cod. Guelph. Ald. Cratand. R. Steph. et Patarol. *subjecti animi;* codex Schwarzian. *subjecto animo;* codd. Paris. Vatt. 1. 2. 3. 4. Patav. Venett. 1. 2. edd. Beroald. Catan. Gryph. Cuspin. Rhenan. Philomus. Steph. Lips. Delph. Grut. Heuman. Gesn. Schæf. Arntz. et Gierig. *subjecti animo.* Mox, cod. Salisb. *Jam imperator, jam Cæsar.* —4 *Magnum viderent* Vat. 1. *Magnum videtur* Venet. *et te esse nesciebas* codd. Vat. et Guelph. *nuntius veniebat* cod. Patav. *nuntius advenit* cod. Venet. *An obsequereris* Guelph. *Non obsequereris principi civis?* conj. Cortius. *At non obsequereris* Livin.—5 Patav. *æquo animo subeundum;* sic et Salisb. cui tamen

NOTÆ

[d] *Germaniæ*] Germania provincia Europæ maxima, a Gallia, Rheno fluvio; Danubio, a Rhætia, Vindelicia, et Norico; a Sarmatia, Vistula separata; Oceano Germanico, et Mari Baltico, ad Arctos definita.

[e] *Germanici nomen hinc missum*] Eodem anno, ut ex nummis videre est. Quod testatur Juvenalis Sat. VI. 205. ubi de Trajano: 'Dacicus et scripto radiat Germanicus auro.' Hic autem nomen sumitur pro cognomine, ut sæpe pro prænomine atque agnomine.

[f] *Magnum videretur*] Magnum quidpiam videri deberet, si dicerem te, cum vir tantus esses, adeo tamen modeste de te sensisse, ut non cogitaris, futurum unquam, ut asciscereris ad imperium: verumtamen majus quidpiam dico: vel cum eras imperator, ne tum quidem videbaris id scire.

[g] *Hoc esse, quod fueras*] Privatus.

[h] *Legatus*] Apud Romanos in re bellica *legatus* dicebatur, qui sub imperatore, aut quovis duce exercitus, copiis præerat; ita ut penes eum, si imperator aut dux abesset, summa esset auctoritas. Alii consulares legati, qui sub consule toti exercitui præerant; alii prætorii, qui sub prætore singulis legionibus. Lips. de Milit. Rom. II. 11.

cias ex provinciis,[i] ex bellis bella, mandaret? 6. Eodem *illum* uti jure posse putes, cum ad imperium revocet, quo sit usus, cum ad exercitum miserit;[b] nihilque interesse, ire legatum, an redire Principem, jubeat; nisi quod major sit obsequii gloria in eo, quod quis minus velit.

CAP. X. 1. Augebat auctoritatem jubentis, in summum discrimen auctoritas ejus adducta: utque magis parendum imperanti putares, efficiebatur eo, quod ab aliis[j] minus parebatur. 2. Ad hoc audiebas senatus populique consensum.[k] Non unius Nervæ judicium illud, illa electio fuit: nam, qui ubique sunt homines, hoc idem votis expetebant: ille tantum jure Principis occupavit, primusque fecit, quod facturi omnes erant. Nec, Hercule,[l] tantopere cunctis factum placeret, nisi placuisset ante, quam fieret.

[b] *Quo usus est cum te legatum ad exercitum misit.*

alia manus in margine adjecit, *paratoque*.—6 Omnes Mss. quibus Schwarz. usus, habent *illo*, et omittunt verba *posse putes*. Sed *illum* primus dedit Cuspinian. et suasit etiam Lipsius. Receperunt deinde etiam Gesner. et Schwarz. qui tamen monent, posse et *illo* ferri, inprimis si cum Baudio legas, *ad imperium te vocet*. Servavit *illo* Arntzen. Verba *posse putes* primus prodidit Catanæus, et receperunt cum Cuspiniano recentiores fere omnes. Pro *revocet* Baudius conj. *te vocet*. Cod. Patav. et Exc. Voss. *legatum ire*. 'Cod. Patav. *nisi quod sit major obsequi gloria;* ubi forte *obsequî* more antiquo scriptum pro *obsequii*.' Schwarz.

CAP. X. 1 Vatt. 2. 4. et Guelph. *auctoritatem jubet*. Cod. Salisb. *auctoritas ejus abducta;* sed in cujus margine alia manu notatum est, alios legere, *adducta*. Cod. Venet. *ejus auctoritas adducta*. Gierig. conj. *utque tu magis*. Cod. Venet. *afficiebatur eo*. Vat. 4. et Guelph. *quod ab aliis parebatur*. Pro *parebatur*, cod. Patav. habet *patiebatur*.—2 Vat. 4. et Guelph. *non qui ubique*. Sic et in codd. aliorum scriptorum librarii particulas *nam* et *non*, propter compendium scripturæ, confuderunt. Vat. 1. *notis expetebant;* cod. Patav. et Exc. Voss. *votis expectabant*. Codd. Vat. 4. et Guelph. *primus fecit*. Cod. Patav. Exc. Voss. edd. Sichard. Baun. et Arntzen. *quod omnes facturi erant*. Ald.

NOTÆ

[i] *Si provincias ex provinciis*] Si post unam administratam provinciam, alterius administrationem tibi committeret, et uno bello confecto, alteri te præficeret, annon obtemperares?

[j] *Ab aliis*] Prætoriani enim, et eorum exemplo complures alii, adversus Nervam rebellarant.

[k] *Senatus populique consensum*] Senatum populumque hanc tuam adoptionem communibus votis postulantem.

[l] *Hercule*] Vel *Hercle*, quasi per Herculem. Terent. Eunucho: 'Hercle, hoc factum est.' Et ubi non ejus rei exempla?

3. At quo, Dii boni, temperamento potestatem tuam fortunamque moderatus es? Imperator *tu* titulis,[m] et imaginibus, et signis; ceterum modestia, labore, vigilantia, dux, et legatus, et miles: cum jam tua vexilla, tuas aquilas,[n] magno gradu anteires, neque aliud tibi ex illa adoptione, quam filii pietatem, filii obsequium, assereres, longamque huic nomini[o] ætatem, longam gloriam, precarere. 4. Jam te providentia Deorum primum in locum[p] provexerat; tu adhuc in secundo resistere, atque etiam senescere, optabas: privatus tibi videbaris, quamdiu Imperator et alius esset.[c] Audita sunt vota tua;[q] sed in quantum optimo illi et sanctissimo seni utile fuit, quem Dii cœlo vindicaverunt,[d]

[c] *Quamdiu imperii socium haberet.* [d] *Induxerunt.*

Junt. Arntzen. *Nec Hercule tanto opere.*—3 '*Ad quod temperamento boni potestatem* cod. Paris. *Ad boni temperamento potestatem* cod. Venet. *At quo boni temperamento potestatem* Salisb. *Ad quod boni temperamento potestatem* Patav. et Voss. *Ad quod boni temperamentum potestatem* cod. meus. Nescio quomodo tam inepta corruptela tot codices inquinarit. Puteol. et Berold. omissis verbis *Dii boni*, edidere, *At quo temperamento potestatem;* Catanæus et quidam alii, *At quo temperamento, Dii boni, potestatem.*' Schwarz. *Imperator tu non titulis* cod. Venet. ' Vulgo male distinguebatur: *Moderatus es Imperator? tu titulis;* quod vitium jam sustulerat Lipsius Quæst. Epist. v. 15. nec in antiquioribus Puteol. Veneta, Aldina, Frobeniana reperiebatur, primus eum errorem intulerat Sichardus, quem expressit Gryphius. Recte Catanæus distinguit; sed ille omisit *tu*, judicio an incuria dubitares, certe nullam rationem addidit. Tamen eam lectionem arripuerunt Hearn. et Cellarius, quod imitandum non duxi, cum neglecta videatur ex similitudine sequentis syllabæ.' *Arntz.* Mox, hæc omnia verba, *cum jam tua vexilla, tuas aquilas, magno gradu anteires, neque,* omissa sunt in cod. Paris. Paulo post, Ald. et Sich. *longamque gloriam.* Codd. Patav. et Voss. *precareris.*—4 *Jam* deest in Ald. *Ni te providentia D. p. in l. provexisset* Exc. Voss. *Imperator alius esset* Salisb. *Nuncupata Jovi sunt vota tua* legere optavit Behrius. ' Exc. Vossius et Guelph. uterque *de cælo;* sed sensus obstat apertius, quam ut dubitare liceat, omnibus quoque edd. constanter editam scripturam tuentibus.' *Arntz.* *de cælo*

NOTÆ

[m] *Imperator tu titulis*] Tu quidem titulis, imaginibus, et signis imperator eras, sed idem modestia et vigilantia, dux, legatus, et miles.

[n] *Tuas aquilas*] Aquilas Romanarum legionum signum fuisse notum est. Id vero sub C. Marii secundo consulatu primum contigisse refert Plinius x. 4. Itaque aquilæ imago aurea vel argentea præferebatur longiori hastæ imposita, atque ut plurimum in sacello inclusa; ut ex nummis apparet. De his infra cap. XIV. not. [l].

[o] *Huic nomini*] Filii nomen optabas, ut tibi diuturnum esset, id est, ut tarde succederes patri; sed Dii immortales festinaverunt virtutes tuas ad gubernacula reipublicæ, quam susceperas, admovere. Plin. x. 1.

[p] *Primum in locum*] Ad imperium.

[q] *Audita sunt vota tua*] Aliqua sal-

ne quid, post illud divinum et immortale factum, mortale faceret. 5. Deberi quippe maximo operi hanc venerationem, ut novissimum esset, auctoremque ejus statim consecrandum, ut quandoque,[e] inter posteros quæreretur, an illud jam Deus fecisset? 6. Ita ille nullo magis nomine publicus parens, quam quia tuus; ingens gloria, ingensque fama, cum abunde expertus esset, quam bene humeris tuis sederet[f] imperium; tibi terras, te terris, reliquit; eo ipso carus omnibus ac desiderandus, quod prospexerat, ne desideraretur.

CAP. XI. 1. Quem tu lacrymis primum, ita ut filium decuit, mox templis,[a] honestasti; non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente, fecerunt. Dicavit cœlo Tiberius[b]

[e] *Aliquando.* [f] *In te incumberet.*

etiam codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Schwarzian. et Salisb. in quo etiam *Dei*, non *Dii*, scriptum est. Cod. Venet. *post illum divinum et immortalem factum.* Vat. 3. *mortale facere*; Patav. *mortale fieret*; Venet. *mortale facerent.*—5 *Deberi q. maxime competi hanc* Venet. *Deberi quippe maximo competi hanc* Vat. 3. *Deberi q. sanctissimo operi hanc* Salisb. ubi vero pro voce *sanctissimo* in margine rescriptum est, 'alii *maximo.*' 'Hæsitarunt intt. in infinitivo *deberi*, qui non habere videtur, quo referatur. Catanæus monet aut pro *deberi* scribendum esse *decuit*, aut hoc certe subintelligendum. Schwarz. vero primum putat, excidisse forsan *rati*; mox mavult subintelligi 'putares.' Immo Plinius nobis cogitatione supplendum reliquit *censebant* scil. Dii; quod genus ellipseos frequentissimum est. Vid. Corte ad Sallust. Cat. XXI. 3. ubi exempla simillima. Etiam infra LII. 6. similis ellipsis occurret. Ante *venerationem* inserui *quoque* auctoritate Cuspiniani, quem secuti sunt et Gruterus, Parisienses et Patarol.' *Gierig.* 'Statim, *hanc quoque venerationem* Scal. Cusp. Grut. al. quod non video, cur amplecterer, uti nec quod Guelph. habet, *notissimum* pro *novissimum*, neque quisquam ignorat, quo sensu hæc vox sit accipienda. Pro *quæreretur* etiam *quæretur* solenni errore.' *Arntz.* *notissimum* habet etiam Vat. 4.—6 Salisb. *nomine publico parens.* Mox, *Tibi terras, et terris reliquit* Vatt. 'Vossius notavit se in codice Guelph. invenisse *nec desideraretur.* In altera ejus codicis collatione nihil variatur, nec desideramus.' *Arntz.*

CAP. XI. 1 Vat. 4. *mox t. honestatis*; Vat. 3. *mox t. honestati*; idem etiam scriptum fuit in cod. Salisb. quod vero alia manus correxit, literaque *s* superscripta effinxit *honestasti.* Venet. *aliena mente.* 'Cod. Guelph. et edd. plu-

NOTÆ

tem ex parte, nam tres menses una cum Nerva imperasti.

[a] *Mox templis, &c.*] Pro more: simul enim obierant imperatores Romani, consecrabantur, habebantur in Deorum numero, templa iis ac sacerdotum collegia statuebantur.

[b] *Dicavit cœlo Tiberius*] Augusto adhuc vivo, divini honores habebantur; sed tamen post ejus obitum, id majori cum pompa factum est; inprimis postquam vir prætorius effigiem cremati Augusti euntis in cœlum sibi visam esse cum jurejurando

Augustum; sed ut majestatis *crimen* [c] induceret: Claudium Nero; sed ut irrideret: [d] Vespasianum [e] Titus, [f] Domitianus [g] Titum: sed ille, ut Dei filius; hic, ut frater, videretur. 2. Tu sideribus patrem intulisti, [2] non ad metum civium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum;

[2] *Tu parentem in Deorum numerum ascripsisti.*

rimæ, *majestatis numen*, quidam *nomen*. Et habet utraque lectio quo se defendat. Etenim sub Tiberio institutum est ut 'majestas tua,' et 'majestas Cæsarea' fierent voces solennes pro 'Tu, Cæsar.' Vell. II. 129. 3. 'pace majestatis ejus dixerim.' Phædr. II. 5. 23. de Tiberio, 'jocata est tanti majestas ducis.' Itaque Tiberius recte dici posset novo quodam modo *induxisse* (introduxisse, in usu posuisse) *majestatis nomen*. Tali appellatione Cæsares numinibus æquiparabantur; nam 'majestas' etiam divinitatem significat: vid. XLII. 1. ad verba, 'qui sibi majestatem vindicabant.' Igitur putet aliquis, Plinium scripsisse *majestatis numen*. Heumannus et Gesner. mallent, *ut majestati* (*suæ*) *numen ind.* ut majestati imperatorum, aut suæ potissimum, induceret velum, vestemque venerabilem, numen divinum, eoque obtentu tanto acerbius eam vindicare posset. Sed nihil mutandum arbitror, et *crimen* recte se habere; quod præferunt Mss. Vaticc. Paris. Venet. Salisburg. Schwarz. Patav. duo optimi, quibus Livineius usus, liber Vossii; idemque evulgarunt Cuspinianus, Gryphius, et præter alios Gesner. Arntzen. Schwarz.' *Gierig*. Vide Schwarzii Observationes Notis Variorum subjectas.—2 Hæ voces, *non in honorem tuum*, dimissæ sunt in codd. Vatt. 1. 4. et

NOTÆ

asseverasset; quod quidam senator acceptis eam ob rem cc. sestertiis confirmavit. Dio.

[c] *Majestatis crimen*] Id est, ut imperatoribus numen conciliando, eos qui in se delinquerent, tanquam læsæ majestatis atque ἀσεβείας posset accusare. Alii legunt *majestatis numen*. Sensus erit, ut majorem imperatorio nomini venerationem conciliaret.

[d] *Sed ut irrideret*] Vel Deos, quorum in numerum tam fatuum imperatorem contra omnium expectationem ascribebat: quem sensum confirmant quæ mox consequuntur verba: 'Non in contumeliam numinum:' vel Neronem ipsum, quem 'morari inter homines desiisse,' producta prima syllaba jocabatur, hoc est, morionem agere. Eutrop.

[e] *Vespasianum*] Is factus a militibus apud Palæstinam imperator, Vitellio successit; cum Tito filio expugnata Hierosolymitana urbe triumphavit; cunctis amabilis. Obiit anno ætatis 69. imperii 10. minus diebus 6. relicto imperii hærede Tito, filiorum natu majore. Si Dioni fides est, cum in eo esset ut extremum spiritum efflaret, 'Jam Deus,' inquit, 'fio.'

[f] *Titus*] Hic amor et deliciæ generis humani dicebatur. Erat omnium virtutum genere mirabilis. Magno omnium luctu obiit an. ætatis 41. imperii 2. mense 2. die 20. relatusque est inter Deos a Domitiano. Dio. Eutrop. Quomodo autem hæc consecratio fieret, Herodianus docet lib. IX.

[g] *Domitianus*] Vespasiani et Domi-

sed quia Deum credis. 3. Minus est hoc,[h] cum fit ab his, qui et sese Deos putant. Sed, licet illum aris, pulvinaribus,[i] flamine,[j] colas; non alio magis tamen Deum et facis, et probas, quam quod ipse talis es. In principe enim, qui, electo successore, fato concessit, una, itemque certissima, divinitatis fides est, bonus successor. 4. Num ergo tibi ex immortalitate patris aliquid arrogantiæ accessit? num hos proximos, divinitate parentum desides ac superbos, potius, quam illos veteres[k] et antiquos, æmuleris? qui hoc ipsum imperium peperere, quod modo hostes[l] invaserant, contem-

in Guelph.—3 Codd. Vatt. et Salisb. *fit ab iis;* cod. Patav. et Ceva, *sit ab his.* Hæc vero *his* et *iis* fere perpetuo a librariis confunduntur. 'Cum *fit ab iis* scripsimus cum Aldo, Sich. Gryphio, et aliis, non *ab his,* et ea lectionis vestigia extabant in Guelph. *cum fit ab Diis,* ut ex eo codice notavit Vossius. Offendebat antea nonnihil præcedens *hoc,* et harum vocum confusio frequens est. Vide Gronov. ad Livium XXV. 12. et nos ad Aurelium Vict. Epit. XLI. 2.' *Arntz.* Codd. Vatt. et Guelph. *non alio tamen magis;* Salisb. *non alio magis Deum tamen;* cod. Venet. *non alio tamen Deum,* ubi particula *magis* prorsus abjecta est. Mox, *et facis, et* desunt in codd. Vatt. 1. 4. et in Guelph. *ipse talis est* codd. Vatt. 1. 3. 4. *In principe, qui* codd. Vatt. 2. 4. et Guelph. *facto concessit* cod. Salisb. et Beroald. In Salisb. vero ex alius correctione rescriptum est *fato.* Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Guelph. Salisb. et Patav. *una eademque certissima;* codd. Venet. Schwarz. et Exc. Voss. *una idemque certissima.* Gesn. et Gierig. dederunt *eademque.*—4 *Non ergo tibi* codd. Venett. et Guelph. *num proximos,* omisso τῷ *hos,* Vat. 1. et Guelph. *et antiquos æmuleris* Vatt. 1. 2. 3. Paris. Venet. Salisb. Schwarz. edd. Aldd. Junt. Cratand. Philomus. Gryph. Sichard. et Boxhorn. *et a. æmularis* codd. Patav.

NOTÆ

tillæ libertæ filius, Tito successit, non sine suspicione fratris ab ipso interfecti. Moderatus utcumque initio fuit: tum Neroni, Caligulæ, aut Tiberio, quam patri aut fratri similior. Interfectus est suorum conjuratione an. ætatis 45. imperii 15. Eutrop.

h *Minus est hoc*] Minus honorificum est, referri inter Deos, cum illud fit ab eo, qui ita impudenter insolescit, ut Dei nomen sibi per fas et nefas arroget; quemadmodum Domitianus, a quo Titus consecratus est. Longe honorificentius Nervæ fuit, quod a Trajano modesto principe divinis est honoribus consecratus.

i *Pulvinaribus*] Supra c. VIII. not. m.

j *Flamine*] Sacerdote. Sic enim dicti sunt sacerdotes, quod æstivo tempore, ne nudo capite essent, filo comam præcingerent. Cognomen habebant flamines, ab eo numine cui sacra faciebant. Sic qui consecrati Quirino, dicebantur 'Quirinales:' qui Jovi, 'Diales:' qui Marti, 'Martiales:' qui Augusto, 'Augustales,' &c.

k *Quam illos veteres*] Camillos, Decios, Fabricios, Papirios, Fabios, Scipiones, Marcellos, &c.

l *Quod modo hostes*] Lege cum Livineio juxta veterem codicem, *Quod*

serantque: *quoniam Imperator is*, cujus pulsi fugatique, non aliud majus habebatur indicium, quam *si triumpharet*.

et Voss. Puteol. al. antiq. Gesn. et Gierig. '*Majus habetur indicium*] Hanc lectionem confirmant codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Patav. et Exc. Voss. non aliud magis habetur, *quam, &c.* Guelph. in quo omittitur vocabulum *indicium*.' Schwarz. 'Locus hic in omnibus Mss. et edd. varie est agitatus. Voss. Exc. *Imperium qui cujus pulsi fugatique non aliud majus habebat ergo sustulerant animos*, omissis vocibus inter has mediis, nisi quod ab alia manu adderetur, *indicium, quam si triumpharet.* Guelph. vero negligit illas voces, *peperere quod modo hostes invaserant contemserantque*, et eodem plane modo edd. Puteol. 1476. et Venet. 1498. In reliquis non tanta est varietas. Aldus expresserat: *Veteres et antiquos æmuleris* (ita omnes, at *æmularis* Lips. et Parisiens.) *qui hoc ipsum imperium peperere, quod modo hostes invaserant contemseruntque; cujus pulsi fugatique non aliud majus* (ita Guelph. edd. Puteol. 1476. et Venet. 1498. Froben. Sich. Catan. in edit. altera. Gryph. Paris. quod Perizonio quoque placebat. *magis* editio Catan. prima, Lips. Hearne, Cell.) *indicium quam si* (*quod* Guelph. Catan. Hearn. Cell.) *triumpharetur;* ita editi: solus Guelph. *triumpharet*, neglecta ea nota, qua in Mss. *ur* designatur, quod obvium est.' *Arntz.* 'Omnes, qui consulti hodie sunt, Mss. hic mutili reperiuntur, omittuntque verba, *peperere: quod modo hostes invaserant contemserantque*, et pro iis exhibent aut *quoniam imp.* aut *quoniam imperatoris*, aut *quam imperatorem*. Verba illa omissa primus inseruit Catanæus haud dubie e Mss. eumque secuti sunt omnes deinceps editores: recte; sententia enim ipsa illud supplementum flagitat. Præterea ab editt. præter Schwarz. omnibus absunt etiam verba *quoniam imperator is*, ut adeo imperium ipsum *pulsum fugatumque* dicatur. Quod cum displiceret viris doctis, loco vitioso succurrendum esse putarunt. J. F. Gronov. in Observatt. lib. IV. p. 709. suadebat, *quoniam imperabat is*. Schwarz. cui olim idem in mentem venerat, postea malebat, *quoniam imperator is*. Idem sibi placere significavit etiam vir doctus in Actis Lips. qui Schwarz. edit. nondum viderat. Gesnerus, qui in prima edit. Gronovii auctoritatem secutus erat, in secunda delevit hæc verba, partim quia e codd. mutilis et vitiatis fluxerunt, partim quia imperium æque recte dici posse putabat *pelli* et *fugari*, ac *contemni* et *invadi;* utrumque enim pr. pertinere ad homines, ad duces et exercitus. Me vero haud pœnitet in Schwarzii partes discedere, non tam propter duritiem illam, quæ est in imperio *pulso* et *fugato;* scio enim et alia non minus dura apud Nostrum occurrere, quam potius propterea, quod tot verba et integras sententias in oratione nostra librarii antiqui omiserunt, quarum plurimas e Mss. suis Cuspinianus, nonnullas etiam Schwarzius ductu codd. a se collatorum feliciter restituerunt. Et hoc quidem loco vestigia ejus lectionis, quam dedimus, satis expressa exstant, ut modo vidimus, in Mss. permultis. Accedit et hoc, quod Mss. Vaticc. quatuor, Paris. Guelph. Schwarz. Patav. Venet. et lib. Vossii in fine periodi habent *triumpharet*, non, ut cæteri, *triumpharetur*. Ea vero lectio necessario postulat tale supplementum.' *Gierig.* Videndæ Schwarzii

NOTÆ

modo hostis invaserat, contempseratque, cujus pulsi fugatique, &c. Victoriæ non aliud signum fuit, quam triumphus arrogans Domitiani: neque enim spolia aut captivi videbantur. Tacit. in Germ. cap. 37. 'Proximis temporibus, (Domitiani,) triumphati magis quam victi sunt.' Et Dio salse de vano illo Domitiani triumpho, ait eum pro defunctis in Dacia militibus suis triumphum egisse.

5. Ergo sustulerant animos,[m] et jugum excusserant; nec jam nobiscum de sua libertate, sed de nostra servitute, certabant: ac ne inducias [n] quidem, nisi æquis conditionibus, inibant; legesque, ut acciperent, dabant.

CAP. XII. 1. At nunc rediit omnibus terror, et metus, et votum imperata faciendi.[h] Vident enim Romanum ducem, unum ex illis veteribus et priscis, quibus imperatorium nomen[o] addebant contecti cædibus campi, et infecta victoriis maria.[i] 2. Accipimus obsides ergo, non emi-

[h] *Voluntas exequendi jussa nostra.*
[i] *Conciliabant repleti cadaveribus campi, et tincta cæsorum sanguine maria.*

Obss. Notis Variorum subjectæ.—5 ' *Nisi æquis conditionibus*] Hocne ergo adeo iniquum, si *æquis?* Ita, quia dignatio Romana et potentia major, quam ut barbari æquarentur. Neque male tamen alterutra vocula rejecta legeris, *ac ne inducias quidem æquis conditionibus*, vel, *inducias quidem, nisi conditionibus*. Dispice et fateberis fortius sic efferri, magisque indignanter. Atque adeo sequentia dicunt, nec æquas conditiones fuisse, sed quas iis lubitum imponere.' *Lips.* Habent omnes codd. et Baunius, et quidam alii editores, *ac ne inducias quidem*. ' Bene in margine monuit erud. Perizonius, nihil videri mutandum, quod hæ essent æquæ conditiones, leges mutuo dare.' *Arntz.* Paulo ante cod. Guelph. exhibet, *ut jugum excusserant*.

CAP. XII. 1 ' *Terror et metus*] Quid? utne hostes nos terreant? minime; sed terror a nobis ad ipsos venit, habentque et una metum. Sic infra jungit: ' Neque enim adhuc ignavia cessavimus; terror et metus monebant a rep. animos averteremus.' Alioquin labebar legere, *omnibus terris et metus et, &c.* sed puto, labebar.' *Lips.* ' Non offendere Lipsium debebat cumulatio verborum. Immo consilium oratoris postulabat, ut pluribus verbis positis immoraretur rei, ideoque et polysyndeto usus est. Præterea *terror* et *metus* differunt; ille enim ad mala præsentia, hic ad futura pertinet. Cf. LXVI. 4.' *Gierig.* *Videt enim* cod. Venet. et Beroald. ' *Infecta victoriis maria*] Schæf. conj. *infecta cruoribus*. Me vero in Pliniano Paneg. *maria victoriis infecta* minime offendunt. Contra, triviale illud, *cruoribus infecta*, minime convenit poëtico, *contenti cædibus*.' Gierig.—2 *Accepimus obsides* codd. Salisb. et

NOTÆ

[m] *Sustulerant animos*] Daci, Sarmatæ, Catthi, sub Domitiano.

[n] *Inducias*] Varro ' pacem castrensem paucorum dierum et belli ferias,' Gellius ' cessationem belli pactitiam ' vocat.

[o] *Imperatorium nomen*] Duces exercituum re bene gesta, gaudio et impetu victoris exercitus imperatores conclamabantur: quam appellationem senatus confirmabat, si modo justa victoria certum hostium numerum interfecissent. Sed alio postea sensu imperatores dicti sunt, penes quos summa rerum omnium esset potestas, ut notat Appianus in Procem. Histor.

mus:[p] nec ingentibus damnis,[q] immensisque muneribus, paciscimur, ut vicerimus.[k] Rogant,[r] supplicant; largimur, negamus:[s] utrumque ex imperii majestate. Agunt gratias, qui impetraverunt; non audent queri,[t] quibus negatum est. 3. An audeant, qui sciant, te assedisse[u] ferocissimis populis, eo ipso tempore, quod amicissimum illis,[v] difficillimum nobis; cum Danubius[w] ripas gelu jungit,[l] duratusque glacie ingentia tergo bella transportat; cum feræ gentes, non telis magis, quam suo cœlo, suo sidere,[x] ar-

[k] *Ut vicisse videamur.*

[l] *Ripas habet perpetua glacie conjunctas, et gelu concretus, sic tanquam ponte traducit numerosos exercitus.*

Guelph. Pro *damnis*, codex Schwarzianus habet *donis*, ut conj. Arntzen. 'Male *pascimur*, et a correctore *poscimur*, Exc. Voss. pro *paciscimur*: tamen priori modo Puteol. et Veneta. *paciscimur: ut vicerimus rogant.* Ascens. et Gryph.' *Arntz.* Statim, cod. Patav. et Exc. Voss. *utcumque ex imperii.* In iisdem, *qui imperaverunt*; Salisb. *qui imperarunt*; sed in margine, 'al. *impetrarunt.*'—3 Particula *An* in cod. Guelph. non exprimitur. Cod. Paris. *qui sciant et assedisse*; cod. Venet. *qui sciant, te absedisse.* Mox, *gelu ripas jungit*

NOTÆ

[p] *Non emimus*] Ut Domitianus, qui, teste Tacito in Agricolæ Vita, 'Emtis per commercia, quorum habitus, et crines in captivorum speciem formarentur,' de Dacis, a quibus victus fuerat, falsum et ridendum omnibus triumphum egit.

[q] *Ingentibus damnis*] Pecuniariis, ut videremur vicisse. De hac summa quam Domitianus in singulos annos se daturum Decebalo promisit, ut pacem emeret, fuse Dio in Domitiano.

[r] *Rogant*] Fortasse ad hunc locum respexerit Claudianus de Laud. Stilic. III. 210. 'Illi terribiles, quibus otia vendere semper Mos erat,' &c.

[s] *Largimur, negamus*] Ad arbitrium; quod recuperatæ per Trajanum auctoritatis nostræ non parvum indicium.

[t] *Non audent queri*] Adeo fortitudinem tuam aut extimescunt, aut venerantur, 'ut qui putant rem sibi fore non cum Domitiano, sed cum principe justitia, robore, et militia claro.' Dio.

[u] *Assedisse*] Te castris ad Danubium positis ferocissimos populos compressisse.

[v] *Amicissimum illis*] Ad res gerendas opportunissimum: utpote cœli sui asperitate assuetis.

[w] *Danubius*] Propter Alpes oritur: Germaniam, Illyricum, et Daciam transgressus, acceptis sexaginta fluminibus, in Pontum Euxinum sex ostiis evolvitur: ubi primum Illyricum attigit, 'Ister' dicitur. Hic autem fluvius ita per hyemem gelascit, Herodiano teste lib. VI. 'Ut camporum in morem perequitetur, nec ex eo aqua nisi cum dolabris et securibus hauriri possit.'

[x] *Sidere*] Climate, aut anni tempestate, quomodo Taciti Annal. VII. 70. 'Sidere æquinoctii, quo maxime tumescit oceanus,' &c.

mantur? 4. Sed, ubi in proximo tu, non secus, ac si mutatæ temporum vices essent, illi quidem latibulis suis clausi tenebantur;[l] nostra agmina percursare ripas, et aliena occasione,[y] si permitteres, uti, ultroque hyemem suam barbaris inferre, gaudebant.

CAP. XIII. 1. Hæc tibi apud hostes veneratio. Quid apud milites? quam admirationem, quemadmodum comparasti? cum tecum inediam, tecum ferrent sitim: cum in illa meditatione campestri[a] militaribus turmis[b] imperatorium pulverem sudoremque misceres, nihil a ceteris, nisi robore ac præstantia, differens: cum libero Marte,[c] nunc cominus tela librares,[d] nunc vibrata susciperes:[m]

[l] *Germani quidem in sylvarum suarum recessus se abdebant.*
[m] *Scuto exciperes.*

cod. Guelph. Paulo post, *non telo magis* cod. Patav.—4 '*Ultroque*, quod in *utroque* mutavit Puteol. et Veneta, facile se tuetur.' *Arntz.*

CAP. XIII. 1 *Hæc ubi apud, &c.* Guelph. 'Pro *in illa*, inepte in codice Patav. et Voss. scriptum est *nulla;* facili tamen lapsu ex *ini* factum *nu.*' Schwarz. Codd. Patav. et Voss. *nihil a c. nisi rubore.* 'Schwarz. in Suppl. dolet, se non recepisse in textum lect. Cuspiniani, *differres.* Sed meo quidem judicio hæc verba rectius per participium junguntur superioribus; non enim peculiare genus exercitationis iis describitur, sed modus, quo interfuerit Trajanus turmis. Præterea Plinius tunc haud dubie præmisisset præpos. *cum*, amat enim inprimis anaphoram. Neque assentior eidem Schwarzio, cum ductu Mss. *differens* mutat in *dispar*, atque hoc membrum cum seqq. conjungit: *nihil ceteris n. r. a. p. dispar, libero M.* Nempe *dispar* legitur in Ms. Guelph. libro Voss. et altero Gudii: *dispari libero M.* autem in Vaticc. et in libro Voss. ab alia manu extat. Nonnulli codd. verba *differens, cum* omittunt.' *Gierig.* Omittunt codd. Paris. Venet. Salisb. Schwarzian. Patav. Exc. Voss. a prima manu; item edd. Puteol. et Beroald. Vide Schwarzii Obss. Notis Varr. subjectas. '*Nunc librata susciperes*] Sic pro *vibrata* aucto-

NOTÆ

[y] *Aliena occasione*] Gestiebant nostri milites uti opportunitate temporis qua hostes tam sæpe usi essent, atque hyeme pugnare solitis hyemale bellum inferre.

[a] *Meditatione campestri*] *Exercitationem campestrem* vocat Suetonius, cum milites, maxime in hybernis et stativis, ut fit hodieque, tanquam in umbra veram ad pugnam proluderent. De quo exercitio videri potest Lipsius de Milit. Rom.

[b] *Turmis*] Id est, militibus. Quanquam centuria et manipulus peditum turma proprie equitum erat. Constabat vero equitibus omnino 32. juxta Varronem et Isidorum; 31. juxta Vegetium; 113. juxta Ælianum. Huic qui præerat, Decurio nominabatur. Veget.

[c] *Libero Marte*] Omnibus aperto ad exercitationem campo.

[d] *Librares*] Aut, ut suspicatur Livineius, *vibrares;* id est, totis viribus contorqueres.

alacer virtute militum, et lætus, quoties aut cassidi tuæ, aut clypeo, gravior ictus incideret. 2. Laudabas quippe ferientes, hortabarisque, ut auderent: et audebant jam; cum spectator moderatorque ineuntium certamina virorum arma componeres,[e] tela tentares, ac, si quod durius[n] accipienti videretur, ipse vibrares. 3. Quid? cum solatium fessis, ægris opem[f] ferres. Non tibi moris[o] tua

[n] *Gravius.* [o] *Non solebas.*

ritate cod. Patav. et e conj. Lipsii dedi, quia Noster delectatur ejusdem verbi repetitione. Alii, suadente Livineio, bis posuerunt *vibrare*. Alterum tamen exquisitius. Porro, quoniam *cominus* milites *telis* non pugnant, et in altero membro nihil est, quod huic voc. respondeat, propterea nuper suasi, *nunc manibus tela librares, nunc clypeo librata susciperes.* Vir doctus in Ephem. Lit. Jenens. No. 346. an. 1796. objicit, *manibus* otiosum sibi videri; se igitur malle, *nunc eminus tela librares, nunc cominus librata susciperes;* Trajanum concessisse hoc militibus, ut *cominus* se peterent telis, ipsum autem *eminus*, in metam remotam, librasse tela.' *Gierig.* *Nunc cominus tela librares; nunc librata susciperes* cod. Patav. *nunc c. t. vibrares; nunc vibrata susciperes* recentiores edd. Arntz. et Gesn. forte secuti conjecturam Livineii; quam vero non firmat auctoritas codicis Guelph. utpote qui potius refert firmatque vulgarem lectionem; in quam conspirant codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venet. Salisb. et Schwarzian. a quibus non dissentit liber Vossianus. —2 'Nonnulli edidere, *quippe ipse ferientes;* sed pronomen *ipse*, cum mox recurrat, *ipse vibrares*, recte omisere librarii in codd. nec meliores libri, typis excusi, id habent.' *Schwarz.* 'Voculam satis inutilem *ipse* post *quippe* expunximus, fide Exc. Voss. et Guelph. edd. Ven. Aldi, Froben. Sich. Lips. reliquorumque: primus Ascensius in textum receperat, forte ex similitudine ductus præcedentium literarum.' *Arntz.* Hæ duæ voces, *et audebant*, absunt a codice Patavino et Exc. Voss. Mox, codd. Vatt. Paris. et Patav. *cum spectatorque ineuntium certamina virorum arma componeres;* codd. Venett. et Guelph. *cum spectator, quæ ineuntium certamina virorum arma componeres.* 'Male *arma* desideratur in Voss. nec melius sequentia, *tela .... vibrares*, non agnoscit Guelph. cum tamen proprium fuerit boni ducis, ut arma militum tentarent. Vide ad Aurelium Cæs. cap. 10.' *Arntz.* Hæc verba, *tela tentares, ac, si q. d. a. v. i. vibrares*, neglecta sunt etiam a librariis codd. Vatt. 2. 4. *si quid durius* edd. quædam edd. vett. *si quid gravius* conj. Rittershus. *si quid durius* omnes codd. cum edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Lips. Gesn. et recentt.—3 *Non tibi mos* Guelph. et Vat. 4. probante Gierig. '*Tua inire tento-*

NOTÆ

[e] *Arma componeres*] Id est, aptares unicuique, et explorares utrum paria essent resistendo: quod imperatoris boni officium esse docet Vegetius.

[f] *Ægris opem*] In Dacico quidem bello cum propter cæsorum et vulneratorum numerum fasciæ ad obliganda vulnera deficerent, Trajanus ne suæ quidem vesti pepercit, sed eam totam in fomenta et ligamenta discidit. Dio. Suidas. Sed quia bellum Dacicum anno post habitam hanc orationem altero contigit, alio pertinent hæc verba.

inire tentoria, nisi commilitonum ante lustrasses;[g] nec requiem corpori, nisi post omnes, dare. 4. Hac mihi admiratione dignus imperator non videretur, si inter Fabricios,[h] et Scipiones,[i] et Camillos,[j] talis esset. Tunc enim illum imitationis ardor,[p] semperque melior aliquis, accen-

[p] *Imitandi alterius studium.*

ria] Post hæc verba in cod. Guelph. inseruntur illa, quæ demum cap. xxv. 3. leguntur, nempe a verbis, 'liberalitatis tuæ fieret,' usque ad verba, cap. xxxii. 2. 'omnes gentes capiant.' Id annotavi, ut habeamus exemplum, quemadmodum veteres librarii, etiam ex trajectione membranarum chartarumve, aliquando confusionem intulerint libris.' *Schwarz.* Mox, cod. Venet. *ante lustrares.*—4 *Ac mihi* codd. Salisb. et Guelph. '*Imperator videretur* codd. Paris. Venet. et Patav. Absentia particulæ *non* posset utcumque tolerari, si reliqua verba per interrogationem pronuntiarentur; sed melior est vulgata lectio, quam alii etiam codd. confirmant.' *Schwarz.* Particula *non* deest

NOTÆ

[g] *Lustrasses*] Haud absimile est, quod habet Auson. de Gratiano: 'Vidi te circumire tentoria; satin' salvæ? quærere, tractare vulnera sauciorum.'

[h] *Fabricios*] Multitudinis numero utitur, qui significantior est. Fabricius adversus Pyrrhum Epirotarum regem et Samnites missus anno U.C. 476. medicum regis, de ejus nece pacisci volentem, vinctum Pyrrho remisit, his verbis: 'Romam aurum non habere, sed habentibus aurum imperare.' Aurel. Victor.

[i] *Scipiones*] Plures hujus nominis fuere. Omnium clarissimi, P. Cornel. Scipio Africanus Major et P. Cornel. Scipio Æmilianus Africanus Minor, Pauli Æmilii filius a P. Cornel. Scipione Africani Majoris filio adoptatus. 'Duo fulmina belli' a Lucretio et Virgilio appellantur; quanquam non desunt, qui id de fratribus Publio et Cn. Scipionibus interpretentur. Africanus Major, cum adhuc prætextam gereret, patrem suum ad Trebiam ab Hannibale circumventum, extremo discrimine liberavit. Idem anno ætatis 24. proconsul in Hispaniam ad necem patris et patrui ibidem cæsorum ulciscendam missus Carthaginem cepit; Hasdrubalem et Magonem variis præliis vicit, et pulsis ex Hispania tota Carthaginiensibus, consul factus est an. U. C. 549. Mox trajecto in Africam exercitu, iterum Hasdrubale et Syphace victis, postquam Hannibalem regredi ex Italia coactum profligasset, Carthaginem victor ingressus est. Attamen vir tantus de accepta ab Antiocho ob dandam pacem pecunia accusatus, in Liternum sponte concessit an. U. C. 567. ubi obiit. Africanus Minor consul an. U. C. 607. ante ætatem renuntiatus, bellum Punicum tertium gessit: Carthaginem anno sequenti captam, re in senatu agitata, et pervincente Catonis sententia, diruit: de eaque eodem anno triumphavit. Iterum consul capta et deleta 15. obsidionis die Numantia, triumphavit: ac tribus post annis mortuus in lecto repertus est. Appianus.

[j] *Camillos*] Marcus Furius Camillus Veios expugnavit an. U. C. 358. Gallis ex urbe Roma, quam occupa-

deret. 5. Postquam vero studium armorum a manibus ad oculos, ad voluptatem a labore, translatum est;[q] postquam exercitationibus nostris, non veteranorum aliquis,[k] cui decus, muralis,[l] aut civica;[m] sed Græculus[n] magister, assistit: quam magnum est, unum ex omnibus, patrio more,[o] patria virtute, lætari, et sine æmulo, ac sine exemplo, secum certare, secum contendere; ac, sicut imperat solus, solum ita esse qui debeat imperare!

CAP. XIV. 1. Nonne incunabula hæc tibi, Cæsar, et

[q] *Postquam a gerendo, ad spectandum; a laboribus, ad oblectamenta exercitium armorum translatum est.*

etiam in Exc. Voss. et cod. Guelph. quod tamen neglectum Cortio.—5 ' Hæc omnia verba, *Postquam vero ..... translatum est*, sunt omissa in codice Patavino; et Vossius annotavit, ea saltem alia manu fuisse ascripta. Sed huic lacunæ occasionem dedit particula *postquam*, quæ mox repetitur; unde librarius deses verba interjecta transilivit.' *Schwarz.* Mox, *non veterum aliquis* codd. Vatt. 2. 4. Guelph. et Salisb. in cujus vero margine scriptum, 'al. *veteranorum*.' Liber Gud. 1. et Exc. Scal. habent *conveteranorum;* ubi sine dubio ex proxima particula *non* procusa est syllaba *con*. Codd. Guelph. Vat. 4. et Patav. *decus corona muralis.* Paulo post, vocem *unum* præterierunt codd. Patav. Voss. edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Catan. et Ald. Primus *unum* publicavit Cuspianus, deinde Gryph. an. 1531. 1542. Sichard. et reliqui. Etiam e Vet. annotavit Livineius et laudavit Rittershus. atque hanc ipsam lectionem comprobant codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venett. Paris. Guelph. Schwarzian. Salisb. al. Cf. Cic. Catil. III. 71. Vat. 4. et Guelph. *et sine æmulo, sine exemplo.* Denique, pro *imperat*, Guelph. habet *imperaret;* et sic etiam Schwarzian. et Vet. Livineii; unde Livineius conj. *imperet.*

CAP. XIV. 1 '*Nonne incunabula*] Plus hoc loco tribuendum putavi duobus Mss. Vossiano et Guelph. quam reliquis omnibus edd. quas inspexi, quæ *Nonne* habent, cum testibus illis *Non* scripserit Plinius. Ignorantes librarii sæpe *non* in interrogationibus pro *nonne* accipi, maluerunt corrumpere scriptores, quam non intelligere.' *Arntz.* *Non incunabula* quatuor etiam codd. ap.

NOTÆ

verant, pulsis, patriam liberavit octavo post anno. Obiit an. U. C. 389. vir bellica laude clarissimus. Plura de illo vide Pan. II. cap. 14. not. q.

[k] *Veteranorum aliquis*] Unus aliquis in arte bellica exercitatissimus, quales esse solent qui hujusmodi exercitationibus præerant. Veterani autem dicebantur qui viginti annos militaverant.

[l] *Decus, muralis*] Supple 'coronæ;' 'quæ donabatur ei qui primus murum conscendisset.' A. Gellius. Erat ex viridi gramine.

[m] *Civica*] Supple 'corona;' 'quæ donabatur ei qui cives servaverat.' Addit A. Gellius, 'si modo hostem occiderat.' Erat ex quercu aut ilice.

[n] *Græculus*] Per contemtum, potius quam Græcus, ut Juvenalis Sat. III. 78. 'Græculus esuriens in cœlum jusseris, ibit.' Romani scriptores passim Græcorum mollitiem et levitatem notant.

[o] *Patrio more*] Id est, Romano. Nam etsi Trajanus natione Hispanus

rudimenta, cum puer admodum [a] Parthica lauro [b] gloriam patris augeres; nomenque Germanici [c] jam tum mererere, cum ferociam superbiamque *barbarorum*, ex proximo auditus,[d] magno terrore cohiberes, Rhenumque et Euphra-

Schwarz. '*Barbarorum*] Olim edebatur *Parthorum*, quod merito suspectum erat Behrio et Schwarzio; Parthis enim territis *Parthici* nomen, non autem *Germanici* mereri potuisset. Hic igitur ex ingenio correxit *barbarorum*, quia Germani inprimis 'barbari' videbantur Romanis, eorumque 'ferocia' passim notatur. Comprobavit hoc etiam et recepit Gesner. et est sane probandum, nisi putes Plinium posuisse potius certum populi cujusdam Germanici nomen. Parum abest, quin conjiciam, *Batavorum*, quod facile corrumpi potuit in *Parthorum*.' Gierig. 'Adeo blanditur cl. Schwarzii conjectura, ut fere in justæ emendationis locum recipiam, nisi me retraheret reliquorum conspiratio, ne quid temere in contextum immittere videar. Interim ei libenter assurgo, nisi credideris, dicere voluisse Plinium, Jam eas res gesseras, propter quas eodem jure ex devicta gente agnomen assumere potuisses, quo postea id fecisti de Germanis. Porro edd. ante Lipsium *augens*, is primus *augeres* prætulit. Postea id receperunt Parisienses, Hearn. Cell. Gesn. et alii: recte; et aperte ita Guelph. Corruptior, sed tamen in quo facile agnosceres vestigia priscæ lectionis Exc. Voss. *arrigeris*. Barthius sibi non constat, cum ad Claudian. IV. Cons. Honor. 317. laudet *augeres;* de Laud. Stilic. I. 189. et IV. Cons. Honor. 458. *augens*, et ultimo etiam loco se ea verba emendasse profitetur pro *mererere*, reponens *mereres*, sine necessitate; corrupte Guelph. *mererem*. Pro vulgato etiam *lauro* quarta flectione *lauru* dedit Barthius, et certe posteriori modo adamasse loqui Romanos judicat Broukhus. ad Tibull. II. 5. 63. et ex ea regula locum Virgilii in Eclogis emendat, cui nos alterum addimus ex cod. Vossiani excerptis Ecl. VI. 83.' *Arntz*. Schwarzius

NOTÆ

erat, imperator tamen et civis Romanus cum esset, ceteros imperatores Romanos debebat tanquam majores suos agnoscere.

[a] *Puer admodum*] De Trajani pueritia nihil, quod quidem meminerim, ab historicis proditum est, nisi quod Suidas eum moderate juventutem traduxisse dicit. Ex hoc tamen Plinii loco suspicari libet patris comitem eum fuisse in expeditione Parthica, quæ sub Nerone suscepta est. Hæc supra in Trajani Vita.

[b] *Parthica lauro*] Victoria apud Parthos relata. Parthi populi confines Mediæ, Hyrcaniæ, Carmaniæ. Vide Ptolemæum v. 5. Hi quidem Trajani temporibus imperio tenebant quicquid ultra Euphratem Persæ tenuerant.

[c] *Germanici*] Magnum et illustre cognomen, quod ambiebant omnes ferme imperatores, propterea quod Romani vix ullos hostes habuerant Germanis acriores ac difficiliores. Trajano autem an. ætatis 42. adhuc in Germania bellum feliciter gerenti missum est hoc nomen ab imperatore Nerva, a quo paulo ante fuerat adoptatus.

[d] *Ex proximo auditus*] Id est, adventus tui fama. Huc autem pertinere videtur illud Martialis XII. 8. de Trajano: 'Parthorum proceres, ducesque Serum, Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni, Possum ostendere Cæsarem; venite.'

tem [e] admirationis tuæ fama conjungeres? cum orbem terrarum, non pedibus magis,[f] quam laudibus, peragrares? apud eos semper major et clarior, quibus postea contigisses.[r] Et necdum Imperator, necdum Dei filius,[g] eras. 2. Germaniam [h] *quidem,* cum plurimæ gentes, ac prope

[r] *Quibus posterius visus esses.*

pro *fama*, citat *societate* e Mss. Vaticc. Paris. Venet. Salisb. Guelpherb. suo, eo, quo Livineius usus, et Exc. Gudii. Eandem lect. jam expressit Cuspinian. receperunt etiam Arntzen. et Gesner. Vide Schwarzii Observationes Notis Variorum subjectas.—2 'Mss. omnes, omnes etiam edd. ante Schwarz. omisso τῷ *Hispaniam* habent *Germaniamque.* Particula *que* suspicionem movet, excidisse hic nomen terræ cujusdam. Præterea Pyrenæus commemoratur, qui 'Germaniam munire dirimereque' nullo modo dici potest. Denique paulo post Trajanus diserte narratur ex *Hispania* venisse. Nihil igitur mihi certius videtur conject. Baunii *Hispaniam Germaniamque,* quam adeo non dubitavi in contextum recipere. Si quis vult, potest præterea interponere partic. *quidem,* quæ certe orat. melius connectit cum superioribus, eamque reddit molliorem. Schwarzius vero, quem secutus est Gesner. maluit dare *Germaniam quidem,* neglecto voc. *Hispaniam. Quidem* autem explicat, jam quod attinet ad Germ. Tum *Pyrenæum* putat aut partem esse Alpium Tridentinarum, hodie der Brenner, aut illum alterum Pyrenæum ideo hic esse commemoratum, quia superandus fuerit Trajano ex Hispania in Germaniam transeunti. Partem illam Alpium Pyrenæi nomen jam Plinii ætate habuisse, nemo, quod sciam, adhuc docuit. Altera autem Schwarz. ratio melius locum habet, si nostram lectionem tuemur.' *Gierig.* Videndæ Schwarzii Obss. Notis Varr. subjectæ. 'Vitium detexit et egregie de hoc loco meritus est codex Voss. qui ita: *Germaniamque, quam cum:* verissime, si ita distinguas: *Germaniamque (quam cum plurimæ gentes . . . dirimuntque) per hoc omne.* Quæ res huic loco corruptelæ originem dederit, non difficile est suspicari cum *que* et *quam* non adeo diversis compendiis designentur, ut similitudo alterutram vocem ejecerit. Quamvis non repudiarem, si malles, *Germaniam, quam.*'

NOTÆ

[e] *Rhenumque et Euphratem*] Id est, orientem et occidentem. Rhenus oritur ex Alpibus, in parte occidentali Rhætiæ. Ex duplici fonte, per lacum Constantiensem transiens, Constantiam, Basileam, Novoburgum, Brisiacum, Argentoratum, Moguntiam alluit, ubi Mœnum recipit; tandem prope Schenkiam arcem in duo brachia scinditur: quorum alterum Vahalis, alterum Rheni servat nomen, ubi Lugdunum Batavorum alluit, et in mare influit. De Euphrate dicetur Pan. II. cap. 2.

[f] *Non pedibus magis*] Respexerit ad illud Tullii pro Marcello cap. 5. 'Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis, non dicam cursibus, sed victoriis illustratæ sunt.'

[g] *Necdum Dei filius*] Nerva enim nondum ascriptus erat inter Deos, quod Trajani primo imperii anno factum. Dio.

[h] *Germaniam*] Deesse hic aliquid nemo non videt. Quid autem illud sit, huc usque nullus divinare potuit. Crediderim excidisse *Hispaniam,* quam vocem prope abfuit, ut in contextum reciperem; est enim conjec-

infinita vastitas interjacentis soli;[s] tum Pyrenæus,[i] Alpes,[j] immensique alii montes,[k] nisi his compararentur, muniunt, dirimuntque. 3. Per hoc omne spatium cum legiones[l] duceres, seu potius, tanta velocitas erat, raperes; non vehiculum unquam, non equum, respexisti. Levis hic, non subsidium itineris, sed decus, et cum ceteris, subsequebatur;[t] ut cujus nullus tibi usus, nisi cum die stativorum[m]

[s] *Immensa magnitudo terræ inter utramque interjecta.*
[t] *Subsequebatur equus agilis cum ceteris, non tam ad usum tuum, quam ad pompam.*

Arntz. Cod. Paris. *interjacentis solis.* Vocabulum *soli* prorsus omissum est in cod. Vat. 4. 'Pro *compararentur*, Guelph. *comparentur*, ut pro *dirimuntque*, idem et Voss. *dirimunturque*, quod non capio, nisi exponas, ipsi muniunt Germaniam, et hac regione quasi planitie, vel valle, intercurrente dirimuntur seu separantur; sed hoc modo videmur argutias captare.' *Arntz.*—3 'Verbum *raperes* male desideratur in Guelph.' *Idem.* Exc. Voss. al. codd. ap. Schwarz. edd. Puteol. et Venet. *sed non vehiculum.* Particulam *sed* non agnoscunt codd. Venet. et Guelph. itemque edd. recentt. 'Statim non male, *et tamen subsequebantur* Guelph. et a manu secunda Exc. Voss. ex cujus vocis compendio videtur Puteol. et Veneta fecisse *cum,* nisi malis neglectum esse adjectivum *ceteris,* quod addidit Aldus, reliquique omnes. Deinceps *ut* non agnoscit Guelph. et, pro *stativorum,* scribit *stationum;* pejus *statutorum* Exc. Voss.' *Arntz.* '*Ut cujus, &c.*] Particula *ut* non invenitur in codd. Vatt. 2. 4.

NOTÆ

tura meo quidem judicio sat probabilis. Sensus erit: Hispaniam et Germaniam cum dirimunt plurimæ gentes, atque inprimis Galliæ, Pyrenæusque; tum muniunt Alpes, et infiniti alii montes, qui immensi viderentur, nisi cum Alpibus et Pyrenæis compararentur. Quare hic agit de Hispania, unde a Domitiano, ut mox dicetur, accitus, ad bellum Germanicum sic properavit, ut neque Pyrenæi neque Alpes ejus celeritatem retardarint.

[i] *Pyrenæus*] Montium series Galliam ab Hispania dividens. Hujus quoque nominis mons est Italiam inter et Germaniam. Seneca Consol. ad Helvidiam cap. VI. 'Pyrenæus Germanorum transitum non inhibuit.' Idipsum disertis verbis aiunt Appianus de Bello Hispan. Dionysius, Cluverius in Germania antiqua, Ortelius, &c.

[j] *Alpes*] Series altera montium, qui Italiam a Germania sic separant, ut, pro varia locorum diversitate, varia sortiantur nomina. Aliæ enim maritimæ, aliæ Cottiæ, Graiæ, Rhæticæ, Noricæ, Juliæ dicuntur.

[k] *Alii montes*] Ut Sarmatici et Carpathii. Alios vide apud Cluverium.

[l] *Legiones*] Legio dicebatur, quod constaret ex lectis militibus. Varius autem et incertus militum ex quibus constabat numerus fuit. Vegetius legionem in decem cohortes, cohortem in quinquaginta manipulos, singulos 25. militum, dividit. Aquilam præferebat primæ cohortis miles, isque Aquilifer dicebatur. Vegetius, Dio lib. XL.

[m] *Die stativorum*] Id est, quo die positis ac munitis castris aliquid moræ faciebat exercitus.

proximum campum, alacritate, discursu, pulvere, attolleres.[*] 4. Initium laboris mirer, an finem? Multum est, quod perseverasti; plus tamen, quod non timuisti, ne perseverare non posses. 5. Nec dubito, quin ille,[n] qui te inter illa Germaniæ bella, ab Hispania usque, ut validissimum præsidium, exciverat, iners ipse, alienisque virtutibus tunc quoque invidus Imperator, cum ope earum indigeret, tantam admirationem tui, non sine quodam timore,[o] conceperit; quantam ille genitus Jove,[p] post sævos labores, duraque imperia, regi suo[q] indomitus semper indefessusque referebat: cum aliis super alias expeditionibus *itinere illo*[r] dignus invenireris.

[*] *Alacriter discurrendo proximam planitiem pulvere oppleres.*

item nec in Guelph.' *Schwarz.* Mox, Paris. et Guelph. exhibent *die statutorum;* Exc. Voss. *die stationum.*—4 'Verbum *mirer* misere deturparunt librarii. Pro eo, *miser* legitur in codd. Paris. Salisb. et meo; *miserear* habet cod. Vatic. 2. et Guelpherb. *miseriam* Vat. 3. *Initium laboris miseram finem* Venetus.' *Schwarz.*—5 'Pronomen *illa*, quia *ille* proxime antecesserat, sine damno omittit cod. Vat. 4. Guelph. et Gud. 2. Pro eo Gryphius et Sichardus reposuerunt *ipsa;* quod et H. Steph. in margine notavit.' *Idem.* Gud. 2. Vat. 4. Guelph. et ed. Beroaldi, *ad Hispaniam usque.* 'Paulo post, antiquissimæ quæque edd. hic mutilæ sunt, Puteol. Ven. Ald. Frob. Ascens. et ceteræ, *post labores duraque.* Primus Sichardus huic defectui succurrit. Nobilissimus quidem Heinsius ad Ovid. Met. xv. 39. et in Syll. Epist. ad Scheff. xix. cum in duobus Mss. *senos* invenisset, exinde fecit *bis senos.* Ego malim credere *senos* fuisse scriptum pro *sevos*, seu quod idem, *sævos;* n enim et u quam facile commutentur nemo ignorat, cum sæpe vix possint dignosci. *sævos labores* tuentur post Sichardum Gryph. Hearn. Cell. Exc. Vossii, Guelph. Scheff. ad Heinsium Epist. xviii. et nuperrime Markland. ad Stat. I. Sylv. 2. 202.' *Arntz.* Codd. Vat. 4. et Salisb. *indefensusque.* Pro *itinere illo*, quam servant codd. Paris. Venett. Guelph. Schwarzian. item edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Ald. Froben. Sichard. Rhenan. Cratander, Gryph. Paris. Grut. Bernegger. et Philomus. *munere alio* exhibent edd. Venet. 1510. Arntz. et Gesn. 'quam lectionem quidem non contemno; fateor tamen vulgatam illam ab omnibus codd. confirmari.' *Schwarz.*

NOTÆ

[n] *Ille*] Domitianus, qui adversus L. Antonium, superioris Germaniæ præsidem, ex Hispania Trajanum evocavit.

[o] *Timore*] Ne, quo dignus eras, imperium, tanquam virtutum tuarum merces ad te transferretur.

[p] *Genitus Jove*] Hercules Jovis filius ex Alcmena. Fabula notissima.

[q] *Regi suo*] Eurystheo, quicum Domitianum imp. Trajani virtutum æmulum scite admodum confert.

[r] *Itinere illo* [*munere alio*] Id est, novo honore.

CAP. XV. 1. Tribunus[a] vero disjunctissimas terras,[b] teneris adhuc annis, viri firmitate lustrasti: jam tunc præmonente Fortuna,[c] ut diu penitusque perdisceres, quæ mox præcipere deberes. 2. Neque enim prospexisse castra, brevemque militiam quasi transisse, contentus, ita egisti tribunum, ut esse dux statim posses, nihilque discendum haberes tempore docendi. 3. Cognovisti per stipendia decem,[d] mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum; et diversam aquarum cœlique temperiem, ut patrios fontes, patriumque sidus, ferre consuesti. 4. Quoties equos,[e] quoties emerita arma,[f] mutasti! Veniet ergo tempus, quo posteri visere, visendum*que* tradere minoribus suis, gestient, quis sudores tuos hauserit campus; quæ refectiones tuas arbo-

CAP. XV. 1 Pro *præmonente,* Lipsius legit *præmuniente,* vel *præmoliente,* quod Livineio placet; sed alii monuerunt nihil esse mutandum. In multis edd. Puteol. Beroald. Catan. Cuspinian. Lips. et al. *diu penitus,* rejecta copula *que;* cum hanc omnes codd. agnoscunt, et jam Gryphius an. 1531. deinde Sichard. aliique evulgarint.—2 Codd. Vat. 4. et Guelph. *prospexit castra.* ' Hærent interpretes in verbo *transire.* Schw. explicat, præterire. Arntzen. mutatum velit in *transilire,* ut major celeritas indicetur: frustra. *Transire* interdum est, transigere. Sallust. Cat. 1. ' vitam silentio ne transeant;' ubi vid. Cortius.' *Gierig.* Beroald. *egisti tribunatum.* Codd. Vatt. *ut dux esse statim posses.*—3 Codd. Vat. 4. et Guelph. *regionumque situs.* Mox, pro voce *aquarum,* librarius cod. Paris. temere rescripsit *ætatem.* Porro, *consuevisti* cod. Salisb. cum edd. Froben. Lips. et vulgg. *consuesti* Guelph. Exc. Voss. alii codd. item Puteol. 1476. Venet. 1498. Ald. Junt. Sichard. Ascens. Livin. Grut. et optimæ quæque edd.—4 Pro *visendumque,* quod servant omnes codd. præter Vatt. 2. 4. in quibus est *videndumque,* item edd. Sichard. Gryph. Grut. Livin. Baun. Arntz. et recentt. *visendum,* sine copula, exhibent edd. antiq. Barthius *τὸ que* restituit ad Claudian. Bell. Get.

NOTÆ

[a] *Tribunus*] Militaris. Ex tribunis alii equitum, alii peditum erant. Hi post 5. stipendia, illi post 10. tantum. Polyb. et Veget. Hanc autem dignitatem postremis temporibus adolescentibus tribui solitam referunt Historiæ Romanæ Scriptores, donec Hadrianus instituit, ' neminem tribunum nisi plena barba fieri.' *Spartianus.*

[b] *Disjunctissimas terras*] Utrum Hispaniam, Parthiam, et Germaniam?

[c] *Præmonente Fortuna*] Alii *præmoliente.* Ita Lipsius. Sed quid opus emendatione, sine qua sensus est integer?

[d] *Per stipendia decem*] Per 10. annorum militiam. De stipendiis militum Romanorum multa refert Budæus.

[e] *Quoties equos*] Aliis post alios suffossis.

[f] *Emerita arma*] Usu detrita, et multis jam bellis defuncta. Metaphora ducta a militibus qui impleto militiæ tempore dicuntur ' emeriti.'

res, quæ somnum saxa, prætexerint;[v] quod denique tectum magnus hospes impleveris; ut tunc ipsi tibi ingentium ducum sacra vestigia, iisdem in locis, monstrabantur. 5. Verum hæc olim: in præsentia quidem, quisquis paulo vetustior miles, hic te commilitone[g] censetur. Quotus enim quisque, cujus tu non ante commilito, quam imperator? Inde est, quod prope omnes nomine[h] appellas; quod singulorum fortia facta commemoras: nec habent annumeranda tibi pro republica vulnera, quibus statim laudator et testis contigisti.

CAP. XVI. 1. Sed tanto magis prædicanda est moderatio

[v] *Quæ planities tuo sudore maduerit, qua sub arbore ceperis cibos, in quibus saxis ad dormiendum recubueris.*

257. Cod. Paris. *quis sudores tuos auxerit campus.* 'Pro verbo *prætexerint* maluit R. Steph. legere *protexerint;* Gesn. *prætexuerint.* Sed ego nolim verbum tam constanti omnium librorum consensu firmatum exturbare.' *Schwarz.* Mox, codd. Vat. 4. et Guelph. *ut tunc tibi ingentium Divum vestigia;* et monet Hearne Aldum expressisse *monstrabuntur.* 'In meo exemplari nihil variatur.' *Arntz.* Aldus 1508. *monstrabantur;* Aldus 1518. *monstrabuntur.*—5 *Quotus enim quisque, cujus tu*] In voce *cujus* aberrarunt quidam librarii; pro ea, *citius* cod. Guelph. et *civis* cod. Patav. exhibent. Quidam codd. etiam pro *quisque* produnt *quisquis;* quæ fere solennis est harum vocum commutatio. Vatt. 1. 4. *quod proprie omnis nomine.* Codd. Vat. 4. et Guelph. *fortia commemoras.* Mox, pro *nec,* habent *hec,* vel *hæc,* cod. Patav. et Exc. Voss. item edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Ald. Frob. Catan. Rhenan. al. *nec* cod. Salisb. a prima manu; sed manus altera subscripsit *hæc.* In margine *nec* correxit Sichard. quod in ipsum textum receperunt Ascens. Cuspin. Gryph. Lips. et qui optimas edd. secuti sunt alii; quod placuit Wassio ad Sallust. Catil. 62. et Cortio ad Plin. Epist. I. 7. Ita vero etiam in aliis scriptoribus, *nec* et *hæc* non raro confunduntur. Denique, particula *statim* abest a codice Patav. *et laudator, et testis* habent codd. Vatt. et Salisb.

CAP. XVI. 1 *Sed magis prædicanda moderatio tua* codd. Patav. et Voss.

NOTÆ

[g] *Te commilitone*] Nulla certior nota ut dignoscatur, an quis sit vetus miles, quam si te commilitonem semper habuerit.

[h] *Prope omnes nomine*] Pulchrius illud quod de Cyro Plinius, Quintilianus, et alii Latini scriptores referunt, illum tenuisse omnium omnino militum suorum nomina; sed haud scio an verius. Nam, ut recte annotant Lipsius et Muretus, Xenophon, a quo illi vel uno, vel præcipue, quæ de Cyro dicebant, accipere potuerunt, istud certe non dicit; sed tantum tenuisse nomina τῶν ὑφ' αὐτὸν ἡγεμόνων, quod ut in imperatore laudabile est, ita non excedit fidem. Videri potest Xenoph. Παιδείας lib. V. Certe quidem 'Themistoclem omnium civium suorum nomina memoriter tenuisse' dicit Tullius de Finib. lib. II. Sed quomodo id accipiendum sit, sapientes intelligunt.

tua, quod, innutritus bellicis laudibus,[i] pacem amas: nec, quia vel pater tibi triumphalis,[j] vel adoptionis tuæ die dicata Capitolino Jovi laurus,[k] idcirco ex occasione omni quæris triumphos. Non times bella, nec provocas. 2. Magnum est, Imperator Auguste, magnum est, stare in Danubii ripa,[l] si transeas, certum triumphi; nec decertare cupere cum recusantibus: quorum alterum fortitudine, alterum moderatione efficitur. 3. Nam, ut ipse nolis pugnare, moderatio; fortitudo tua præstat, ut neque hostes tui velint. Accipiet ergo aliquando Capitolium,[m] non *mimicos* currus,[n] nec falsæ simulacra victoriæ;[o] sed imperatorem veram ac solidam gloriam reportantem, pacem,

item edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Ald. Catan. Junt. Philomus. Rhenan. Cratand. R. et P. Steph. Boxhorn. aliæ; τὰ *magis* et *est* exhibent codd. Vatt. 1. 2. 3. Venett. Paris. Salisb. Schwarzian. Vet. Livin. Cuspin. alii; *magis* receperunt Sichard. Cuspin. Gryph. Arntz. *est* solus Schwarzius. Mox, cod. Patav. et Exc. Voss. *vel adoptationis tuæ*. Pro *dicata*, *dedicata* ascripsit codici suo Nic. Heinsius.—2 *Magnus es, Imperator Auguste* cod. Paris. 'Perperam *certum triumphum* hic solus reponit Guelph. nam recepta scriptura duobus facile modis exponi potest; ut *certum triumphi* idem sit quod *certum triumphum*. Pervulgatum enim est, adjectiva neutra genitivum secum habere; quomodo 'certa maris' dixit Tacitus Hist. IV. 81.' *Arntz.* *certum triumphi* codd. Vat. 1. et Paris. item libri typis excusi; *certus triumphi* Vat. 3. et Schwarzian. *certum triumphum* etiam Vatt. 2. 4.—3 Ante nomen *fortitudo*, cod. Patav. intrudit particulam *ita*. Adhæc pro *nolis*, mendose exhibet *nobis*; quod mendum, *nobis*, codex quoque Vat. 3. item et Venetus admisit. Codd. omnes (præter Schwarz. qui habet *iniquos*) *inimicos*; unde nonnulli fecerunt *inanes*, i. e. falsos, fictos; eaque lectio obsidet plurimas editt. Sed jam Livineius et Rittersh. suaserunt *mimicos*, quod etiam Gesner. et Schwarz. in textum receperunt. Videndæ Schwarzii Obss. Notis Varr. subjectæ. *Imperatore . . . reportante* edd. ante Lipsium. '*Imperatorem . . . reportantem* Lip-

NOTÆ

[i] *Innutritus bellicis laudibus*] Sane: siquidem puer admodum jam Parthicas lauros patris augebat, ut supra cap. XIV.

[j] *Pater tibi triumphalis*] Supra cap. IX. not. [b].

[k] *Laurus*] Missa ex Pannonia sup. cap. VIII. not. [n].

[l] *In Danubii ripa*] De Danubio fluvio supra cap. XII. not. [w].

[m] *Capitolium*] Templum erat Jovis in clivo Tarpeio, ita dictum, a capite Toli nescio cujus, in ejus fundamentis, cum a Tarquinio instauraretur, reperto. Hic erat terminus pompæ omnis, qua triumphantes in Urbem ingrediebantur. Hic in gremio Jovis Capitolini laureas deponebant.

[n] *Mimicos* [*inanes*] *currus*] Spoliis vacuos, quod turpe est triumphanti.

[o] *Falsæ simulacra victoriæ*] Ferebantur in triumphis captarum urbium imagines. Hic autem Domitianum carpit, qui cum urbes nullas expugnasset, falsas hujusmodi icones ad ornatum triumphi adhibuerat.

tranquillitatem, et *tam* confessa hostium obsequia, ut vincendus nemo fuerit.[a] 4. Pulchrius hoc omnibus triumphis. Neque enim unquam, nisi ex contemtu imperii nostri,[b] factum est, ut vinceremus. 5. Quod si quis barbarus rex[p] eo insolentiæ furorisque processerit, ut iram tuam indignationemque mereatur; næ, ille, sive interfuso mari, seu fluminibus immensis,[q] seu præcipiti monte, defenditur; omnia hæc tam prona,[c] tamque cedentia virtutibus tuis, sentiet, ut subsedisse montes,[d] flumina exaruisse, inter-

[a] *Tam spontaneam deditionem, ut nemo ex iis deinceps prælio subigendus sit.*
[b] *Nisi quia spernebant nostrum imperium.*
[c] *Pervia.* [d] *Complanatos esse montes.*

sio venerat in mentem, et repertum postea est in novem codd. annotatum etiam in Exc. Voss. et utroque Gudiano. Itaque receperunt Gesner. et Schwarz. qui tamen nec vulgatum *imperatore repertante* spernere audent. Hinc et nos utrumque expressimus.' *Gierig.* 'Vulgaris lectio magis arrisit Arntzenio; Gesnerus vero istam alteram edidit; in notis tamen professus est, quosdam libros pulchre habere, *Imperatore ... reportante;* qua ratione longum polyptoton interpelletur.' *Schwarz.* Vid. Nott. Varr. et Obss. Schwarzii. Voc. *pacem* deest in omnibus fere codd. et edd. vett. extat vero in edd. Vindob. Cuspiniani, Francof. Gruteri, Plant. Lipsii, Salmur. Fabri, Argent. et Lugd. Berneggeri; unde admisit Schwarzius. 'Ex utraque lect. Plinius paulo obscurius locutus est, et fortasse hic quoque, ut passim in hoc Paneg. nonnulla interciderunt. *Tranquillitatem* abest ab omnibus codd. et edd. plurimis. V. D. in Ephem. Lit. Jenens. hoc retinet, sed delet *pacem* et *gloriam.*' Gierig. in Ed. sec. Pro particula *tam* codd. Vatt. tres, Paris. Guelph. Exc. Voss. Schwarzian. Salisb. item edd. Beroald. Ald. Junt. Philomus. Cratand. Rhenan. Gryph. Ascens. R. et H. Steph. Livin. Boxhorn. et Cellar. habent *tamen;* cod. Venet. *tantum;* Paul. Steph. *tandem.* Adverb. *tam* jam prodidere Cuspin. Lips. Faber, Grut. Berneg. Baune, et Ceva; et firmant codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Schwarzian. et Grut. 2. Codex Salisb. a pr. m. pro voce *hostium,* dederat *hominum;* pro qua lectione autem alia manus in margine annotavit *hostium.* Ceterum verba sequentia, *obsequia, ut vincendus nemo fuerit,* ita depravata reliquit, ut difficillimum esset veriorem lectionem inde eruere: *obsequia ut ceu diis nemo, &c.* Vat. 1. et Paris. *obsequi, aut vincendus;* Venet. et Schwarzian. *obsequi, aut incendiis;* Vatt. 2. 3. 4. Guelph. et edd. omnes habent ut in textu.—4 Cod. Paris. *ut vinceremur,* sicuti conj. Rittershus. Sed jam Gruterus animadvertit, retinendam esse lect. vulgatam.—5 Codex Venetus, *indignationemque promereatur.* Mox, pro *defenditur,* codd. Vatt. *deprehenditur;* Paris. *dependitur.* Pro *sentiet,* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Guelph. Gud. 2. *censet;* cod. Venet. *transit;* Beroald. *scienter;* Schwarzius conj. forte legend. *cernet;* an potius *sciet,* ut apud Petron. cap. 58. Codd. Paris. Venet. Guelph. et Schwarzian. *ut subsidisse montes;* et sic edidit Arntzen. Vid. Nott. Varr. Gesnerus vero et alii *subsedisse* retinue-

NOTÆ

[p] *Barbarus rex*] Decebalus Dacorum rex, adversus quem jam tum bellum parabatur, quod anno sequenti inchoatum, ac tertio post anno confectum est. Dio.

[q] *Fluminibus immensis*] Ut Danu-

ceptum mare,[e] illatasque sibi[r] non esse classes nostras, sed terras ipsas,[f] arbitretur.

CAP. XVII. 1. Videor jam cernere,[a] non spoliis provinciarum,[b] et extorto sociis auro;[c] sed hostilibus armis, captorumque regum[d] catenis, triumphum gravem. Videor ingentia ducum nomina, nec indecora nominibus corpora,

[e] *Mare obstructum aggeribus.* [f] *Sed urbes ipsas.*

runt. Cod. Patav. et Exc. Voss. *interruptum mare.* '*Illatasque sibi non esse*] Infinitum *esse* plures omnino libri, manu æreque exscripti, omiserunt; et mallem eundem etiam a me omissum esse; quamvis et Gesnerus hunc prodiderit, forte Cellarium et Hearneum secutus. At non bene pronomen *sibi* prætermiserunt Beroaldus, Catanæus, Aldus, Gryphius 1531. Sichardus. Simili fere dicendi ratione usus est Justinus, XLIII. 4. 'Ut non Græcia in Galliam emigrasse; sed Gallia in Græciam translata videretur.'' *Schwarz.*

CAP. XVII. 1 *Video jam* Guelph. *sed hostium armis* Salisb. *sed hostibus armis* Puteol. 1476. Venet. 1498. Frob. Beroald. et H. Steph. et Rivin. in margine; sic etiam codd. Vat. 1. Paris. Schwarzian. et Catanæi membran. Catanæus mallet disjunctim proferre, *hostibus, armis;* probat vero magis receptam scripturam. Exc. Voss. *ingentium ducum.* Mox, codd. Paris. Salisb. in margine, Vat. 1. Exc. Voss. item edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Catan. Ald. Frob. Rhenan. Philomus. R. et H. Steph. Boxhorn. Sichard.

NOTÆ

bio. *Monte*] Nam Dacia montibus abundat. 'Trajanus montes Daciæ emunitos cepit.' Dio.

[r] *Illatasque sibi*] Malim quam *allatas*, ut alii habent.

[a] *Videor jam cernere*] Ita Horatius II. Od. 1. 21. 'Audire magnos jam videor duces,' &c. Elegans ὑποτύπωσις triumphi post expeditionem Dacicam Trajano decernendi, quem hic Plinius, cum fierent adhuc ad id bellum apparatus, tanquam divinando describit, prope uti contigit anno sequenti. In quo, etsi futura prædicere, non tam oratorum videtur esse, quam poëtarum, qui propterea vates appellantur: fuit tamen Ovidio felicior, qui Trist. IV. 2. Tiberii, de cujus in Germaniam expeditione rumore nuntio cognoverat, triumphum spe atque opinione conceptum describit, quem tamen nunquam egit Tiberius. Quare satis habere debent poëtæ, quæ gesta sunt, more suo quasi vaticinando narrare.

[b] *Provinciarum*] Iis omnibus regionibus, quæ aut vi, aut quacumque alia ratione subigebantur a Romanis, leges adimebantur domesticæ, dabantur Romanæ: tumque dicebantur redactæ in provinciæ formam. Quæ administrabantur a proconsulibus, eæ consulares appellabantur: quæ vero a proprætoribus, dicebantur prætoriæ, videri potest Notitia Provinciarum Imp. Rom.

[c] *Et extorto sociis auro*] Intellige aurum coronarium, quod socii populi Romani, aut provinciæ novo imperatori muneris loco mittebant.

[d] *Captorumque regum*] Captus est reipsa Dacorum rex Decebalus.

noscitare. 2. Videor intueri immanibus[g] ausis barbarorum onusta fercula,[e] et sua quemque *fata* vinctis manibus sequentem; mox ipsum te sublimem, instantemque curru domitarum gentium tergo, ante currum autem clypeos, quos ipse perfoderis. 3. Nec tibi opima[f] defuerint, si quis regum venire in manus audeat;[h] nec modo telorum tuorum, sed

[g] *Videor videre pegmata cœptorum barbaricorum imagines portantia.*
[h] *Singulari prœlio tecum certare.*

vocitare; Salisb. in textu, et Sichard. in marg. *noscitare;* quod locum habet in ceteris codd. et edd.—2 'Mutilus hic locus in antiquissimis edd. neglecta enim orationis parte scribunt, *Intueri in manibus sequentem;* in ipso etiam Voss. aberant, sed addiderat alia manus. Corruptelæ causa, similitudo vocum *inmanibus* et *manibus*, cum oculos librarius in posteriorem vocem conjiciens, negligeret ea quæ præcederent.' *Arntzen.* 'Lacunosus hic locus non solum Cellarii ed. sed jam etiam Beroaldi, Aldi, Junt. Rhenani, Fratrum de Lisona Vercellensium, H. et P. Steph. Chouet, et Boxhornii contaminaverat. Defectum tamén jam supplevere Cuspin. Gryph. Livin. Lips. Parisienses, et in margine annotarat H. Stephanus. Veram ergo lectionem diserte confirmat codex noster: *Videor intueri immanibus ausis barbarorum onusta fercula, et sua quemque facta vinctis manibus sequentem; mox ipsum te sublimem, instantemque curru domitarum gentium tergo.*' Schwarz. 'Justa hæc emendatio, si quid judico, nisi quod, duo verba suum ut reponantur in locum, superest. Scribo igitur ita: *te sublimem curru, instantemque domitarum gentium tergo.* Curtius IV. 1. 1. 'Darius curru sublimis inierat prælium.'' *Heuman.* '*Fata* olim ex ingenio suasit Baudius, idque postea in cod. Veneto repertum recepit Schwarz. quem et nos secuti sumus; est enim significantius vulgato *facta.*' Gierig. Vulgatum *facta* præfert Schæferus ideo, quod *ausis* præcedit. Codd. Venet. Salisb. et Exc. Voss. *junctis manibus.*—3 *Nec tibi opima defuerunt* codd. Vat. 4. Guelph. Patav. Venet. Salisb. Schwarzian. et Exc. Voss. Indubitato typothetæ errore, *optima* ed. Hearn. qui error et in priscis libris obvius. Gesnerus edidit, *nec non modo . . . opposito perhorrescat;* Schwarz. *nec modo telorum . . . opposito, non perhorrescat.* '*Nec modo* optimis Latinitatis auctoribus usitatum pro *nec non modo*, quod Gesnerus cum aliis servavit, licet *non* absit ab omnibus Mss. Negat enim negationem omitti posse, nisi in proximo membro aliud *non* vel *ne quidem* sequatur. Falsus est; omittitur enim etiam, quando sequitur *sed etiam.* Vid. Ernesti Clav. Cic. in 'Non.'' *Gierig.* 'Particulam *non* nullus agnoscit liber. Miror nunc, me non saltem, Mureti observatione in nota proposita inductum, particulam illam *non* hoc loco sprevisse.' *Schwarz.* Vulgg. *etiam oculorum;* sed omnes codd. Schwarzii, cum edd. Sichard. et Gryph. *oculorum etiam.* Vide Nott. Varr.—

NOTÆ

[e] *Fercula*] Proprie pegmata, in quibus captarum vel defensarum urbium, montium, fluviorum, cæsorum hostium vel fugatorum imago ebore, citro, argento, vel auro impressa imponebatur, ferebaturque ad triumphi pompam.

[f] *Opima*] Spolia, quæ dux duci sua manu occiso detrahit. Liv. IV. 20. Plutarchus tria tantum hujusmodi spolia ad sua usque tempora relata esse dicit: 1. a Romulo post Acronem Ceninensium regem ejus manu interfectum; 2. a Cornelio Cosso post cæsum Lartem Tolumnium Hetruscorum ducem; 3. a Claudio Marcello

oculorum etiam minarumque conjectum, toto campo totoque exercitu opposito, perhorrescat. 4. Meruisti proxima moderatione,[g] ut, quandocumque te vel inferre, vel propulsare bellum, coëgerit imperii dignitas, non ideo vicisse videaris, ut triumphares; sed triumphare, quia viceris.

CAP. XVIII. 1. Aliud ex alio mihi occurrit. Quam speciosum est enim, quod disciplinam [h] castrorum lapsam extinctamque refovisti, depulso prioris sæculi [i] malo, inértia et contumacia, et dedignatione [j] parendi! 2. Tutum est reverentiam, tutum caritatem mereri.[a] Nec ducum quis-

[a] *Benevolentiam sibi conciliare.*

4 [f] Vat. 3. Guelph. et Schwarzian. *ut quandoque te inferre.* Quam lect. etiam nunc edidit cl. Arntzen. et defendit; nihil tamen meruit vulgatior lectio, ut rejiciatur. Pro *quandocumque*, liber Vossii habet *cuicumque;* Guelph. *ut quandoque te id inferre.* Non vero video, cur Arntzen. judicarit *id* hoc loco non male pro *vel* positum esse. Cod. Salisb. *qnq3 te vel referre;* at super *referre* scripsit *inferre.*' Schwarz. Hæc verba, *sed triumphare, quia viceris,* male neglexit codex Paris. pejus codex Guelph. præterea etiam præcedentia, *ut triumphares.* Bene notavit Arntzenius, ipsum se simili locutione tueri Plin. Epist. I. 8. 'Non ideo prædicare, &c.' *Idem.*

CAP. XVIII. 1 Hæc transeundi formula, *Aliud ab alio mihi occurrit,* abest a codice Paris. et Guelph. '*Speciosum est enim*] Ita scripsi cum vetustissimis libris. Catanæus ejecit causalem conjunctionem, quem secuti Hearn. et Cellarius, uti erat in Guelph. Offendisse credo, cum nullo alio quam secundo loco *enim* admitterent.' *Arntz.* Particula *enim* omissa est etiam ab Ascensio, H. et P. Stephano et Boxhornio. 'Olim in mentem venerat, pro *lapsam* scribi posse *lassam*, cum hæ voces frequenter confundantur, uti est apud Lipsium ad Senec. Cons. ad Polyb. cap. 36. et Heinsium ad Ovid. Heroid. Epist. IX. 36. et hoc adjectivum melius conveniat τῷ *refovisti.*' Arntz. Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. et Guelph. *lapsam ac extinctam;* Exc. Voss. *lapsam atque extinctam;* Paris. Venet. Patav. et Schwarzian. *lapsam extinctam.* Mox, Gud. 2. *propriis sæculo malo;* Venet. et Guelph. *propriis sæculi malo.*—2 In cod. Vat. 4. Guelph. et Salisb. legitur, *Tutum est, r. tutum est, &c.* Schwarzian. *claritatem mereri.* 'Mox, Gruterus et Patarol. minus bene edidere, *et deinde.*' Schwarz.

NOTÆ

postquam Gallorum regem Virdomarum peremisset. Vide Propert. IV. 11. et Beroaldi in eum notas.

[g] *Proxima moderatione*] 'Cum stetisti in Danubii ripa, si transisses certus triumphi,' ut supra dixit cap. XVI.

[h] *Disciplinam*] De disciplina militari feliciter a Trajano emendata plura habet Dio.

[i] *Prioris sæculi*] Aculeate dictum in Domitianum, cujus taxat tempora, 'cum suspecta virtus, inertia in pretio; cum ducibus auctoritas nulla, nulla militibus verecundia, nusquam obsequium, omnia soluta,' &c. Plin. Epist. VIII. 14.

[j] *Dedignatione*] Rara vox, neque

quam, aut non amari[k] a militibus, aut amari timet: et inde,[l] offensæ pariter gratiæque securi, instant operibus;[b] adsunt exercitationibus; arma, mœnia,[m] viros, aptant. 3. Quippe non is princeps, qui sibi imminere, sibi intendi putet, quod in hostes paretur.[c] Quæ persuasio fuit illorum, qui hostilia, cum facerent, timebant.[n] *Iidem* ergo, *torpere*

[b] *Urgent opera militaria.*
[c] *In suam perniciem exerceri, qui in perniciem hostium exercentur.*

Vulgg. *offensæ gratiæque pariter;* Guelph. vero, aliique codd. ap. Schwarzium, *offensæ pariter gratiæque*, quam lectionem primus ille recepit. '*Arma, mœnia, &c.*] *Mœnia* castrorum, aut urbium in limitibus. An *munia* placet legi? Inde 'munifices' milites, qui facere ea cogebantur; 'immunes,' qui exempti. Nam quod vir doctus *armamenta* junctim hic legit, cui docto probabit?' *Lips.* 'Verum quid esset 'aptare munia?' Utique sic potius dicere debuisset 'aptare viros muniis.' Ego vulgari significatione *mœnia* accipio pro quibusvis munimentis et circumvallationibus castrorum. Cf. German. ad Virgil. Æn. II. 234. Videtur legisse Livineius (sic certe in nota sua scribit) *optant*, id est, eligunt duces justa arma, apta munitionibus loca, virosque.' *Arntzen.* Behrius conj. *arma viris, pugnæ viros, aptant.* Pro *aptant*, cod. Vat. 1. *captant.* Vide Nott. Varr.—3 'Pro *paretur*, minus bene cod. Vat. 1. et Livineius in margine, *parent*.' Schwarz. '*Qui hostilia, &c.*] Hæc verba sic leguntur in cod. Paris. *qui hostilia quum facerent, hostilia timebant.* Sed illud alterum *hostilia* fortasse ex glossemate natum.' *Idem.* 'Schæf. e cod. Paris. defendit, *qui, hostilia cum facerent, hostilia timebant*, ut quod aures magis impleat. Sed omnia librariorum additamenta magis aurem implent.' *Gierig.* Mox, vulgg. *Eodem ergo tempore, &c.* 'Quis in his verbis suspicetur mendum? Adeo, cum ipsa sibi sententia satis constet, fallere facile potuit scriptores lectoresque latens corruptela. Sinisteritas autem foret, cum Behrio pro *ingenia*, fortasse ex typographi Batavi vitio, legere velle, *in curia.* At qualecunque indicium faciunt e codd. Guelph. et alter Gud. qui habent, *Idem ergo tempore;* et Vat. 1. *Iidem ergo tempore.* Aliquantum luculentius indicant vitium codd. Paris. Venet. et Voss. in quibus scriptum est, *Idem ergo torpore.* Aperte denique hanc veram lect. exhibent tres codd. Vatt. 2. 3. 4. et meus, *Iidem ergo torpore, &c.* Jam insere hæc verba suo loco orationis, et cognosces, quam pleniora omnia et numerosiora hinc evadant; neque amplius hic frigeat torpeatque nomen *temporis*.' Schwarz.

NOTÆ

ab aliis, quod sciam, præterquam a Fabio Quintiliano Plinii magistro usurpata.

[k] *Non amari*] Utrumque autem sub Domitiano bonis civibus periculosum erat: et non amari, ne a militibus apud principem accusarentur; et amari, ne venirent in invidiam.

[l] *Et inde*] Et hinc fit ut nulla ratione habita aut conciliandæ sibi militum benevolentiæ, aut colligendi eorundem odii, &c. hæc enim vis est illius vocis 'securi.' Ut Æneid. I. 354. 'Securus amorum Germanæ,' &c.

[m] *Mœnia*] Alii legunt *munia;* alii, nulla mutatione facta, *mœnia* dici putant pro *munia*, sicut apud Lucretium: 'belli fera mœnera Mavors,' et 'pœnio' pro 'punio.'

[n] *Timebant*] Ne cum hostili more se gererent, secum tanquam cum hostibus ageretur.

militaria studia, nec animos modo, sed et corpora ipsa, languescere, gladios etiam incuria hebetari, retundique, gaudebant. 4. Duces porro nostri, non tam regum exterorum, quam suorum principum,[o] insidias; nec tam hostium, quam commilitonum manus ferrumque, metuebant.

Cap. XIX. 1. Est hæc natura sideribus, ut parva et exilia validiorum exortus obscuret: similiter imperatoris adventu legatorum[a] dignitas inumbratur. 2. Tu tamen major omnibus quidem eras; sed sine ullius diminutione major. Eandem auctoritatem, præsente te, quisque, quam absente, retinebat. Quin etiam plerisque ex eo reverentia accesserat, quod tu quoque illos reverebare. 3. Itaque perinde summis atque infimis carus, sic imperatorem commilitonemque

Voc. *in curia*, divisim legitur in Hack. Paris. 1676. Gedanensi, et Londiniana. 'Schwarzius æque bonam putat esse lect. alterius libri Gudiani, *recondique;* quia et 'condere' gladium est eum reddere vaginæ, et finitis bellis gladii in templis aut horreis 'condi' solebant. At 'condere' gladios ob pacem est res bona, 'conditique' facile possunt, si opus sit, promi aut stringi. Nunc autem sermo est de re vitiosa et de armis corruptis; itaque unice verum est *retundi*, *retusorum* enim gladiorum usus jam nullus. Multo melius etiam hoc conjung. cum *hebetari*, quam illud alterum.' *Gierig.*—4 'Pro *regum ceterorum*, secundum codicem nostrum, pluresque impressos, malimus legere, *regum exterorum*.' Schwarz. 'Optima emendatio. Pro *regum ceterorum* et ipse jam pridem rescribendum duxi *regum exterorum*: quam conjecturam meam nunc firmari auctoritate codicis tui, gaudeo.' *Heuman.* 'Sichardus etiam *exterorum*, et sic codd. quod prætulerim.' *Arntz.* Ita quoque emendavit Nic. Heinsius. 'Pro *ferrumque*, in meo codice satis frigide scriptum est *plerumque*.' Schwarz.

Cap. XIX. 1 Cod. Patav. *validorum ortus*. Habent *validorum* etiam codd. Venet. Salisb. Schwarzian. item Exc. Voss. et alter Gud. edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Ald. Philomus. Frob. Ascens. Rhenan. Junt. R. H. et P. Steph. et Cratand. Ceteri, *validiorum*. Mox, codd. Vatt. 2. 4. et Guelph. habent numero multitudinis, *dignitates inumbrantur*.—2 Paris. et Schwarzian. *Tu tamen major quidem omnibus eras;* Patav. et Exc. Voss. *Tu tamen major omnibus eras.* Guelph. et ed. Fabri, *deminutione*, probante Arntzenio; Venet. 1498. *diminutione*. Cod. Paris. Venet. et Salisb. *præsente te quis*. Hæ duæ voces, *quam absente*, desiderantur in cod. Guelph. tribus Vatt. et altero Gud.

NOTÆ

[o] *Suorum principum*] Sic Germanicus Germanorum, contra quos pugnabat, impetus repressit quidem, at Tiberii principis sui insidias effugere non potuit; ejus enim jussu, per Pisonem interfectus est.

[a] *Legatorum*] De legatis supra dictum est cap. IX. not. [b].

miscueras,[d] ut studium omnium laboremque, et tanquam exactor intenderes,[e] et tanquam particeps sociusque relevares.[f] 4. Felices illos, quorum fides et industria, non per internuntios et interpretes, sed ab ipso te; nec auribus tuis,[b] sed oculis, probabantur. Consecuti sunt,[c] ut absens quoque de absentibus nemini magis, quam tibi, crederes.

CAP. XX. 1. Jam te civium desideria revocabant,[d] amoremque castrorum superabat caritas patriæ. Iter inde placidum, ac modestum, ut plane a pace redeuntis. 2. Nec vero ego in laudibus tuis ponam, quod adventum tuum non pater quisquam, non maritus, expavit.[e] Affec-

[d] *Ita imperatoris et commilitonis partes in te conjunxeras.*
[e] *Augeres.* [f] *Minueres.*

—3 '*Et tanquam exactor*] Copula *et* omissa est in cod. Veneto.' *Schwarz.*—4 '*Nec auribus tuis*] Pronomen *tuis* deest codici Venet.' *Idem.* Codex Patav. *per nuncios et interpretes;* et sic etiam Exc. Voss. non improbante Schwarzio. Mox, *probantur* cod. Patav. Exc. Voss. edd. Lipsianæ, et quæ secutæ; omnes alii codd. et edd. antiquiores, *probabantur;* 'quam scripturam orationis nexus postulat, et merito reduxerunt Hearn. et Cellar.' *Arntz.* Porro, *quoque absentibus*, extrusa præpositione, Guelph.

CAP. XX. 1 *Item te civium* Vat. 4. *ac domesticum et plane* Gryph. Sichard. in margine, et Steph. *ac plane* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. et Guelph. *et plane* Salisb. et Schwarzian. *et plane pace redeuntis* Patav. et Exc. Voss. *et a pace redeuntis*, voce *plane* omissa, Venet. *ut plane, &c.* Paris. et omnes libri excusi. —2 *Nec vero in*, neglecto pronomine, Venet. *Nec vero ergo in* Puteol. 1476. Beroald. et Ald. Pro *non maritus* cod. Patav. et Exc. Voss. habent *maritusve.*

NOTÆ

[b] *Nec auribus tuis*] Oculis major est habenda fides, quam auribus. Ut enim ex Rudolpho Agricola ingeniose notat Rayanus: 'Aures aliis, oculi sibi credunt.' Unde vetus est illud: 'Plus est testis oculatus unus, quam auriti decem.'

[c] *Consecuti sunt*] Post exhibitam sæpe tuis oculis suam fortitudinem, hoc tandem consecuti sunt, ut in æstimanda absentium virtute, non tam iis quæ ad te perferrentur, quam tuæ de illis jam pridem conceptæ opinioni crederes.

[d] *Revocabant*] E Germania, in urbem Romanam. Quantopere populus Romanus reditum illum Trajani appeteret aptissime describit Martialis x. 6. 'Felices, quibus urna dedit spectare coruscum Solibus arctois sideribusque ducem. Quando erit ille dies, quo campus, et arbor, et omnis Lucebit Latia culta fenestra nuru? Quando moræ dulces, longusque a Cæsare pulvis, Totaque Flaminia Roma videnda via,' &c.

[e] *Expavit*] Veritus, ne aut liberis suis aut uxori vis inferretur.

tata aliis castitas, tibi ingenita[f] et innata, interque ea, quæ imputare[g] non possis. 3. Nullus in exigendis vehiculis[h] tumultus; nullum circa hospitia fastidium;[*] annona,[i] quæ ceteris. Ad hoc,[*] comitatus accinctus,[j] et parens.[k] Diceres, magnum aliquem ducem, ac te potissimum,[l] ad exercitus ire. Adeo nihil, aut certe parum, intererat inter imperatorem factum, et brevi futurum.[m] 4. Quam dissimilis nuper

* *Ne vilissima quidem hospitia dedignabaris.* * *Præterea.*

Iidem libri, *Affecta aliis castitas.*—3 Mox, *Ad hos comitatus* est in editione Livineii, quæ tamen in margine veritatem tuetur. Pro voce *parens*, Cuspin. edidit *parcus*, cui lectioni favent Rittershus. et Jac. de la Baune. In cod. Salisb. et quibusdam edd. antiqq. *patens*. Cod. Patav. et Exc. Voss. *A te potissimum;* Gryph. et pauci alii, *Et te potissimum*. Porro, voc. *brevi* omittunt codd. Livin. Cuspin. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venet. Salisb. Guelph. Paris. al. item edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Plant. Grut. Berneg. et Patarol. 'Nescio, cur cl. Arntzenius profiteatur, meliores codices tueri vocem *brevi;* quam ego in nullo codice deprehendi, ac ne in Guelpherbytanis quidem Vossianisque Exc. quibus is solis usus est. Ego mallem nunc, ut eam e contextu ejecissem.' *Schwarz.* 'Equidem obtemperare ei nolui, partim quia etiam editores veteres, quibus debemus hanc vocem, Mss. bonos secuti sunt, partim quia

NOTÆ

[f] *Castitas, tibi ingenita*] Ne tam quidem, si Dioni credimus.

[g] *Imputare*] Vox apud ejus ævi scriptores frequens: infra cap. XXIV. 'Copiam tui, non tu imputes, facis.' Cap. XXXIX. 'Ex quo intelligi potest quantæ benignitatis fuerit... ipsum sibi eripere tot beneficiorum occasiones, tam numerosam obligandi imputandique materiam.' Itaque *imputare* dicitur, qui id, quod facit, beneficii loco poni, eoque nomine obstrictos sibi alios esse vult.

[h] *Vehiculis*] Imperatoribus ad expeditionem aliquam proficiscentibus, præstare vehicula debebant provinciæ per quas iter erat, ut impedimenta bellica exportarentur, veherenturque eorum comitatus. Hinc erat illud Palatinum munus, 'ab vehiculis,' ut patet ex nummis. Vide Casaubon. in Spart. Hadrianum, p. 15.

[i] *Annona*] Varias hujus vocis significationes vide apud argutiores grammaticos. Hic autem sumitur pro victu: sententia est: Nullas ciborum lautitias consectabaris, communibus cibis contentus.

[j] *Accinctus*] Expeditus ad deproperandum iter, nec nimium in provinciis subsistens, cum popularium incommodo. Inf. cap. XXX. 'In omnia pariter intenta bonitas et accincta,' id est, expedita et ad juvandum celeris.

[k] *Parens*] Lege cum aliis *parcus*, id est, parce et contente vivens.

[l] *Ac te potissimum*] Artem nota: Plinio enim quasi aliud agenti, et ducem aliquem egregium, quem in exemplum afferat quærenti videtur Trajanus statim occurrere.

[m] *Et brevi futurum*] Mirifice enim obsequentes sunt et modesti, quicumque imperio imminent, dum adhuc egent populi gratia et favore: voto-

alterius Principis[n] transitus? si tamen transitus ille, non populatio fuit: cum abactus[o] hospitum exercitus,[a] omniaque dextra lævaque perusta et attrita, ut si vis aliqua, vel

[a] *Cum hospites e domibus suis abigeret.*

illa non aliena est ab h. l.' *Gierig.*—*A* ' *Nuper alterius, &c.*] In cod. Vat. 4. antiqua manus adverbium *nuper* male correxit, et exinde effinxit, *Imperatori alterius principis, &c.*' Schwarz. ' *Si tamen transitus*] Hæc verba omisit Voss. ex noto illo errore librariorum, quo, si eædem voces bis occurrerent, oculum in posteriorem conjicientes, intermedia quæ erant, negligerent. In talem codicem (quæ Gryphii, ut dicit, fuit editio, cum tamen in mea Gryphiana omnia sint integra) incidere debuit Lipsius Quæst. Epist. v. 15. cum inde legat, *transitus ille, imo populatio;* ut sic quasi ipse se corrigeret Plinius. Sed plenior apud alios locus nullum dubium relinquit. Pro *si tamen, sed tamen* Guelph. verum alterum melius correctioni inservit. Vide Tursell. de Part. cap. 179. *transitus* abest ab editione Gesneri, quod sine dubio typographo tribuendum.' *Arntzen.* Has tres voces prætermisit etiam librarius cod. Patavini. Gryph. et lib. Vossii ap. Schwarz. *si tamen* omittunt. Gryph. an. 1531. tres voces neglexit, *si tamen transitus;* Gryph. 1542. eas revocavit. In cod. Salisb. scriptum est, *Principis transitus, ille vero populator fuit.* ' Verba, *cum abactus hospitum exerceret*, aperte corrupta sunt, 1. quia substant. *abactus* nuspiam legitur; 2. quia post *exerceret*, et subsequentem copulam *que*, jure expectas verbum similis modi ac temporis, v. c. *perureret attereretque;* 3. quia non apparet, quo hospites abegerit. Mss. nihil adjumenti suppeditant; nec attinet antiquiorum intt. emendationes commemorare. Schwarz. narrat, virum quendam doctum et sibi amicum suasisse, *cum abactus hospitum exercitus*, ut post *attrita* subintelligeretur ' essent;' eamque conjecturam tuetur in Suppl. ubi docet, *exercitum* dici de quacumque multitudine insigni. Mihi locus ita restituendus videtur, *cum abacta hospitum jumenta cerneres*, eamque lectionem defendo quinque ex causis. 1. Ita hæc verba bene respondent supp. *nullus in exigendis vehiculis tumultus.* 2. Facile procurrit oratio, *abacta cerneres . . . et perusta.* 3. *Cerneres* bene convenit vividiori descriptioni, ut cap. 22. ' videres tecta referta.' *Cerneres* autem et *exerceret* facile potuere permutari. 4. *Abigi* recte dr. de pecoribus, quæ ab hostibus furto abiguntur, non item de hospitibus. 5. Propter loc. similem Lactant. de M. P. XXVII. 6. de transitu Maximiani: ' Vastata igitur est ea pars Italiæ, qua pestiferum illud agmen incessit. . . . Abactæ, tanquam de barbaris, prædæ pecorum ac jumentorum.' Possis locum et sic emendare: *cum jumenta abacta, hospites exercitos cerneres, omniaque, &c.* *Exercitus* sæpe est vexatus, etiam ap. Nostrum, ut cap. LXXXVI. 3. Epist. VII. 6. 2. Ita verba *hospites exercitos* responderent verbis, ' nullum circa hospitia fastidium.'' *Gierig.* ' V. D. in Ephem. Lit. Jenens. mallet, *abactos hospitum greges.* Ernesti jun. putat,

NOTÆ

rum autem compotes facti, quam dissimiles sæpe mores induunt! Nihil vero fuit tale in Trajano.

[n] *Alterius principis*] Domitiani, quem vellicare non cessat, ut Trajani laus magis elucescat.

[o] *Abactus*] Proprie de grege dicitur, qui per furtum abducitur. Hoc loco sumitur pro violenta hospitum expulsione.

ipsi illi barbari,[p] quos fugiebat, inciderent. Persuadendum provinciis erat, illud iter Domitiani fuisse, non principis.[q] 5. Itaque, non tam pro tua gloria, quam pro utilitate communi, edicto [r] subjecisti, quid in utrumque vestrum esset impensum. Assuescat imperator cum imperio [s] calculum ponere. Sic exeat, sic redeat, tanquam rationem redditurus. Edicat, quid absumserit: ita fiet, ut non absumat, quod pudeat edicere. 6. Præterea futuri principes, velint, nolint, sciant: tanti constat![t] propositisque duobus exem-

τὸ *cerneres* non bene convenire cum seq. *fugiebat*. Quidni conveniat?' *Gierig. in Ed. sec.* Schwarzius in textu dedit *exerceret*, quod in Erratis mutari jubet in *exercitus*. Vide Nott. Varr. Mox, *vel ipsi barbari* codd. Vatt. 2. 4. et Guelph. Pro *inciderent*, Philomus. edidit *incederent*; Schwarzius malit *inciderint*.—5 '*Itaque*] Bene; etsi codd. Vatt. Guelph. et Gud. 2. habeant *Ita*.' Schwarz. Paulo post, pro *Edicat*, Scriverius rescribendum censuit *Et dicat*. 'Sed nulla emendatione opus est.' *Schwarz.* Codd. Venett. et Guelph. *quid adsumerit*; Schwarzian. *quid assumserit*; Patav. *quid adsumerat*. '*Pudeat dicere* omnes antiqui ante Lipsium, qui in *edicere* mutavit; quod equidem præferrem, nisi aliud postularent etiam scripti, quos sequitur Hearne, Cellarius, et Gesnerus. A vocula *ita* ad *principes* omnia ignorat Guelph.' *Arntz.* Verba, *ita fiet*, ... *principes*, desunt etiam in Vat. 4. '*Edicere*] Recte repetitur hoc verbum ex antecedentibus; idque jam Lipsius, Gruterus, Berneg. Hack. Patarol. edidere; quamvis non dissimulem plures prodere simplex verbum *dicere*.' Schwarz.—6 *Tanti tuum constat* duo codd. Livineii, quatuor Vatt. Paris. Venet. Guelph. Schwarzian. edd. Cuspin. Gryph. Sichard. Plant. Grut. Berneg. Putean. Baun. Patarol. Arntsen. Gesn. et Gierig. *Tantum constat* Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Catan. Ald. Frob. Rhenan. Philomus. Ascens. R. H. et P. Steph. et Elzevir. Minelliana, et quædam aliæ: *velint, nolint, sciant tamen. Constet, propositisque.* Exc. Voss. *tan.... constat;* Guelph. *tantum constat;* Livineius in notis, *tanti itum constat;* Rittershus. *tanti iter tuum constat;* J. F. Gronov. *quanti tuum constet;* alii, *tanti constat.* 'Quod non video, quamobrem magnopere laudarem, nisi obscura brevitas placeret, et malis exponere: Tanta diligentia tantusque labor requiritur, ut quis optimus imperator et esse et haberi possit, ut illud Virgilii, 'Tantæ molis erat Romanam condere gentem.' Id quod

NOTÆ

p *Ipsi illi barbari*] Daci, Getæ, Sarmatæ, a quibus etsi Domitianus victus fuerat, vicisse tamen voluit videri, gesto eam ob rem triumpho, ut supra cap. XI. not. [l] diximus.

q *Non principis*] Ut invidia hujus facti non in principis nomen, aut personam, quæ sancta esse debet, sed tota in Domitianum refundatur.

r *Edicto*] A te post reditum in Urbem sancito, in quo extremo quid Domitianus, quid tu in itinere tuo impendisses, subjecisti.

s *Cum imperio*] Id est, discat expensarum rationem subducere μετὰ τῶν ἀρχομένων, cum republica, inquit Livineius; vel, licet sit imperator; vel, quod malim, discat cum imperii opibus computare, ita ut ex iis suas expensas metiatur, neque majores faciat, quam pati possint.

t *Tanti* [*tuum*] *constat*] Rittershu-

plis,[a] meminerint, perinde conjecturam de moribus suis homines esse facturos, prout hoc, vel illud, elegerint.

CAP. XXI. 1. Nonne his tot tantisque meritis novos aliquos honores, novos titulos, merebare? At tu etiam nomen patris patriæ[a] recusabas. Quam longa nobis cum modestia tua pugna! quam tardo vicimus! 2. Nomen illud, quod alii primo[b] statim principatus die, ut Imperatoris et Cæsaris, receperunt, tu usque eo distulisti, donec tu quoque, beneficiorum tuorum parcissimus æstimator, jam te mereri fatereris. 3. Itaque soli omnium contigit tibi, ut pater patriæ esses, antequam fieres. Eras enim in animis, in judiciis nostris: nec publicæ pietatis intererat, quid vocarere; nisi, quod ingrata sibi videbatur, si te Imperatorem potius vocaret, et Cæsarem, cum patrem experiretur. 4. Quod quidem nomen, qua benignitate, qua indulgentia, exerces! Ut cum civibus tuis, quasi cum liberis

sententia ferre vix videtur. Ego sine offensione in Sichardi scriptura acquiesco, si illud *iter* locum suum tueri non possit.' *Arntz.* '*Tuum* pertinet ad futurum principem, qui non vult rationes reddere. Sed Schwarz. referebat ad Trajanum; hinc se impediebat difficultatibus, ex quibus se extricare conabatur, cum in textu omitteret *tuum*, et in Suppl. moneret signis parentheseos includenda esse verba *tanti constat*, mox etiam suaderet *sciant tamen; propositisque.* Illud *tamen* sumsit e cod. Patav. qui habet, *tamen constat.*' Gierig. Videndæ Schwarzii Obss. Notis Varr. subjectæ. Denique, Exc. Voss. *præpositisque d. exemplis.*

CAP. XXI. 1 *Non his tot, &c.* cod. Venet. *Patris patriæ nomen recusabas* cod. Patav. et Exc. Voss. A ceteris codd. omnibus vocabulum *nomen* abest; nec prodidere Sichardus et Gryphius. Mox, in codd. Paris. et Salisb. scriptum est, *Quam longa nobiscum modestiæ tuæ pugna?*—2 Nomen *die* neglectum est in cod. Patav. et punctis subnotatum in Exc. Voss. Mox, Patav. et Exc. Voss. *tu usque distulisti*, neglecta particula *eo.* Tres codd. Vatt. *jam te mereri fateris.*—3 *Eras enim unimis, eras judiciis nostris* cod. Paris. Pro *quid vocarere*, codex Venet. *quid vocaret;* quidam alii ap. Schwarz. *quid vocare.* Mox, cod. Paris. *quam patrem experiretur.*—4 Verbum *exieras* deest in cod. Paris. Vulgg.

NOTÆ

sius legit, *tanti tuum iter constat;* quæ lectio clariorem sensum efficit.

[a] *Duobus exemplis*] Domitiani et Trajani.

[a] *Nomen patris patriæ*] Primum datum est Romulo: tum Camillo ab militibus, relatam a Gallis victoriam imperatori suo gratulantibus: post Ciceroni ex decreto senatus, cum Catilinariam conjurationem patefecisset: inde Augusto, ac deinceps aliis imperatoribus delatum est.

[b] *Alii primo*] Non quidem omnes; nam nec Augustus nisi sero illud recepit, inquit Lipsius, et Tiberius per modestiam distulit, Nero per ætatem. Verum id de aliis dici potest.

parens, vivis! Ut, reversus[c] imperator, qui privatus exieras, agnosceris! Agnoscis eosdem nos; eundem te putas: par omnibus, et hoc tantum ceteris major, quo melior.

CAP. XXII. 1. Ac primum, qui dies ille,[d] quo expectatus desideratusque urbem tuam ingressus es? Jam hoc ipsum, quod ingressus es, quam mirum lætumque? Nam priores invehi et importari solebant; non dico, quadrijugo curru, et albentibus equis; sed humeris hominum, quod arrogantius erat. 2. Tu sola[e] corporis proceritate elatior aliis et

agnoscis, agnosceris. '*Exieras, agnoscis*] Post hæc nos non dubitavimus *agnosceris* delere, quippe alienum ab h. l. Ernesti vero jun. id tuetur, addita explicatione hac: Suscepta dignitas adeo non mutavit tuos mores, ut etiamnum te privatum agnoscamus. Liber Gudii contra omittit *agnoscis*. Alii inverso ordine, *agnosceris, agnoscis*.' Gierig. Vide Nott. Varr. et Obss. Schwarzii. Codd. Patav. et Voss. *hoc tamen ceteris major;* Salisb. *hoc tm. ceteris major.* '*Quod melior*] Sic utique legendum, ut Livin. Rittershus. Schwarz. et J. A. Ernesti monuerunt, non *quo melior;* nam *hoc*, quod præcedit, est, hac in re.' *Gierig*. Videndæ Nott. Varr.

CAP. XXII. 1 *Ac primum quid dies ille* codd. Patav. Paris. Venet. et Schwarzian. *Ac primum quidem dies ille* codd. Vatt. *Ac primum quid dies ille, qui, &c.* Guelph. Vid. Schwarzii Obss. Hæc verba, *Jam hoc ipsum, quod ingressus es*, desiderantur in codd. Vat. 2. Paris. et Schwarzian. quia præcesserat *ingressus es*. Mox, *Num priores invehi* codd. Paris. Venet. et Schwarzian. '*Quod arrogantius erat*] Haud præter causam verba hæc, tanquam e glossemate ascita, suspicatus est Gruterus; quamvis ea adhuc in omnibus libris scriptis excusisque deprehendantur.' *Schwarz*. Gruteri judicium sequitur Hearn. 'Hoc additamentum merito offendit Gruterum et Schwarz. Ille delet; hic protrahendum censet ad prius membrum. Equidem legerim, *quod arrogantiæ erat*. Hoc autem sibi vult orator: Priores, cum in publicum prodire urbisque vicos visere vellent, invehi et importari solebant, non quidem quadrijugo curru et albentibus equis (qui mos triumphantibus mansit proprius), sed humeris hominum, quod illi non commoditatis causa faciebant, ut alii, sed *arrogantiæ*. Cf. cap. XXIV. extr. et Sueton. Domit. 19.' *Gierig*. Vid. Nott. Varr. 'Videntur tamen a glossematis suspicione liberari posse hæc verba. Duo enim enumerat, quibus præcedentes principes et præsertim Domitianus, de quo Marcil. ad Suet. Domit. cap. 19. se supra alios cives extollerent, vel si quadrijugo curru urbem inveherentur, quod ferri poterat, vel si, quod arrogantius erat, cervice hominum portarentur.' *Arntz*.—2 *Ergo*

NOTÆ

[c] *Ut reversus*] Ut reversus in Urbem cum imperatoria dignitate, unde privatus sub legati tantum nomine discesseras: præclare agnoscis tuos, idemque agnosceris, nihilo factus tumidior.

[d] *Qui dies ille*] Etiam mortuo Nerva, Trajanus hac morte solus imperator relictus, annum integrum, et eo amplius in Germania restitit, omnibus ut cito in Urbem rediret optantibus, ut habet Martialis x. 6. et 7. rediit autem an. Christi 99. ætatis 44.

[e] *Tu sola*] Elegans inprimis et ex arte facta ὑποτύπωσις Trajani in Ur-

excelsior, non de patientia [f] nostra quendam triumphum, sed de superbia principum, egisti. Ergo, non ætas quenquam, non valetudo, non sexus, retardavit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. 3. Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes; ægri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem sanitatemque,[g] prorepere. Inde alii, se satis vixisse,[h] te viso, te recepto; alii, nunc magis esse vivendum, prædicabant. Fœminas etiam tunc fœcunditatis suæ maxima voluptas subiit, cum cernerent, cui principi cives, cui imperatori milites peperissent. 4. Videres referta tecta ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum et instabile vestigium caperet:[b] oppletas undique vias, angustumque tramitem relictum tibi; alacrem hinc atque inde populum; ubique par gaudium, paremque clamorem. 5. Tam æqualis ab omnibus ex adventu tuo læ-

[b] *Vacuum locum, qui non poterat sustinere pedem nisi suspensum et vacillantem.*

nova ætas codd. Vat. 2. et Patav. *Ergo nulla ætas* Vat. 3. Venet. et Schwarzian. nec tamen est, inquit Schwarz. cur vulgatam lectionem rejiciamus.—3 'Beroaldus in hoc Plinii loco, pro voce *medentium*, edidit *mendacium*; nescio an per jocum.' *Schwarz.* Mox, Exc. Voss. *ad conspectum tuum.* Deinde Rhenanus edidit, *ad salutem tui, &c.* Scaliger, notante Hearn. legit, *ad salutem sui.* Cod. Paris. *Fœminas e. t. jucunditatis suæ;* Venet. *Fœminas e. t. fecunditatis tuæ.* Schwarzian. *maxime voluptas subit.*—4 Cod. Patav. et Exc. Voss. *ne eum quidem vacare locum;* Venet. *ne tum quidem vacantem locum.* 'Doctiss. Emmenes. ad Virg. Æn. II. 63. ita citat: *ac ne eum vacantem locum.* Quod an vitio memoriæ sit factum, an alicubi ita legatur, pro certo non licet definire. Existimo tamen, si ita voluisset loqui Plinius, dicturum fuisse *nec,* cum optimi scriptores *nec* dicant pro *ne quidem,* non ita *ne.* Cortius ad Sall. Jug. XXXI. 1. in posterioribus id ferendum, de quibus nonnihil cl. Burman. ad Petron. cap. 47.' *Arntz.* Mox, *hinc atque inde* desunt in codice Veneto.—5 *Tam æqualiter* plurimi, et in his antiquiores, libri typis excusi. Omnes

NOTÆ

bem redeuntis. Locus illustris et ad imitandum insignis. Vide Theodosii Paneg. cap. XLVII.

[f] *Non de patientia*] Quia non eras importandus nostris humeris; sed de aliorum principum arrogantia, quam singularis tua humanitas condemnabat.

[g] *Sanitatemque*] Adulatorie fortasse magis, quam vere. Etsi poterant ægroti illi audivisse sic ad Vespasiani conspectum sanatos esse cæcum et alterum cui imbecilla manus erat. Xiphilinus, Tacitus Hist. IV. 81. Sueton. c. 7. Simile quid de Hadriano refert Spartianus.

[h] *Se satis vixisse*] Notandum illud, in summis bonis, primam hanc cogi-

titia percepta est, quam omnibus venisti;[c] quæ tamen ipsa cum ingressu tuo crevit, ac prope in singulos gradus adaucta est.

CAP. XXIII. 1. Gratum erat cunctis, quod senatum osculo exciperes,[i] ut dimissus osculo fueras; gratum, quod equestris ordinis decora honore nominum[j] sine monitore signares;[d] gratum, quod, tantum non ultro clientibus[k] salutatis,[e] quasdam familiaritatis notas adderes: 2. gratius tamen, quod sensim, et placide, et quantum respectantium

[c] *Omnes de adventu tuo tam æqualiter lætati sunt, quam tu omnium causa ad imperium venisti.*

[d] *Equestris ordinis clarissimos absque nomenclatore nomine suo appellares.*

[e] *Quod prope ante quam salutareris ipse clientes tuos salutares.*

vero codd. ap. Schwarz. cum edd. Cuspin. Gryph. Plant. Frischman. Berneg. Baun. Hack. Arntz. et Gierig. *Tam æqualis;* nec aliter legendum censuerat Antonius Schoonhovius. *Jam æqualiter ab o. ex a. tuo l. percepta est. Gratum, &c.* in Patav. manca et corrupta; *Jam æqualis ab o. ex a. tuo l. percepta est; quia omnibus venisti* Exc. Voss.

CAP. XXIII. 1 'Hæc verba, *ut dimissus osculo fueras*, ex negligentia librarii in cod. Veneto omissa sunt. Cic. ad Att. XVI. 5. 'Eum complexus osculatusque dimisit.' Sueton. Othone, cap. 10. 'Ab amplexu et osculo suo dimisit omnes.'' *Schwarz.* Mox, hæ duæ voces, *tantum non*, desunt in cod. Paris. Præterea *non* omissa est in Exc. Voss. Guelph. Patav. et aliis codd. ap. Schwarz. item in edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Ald. Cuspin. Junt. Frob. Philomus. Rhenan. R. Steph. Gryph. et Sichard. Catanæus exhibuit, *tantum tum;* Livin. *tantum tum ultro.* H. Steph. et Gruterus, inter primos veriorem lect. protulere, quam deinceps alii amplexi sunt.—2 *Tamen gratius* cod. Patav. et Exc. Voss. 'Tres codd. Vatt. et Guelph. habent, *et quo tum te spectantium.* Illud, *quo tum*, et in altero libro Gudiano, *quorum*, pro *quantum*, ex inertia librariorum natum est.' *Schwarz.* 'Nervosius videtur,

NOTÆ

tationem incidere, satis nos vixisse; in malis vero, plus satis vixisse. Sic apud Virg. Æneid. II. 159. 'Tuque, o sanctissima conjux, Felix morte tua . . . Contra ego vivendo vici mea fata.'

[i] *Osculo exciperes*] Infra c. LXXI. solebant peregre abeuntes vel redeuntes imperatores senatum osculo impertire. Hinc apud Dionem Caligula, apud Tranquillum Nero, Domitianusque arrogantiæ accusantur, quod eo pietatis urbanitatisque officio, aut non omnino, aut superbe perfuncti essent. Lips. Elect. lib. II.

[j] *Honore nominum*] Sic Suetonius Augustum landat, 'quod patres in curia salutaverit, sedentes, et quidem nominatim singulos nullo submonente.' Ea de re fusius diximus c. XV. not. [h].

[k] *Clientibus*] Clientes dicebantur qui principum virorum, quos patronos elegerant, fidei se suaque omnia committebant, addicebantque, seu prosperam seu adversam fortunam secuturi. Eos autem patroni sua auctoritate tuebantur.

turba pateretur, incederes; quod occursantium populus te quoque, te immo maxime, adstaret;[f] quod primo statim die latus tuum crederes omnibus. 3. Neque enim stipatus satellitum manu, sed circumfusus undique, nunc senatus, nunc equestris ordinis, flore, prout alterutrum frequentiæ genus invaluisset,[g] silentes quietosque lictores[l] tuos subsequebare. 4. Nam milites nihil a plebe, habitu, tranquillitate, modestia, differebant. Ubi vero cœpisti Capitolium[m] ascendere, quam læta omnibus adoptionis tuæ[n] recordatio! Quam peculiare gaudium eorum, qui te primi eodem loco salutaverant Imperatorem! Quin etiam Deum ipsum tuum[o]

[f] *Quod vulgus vel te ipsum, immo te omnium maxime circumstaret.*
[g] *Prout alterutrius multitudo conferta propius ad te poterat accedere.*

si hoc retineamus, quam quod est in Guelph. *te spectantium;* majorem etenim impatientiam civium indicat, quod ne tam diu aspectu imperatoris carere possent, dum præcederent. Eumenius Paneg. Const. cap. 19. 'Quæ singula, ut respectantes agnoverant.' Idem codex statim *accursantium;* sed alterum frequentius est, et Plinio usitatum magis.' *Arntzen.* Gud. 2. habet etiam *te spectantium.* Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Guelph. et Gud. 2. habent *quod accusantium.* Vir doctus, Livineii amicus, pro *te immo*, legit *te in imo*, i. e. in plano, ut infra Plinius, 'devexus in planum.' Codd. Patav. Salisb. et Exc. Voss. *te uno;* Vatt. 1. 2. 3. 4. Guelph. et Gud. 2. *te in uno.* Paris. Schwarzian. aliique codd. aperte, *te immo;* vel *te imo.* Mox, pro *adstaret*, quod servant omnes codd. et edd. Behrius conj. *arctaret*, quam conjecturam recepit Gierig. Vide Nott. Varr. et Schwarzii Obss. iis subjectas. Statim, Vat. 1. *quod primo quoque die.*—3 Cod. Patav. *lictores tuos obsequebare.*—4 *Jam milites* conj. Nic. Heinsius; *Etiam milites* conj. Schwarzius. Vide Nott. Varr. Codex Schwarzian. *nihil a plebis habitu.* Paulo post, Gryph. et Sichard. *eodemque loco.* Verbum autem sequens varie flexum observatur: Venet. Schwarzian. et ed. Sichard. *salutaverint;* Patav. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Ald. Junt. Ascens. et al. *salutaverunt;* sed cod. Salisb. Livin. Lips. Grut. Parisienses, et recentt. *salutaverant.* Loco pronominis *tuum*, adverbium *tum* ex conjectura in margine notaverat Livin. idem approbavit Rittershus. et in contextum recepere Lipsius, Bernegger. Ceva, et Gesnerus. At, alio nomine ascito, Beroald. Ald. et Junta edidere, *Deum ipsum, patrem tuum;* satis bene, si satis certo veterum librorum auctoritate nisi viderentur. Contra vero omnes codd. et præter nominatos, omnes libri impressi, habent *Deum ipsum tuum.* Exc. Voss. *Deum tuum.* 'J. A. Ernesti *tuum* e Livineii conj. in *tunc* mutari vult, quia Nerva non bene Trajani Deus dicatur. At potest Jupiter Capitolinus intelligi, et *tuus* est tibi apprime favens.' *Gierig.*—

NOTÆ

[l] *Lictores*] Numero 12. ante consulem virgarum fasciculos cum securibus manu præferebant: idque tum ad pompam, tum etiam ut qui a magistratu damnarentur, eos ligatos, unde lictores dicti, cæderent virgis, tum securi ferirent.

[m] *Capitolium*] Supra c. XVI. not. [m].

[n] *Adoptionis tuæ*] Ut ingeniose hoc loco adoptionis memoriam revocat!

[o] *Deum ipsum tuum*] Jovem Capitolinum, cujus opus est adoptio illa tua. In aliis pro *tuum* est *tunc.*

præcipuam voluptatem operis sui percepisse crediderim. 5. Ut quidem iisdem vestigiis institisti, quibus parens tuus [p] ingens illud Deorum prolaturus arcanum; quæ circumstantium gaudia! quam recens clamor![q] quam similis illi dies, qui hunc genuit[r] diem! ut plena altaribus,[s] *angusta victimis cuncta!* ut in unius *salute* collata omnium vota! cum sibi se, ac liberis suis, intelligerent precari, quæ pro te precarentur. 6. Inde tu in palatium[t] quidem; sed eo vultu, sed ea moderatione, ut si privatam domum peteres; ceteri ad penates suos,[u] quisque iteraturus gaudii fidem, ubi nulla necessitas gaudendi est.

CAP. XXIV. 1. Onerasset[a] alium ejusmodi introitus;

5 Patav. et Sichard. *ploraturus arcanum;* quam lect. in margine notavit H. Steph. Mox, Lipsius malit, *similis illi diei, qui hunc genuit dies.* Lips. et Nic. Heinsius conj. *quam repens clamor, &c.* Arntz. *quam frequens.* Patav. *augusti victimis.* Ceteri omnes codd. habent *angusta.* ‘Non erat, cur Schwarz. et J. A. Ernesti fluctuarent, utrum *angusta* præferent, an cum aliis *augusta.* Multitudinem victimarum Plinius commemorare vult, quæ tanta erat, ut non multum spatii relinqueretur.’ *Gierig.* Patav. *ut in unius salute collocata;* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Guelph. Exc. Voss. Gud. 1. 2. Venet. Salisb. et Schwarzian. etiam *salute;* et sic omnes omnino edd. ante Sichardum, qui alteram lect. *salutem,* recepit; eumque secuti sunt alii editores usque ad Arntzen. *salutem* etiam emendaverat in margine sui exemplaris Nic. Heinsius.—6 *Inde in palatium* edd. quædam recentt. Codex Livin. Guelph. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venet. et Salisb. *sed eo vultu, ea moderatione;* codd. Patav. Paris. Exc. Voss. edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Ald. Cuspin. Catan. Junt. Philomus. Rhenan. Gryph. Ascens. Livin. Lips. Grut. al. *sed eo vultu, sed ea, &c.* Utroque loco particulam adversativam *sed* prorsus omisit cod. Schwarzian. Denique, cod. Salisb. pro *iteraturus* habet *iter acturus.*

CAP. XXIV. 1 *Onerasset a. hujusmodi* cod. Salisb. edd. Rhenan. Lips. Frob.

NOTÆ

[p] *Parens tuus*] Nerva.

[q] *Quam recens clamor*] At tota via acclamaverant, et ingredienti applauserant. Hic tamen ad Capitolii conspectum quasi recentes, plausum et acclamationes iterarunt.

[r] *Dies, qui hunc genuit*] Dies adoptionis tuæ, qui in causa est, cur imperator hodie tanta cum pompa redeas.

[s] *Plena altaribus*] Ita exceptus est Romæ Vitellius. ‘Exstructis altaribus, cæsisque victimis, regium in morem,’ Tacit. Annal. II. 70. Sic in Caligulæ adventu ‘supra centum sexaginta millia victimarum cæsa,’ Sueton.

[t] *In palatium*] Triumphantes, si Dioni fides, per forum adibant Capitolium, inde eadem populi frequentia, et pompa in palatium deducebantur.

[u] *Ad penates suos*] Id est, domi: quod veræ, nec fucatæ lætitiæ indicium est, quæ qualis præfertur coram principe, talis privatim iteratur, cum sine ullis arbitris sinceri animi sensus intra domesticos parietes explicantur.

[a] *Onerasset*] Oneri fuisset aliis hu-

tu quotidie admirabilior et melior; talis denique, quales alii principes futuros se tantum pollicentur. Solum ergo te commendat augetque temporis spatium. Junxisti enim ac miscuisti res diversissimas, securitatem [b] olim imperantis, et incipientis pudorem. 2. Non tu civium amplexus ad pedes [c] tuos deprimis, nec osculum manu reddis. Ma-

Berneg. Baun. et Patarol. contra omnes alios codd. et edd. vett. Cod. Patav. *tales denique, quales alios principes.* 'Bene omittit codex Ms. particulam *olim*, quæ primo loco intempestive interjecta est his duabus vocibus: *res . . . diversissimas.* Eadem enim brevi verborum ambitu moleste bis repeteretur; cum mox sequatur, 'securitatem olim imperantis.' Ubi 'olim imperans' ille vocatur, qui jam diu et a longo tempore præfuit imperio, adeoque, jam confirmata potestate sua, securius et animosius agit; cum ii, qui modo incipiunt imperare, fere cautius adhuc et modestius, ac quasi timidius, rem gerant. Eandem notionem Plinius tribuit huic particulæ *olim*, Epist. VII. 92. 'Olim in manus, non stylum sumsi.' Sic vero nec Beroaldi, nec Aldi et Juntæ et Gryphii, nec Cuspiniani et Parisiensium, libri impressi, istam voculam in priore loco agnoscunt.' *Schwarz.* 'Mendum hic non sustulisti, sed intulisti. Τὸ *olim* enim priori loco relinquendum erat, et pro *incipientis* rescribendum *præcipientis.* Ita scilicet fluunt verba Plinii: *Junxisti enim ac miscuisti res olim diversissimas, securitatem imperantis, et præcipientis pudorem,* hoc est, verecundus es in præcipiendo dandisque mandatis. Simile est illud Taciti Agric. III. 1. 'Nerva res olim dissociabiles miscuit, principatum ac libertatem.'' *Heuman.* 'Viro cl. non assentior, nihilo enim meliorem reddit sententiam talis correctio, et satisfacit plane optimarum edd. scriptura Puteol. 1476. Venet. 1498. Ald. Frob. Sich. Livin. Hearn. &c. astipulantibus Voss. et Guelph. Insolentior constructio offendit, quæ statim apparet ex oppositione τοῦ *incipientis;* adeoque *olim imperantis* est diu imperantis, cujus imperium temporis diuturnitate est firmatum.' *Arntz.* Vid. Nott. Varr.—2 Patav. *quæ prioris humanitas. Incedebas, &c.* 'Primus feliciter supplevit Cuspinianus; a quo Lipsius supplementum ascivit; nisi quod falso tradidit, in Cuspiniani legi, *quæ prioris humanitas;* cum distincte jam ibidem ante Lipsium descriptum fuerit, *quæ prior oris humanitas.* In codice Ms. extat, *quæ prima oris humanitas.* Posthæc vero illa Cuspiniani et Lipsii lectio plenior ad plurimos reliquos transiit.' *Schwarz.* 'Recte *prior oris* prætulit in ora libri sui cl. Perizonius post Voss. et Guelph. nisi quod a prima manu ille *prioris,* quomodo Puteol. 1476. Venet. 1498. Asc. Sich. et nonnulli alii, qui error inde natus; quia literæ bis repetendæ tantum semel scriberentur. De quo more sup. cap. 2. 5. quale vitium ope codicis tollendum ex Hegesippo lib. I. de Excid. Hieros. cap. 41. p. 156. 'Archelaus solus excipitur ex Cappadocia;' scilicet rescribendum, 'Rex Cappadociæ.' Aldus, Ascensius, Gryph. et

NOTÆ

jus introitus pompa, quibus imposuisset necessitatem dignos se hoc honore reddendi. Plin. Epist. VIII. 24. 'Onerat te quæsturæ tuæ fama; onerat testimonium principis.'

[b] *Securitatem*] Qui diu imperarunt, propter confirmatam auctoritatem suam, jam sibi fidunt, atque in tuto sibi videntur esse; in iis vero qui incipiunt, inest pudor quidam et verecundia. At, inquit Plinius, utrumque, Trajane, conjungis mirifice; ejus, qui jam diu regnat, securitatem; ejus qui incipit, verecundiam et pudorem.

[c] *Ad pedes*] Ut Caligula, cujus superbiam ea in re notat Suetonius.

net Imperatori, quæ prior oris[d] humanitas, dextræ verecundia. Incedebas pedibus; incedis. Lætabaris labore; lætaris: eademque omnia illa circa te; nihil *ipsa* te[e] for-

pauci simpliciter *prior hum.* quod exemplum secutus cl. Gesnerus.' *Arntz.* '*Dextræ verecundia*] Duæ hæ voces non conspiciuntur in antiquissimis edd. Puteol. Ven. Ald. Frob. Sich. Ascens. Gryph. &c. nec in nostrorum codicum excerptis, Livineius in margine posuit ex sola ed. Cuspiniani. Sed adeo sapiunt Plinianam dictionem, ut vel sola illa re sese possint tueri, etiamsi relatio ad superiora verba abesset.' *Idem.* 'Antehac ubique sic legebatur: *eademque omnia illa circa te: nihil ipso te fortuna mutavit.* Ipse Lipsius nihil quidem contextum orationis mutavit; at in notis hæc commentatus est: 'Vide, ne argutius veriusque: *eademque omnia. Ita circa te, nihil in ipso te, fortuna mutavit.*' Cui vero emendationi satis argutæ non succurrit codex noster; ubi, pronomine potius transposito, hæc legimus: *eademque illa omnia circa te: nihil ipso te fortuna mutavit.* Gruterus aliam iniit viam, opinatusque, loco fuisse vitiando non repetitam voculam *quæ*, sic conjecit rescribendum: *eademque quæ omnia circa te, nihil in ipso te, fortuna mutavit.* Servata tamen fuit in ipso contextu lectio vulgata, usque dum Boxhornius ita excudendum curavit: *eademque omnia illa circa te; nihil in ipso te fortuna mutavit.* Quem secuti sunt De la Baune et Cellarius; ante quos eodem modo legendum censuerant Petrus Faber et Conr. Rittershusius. Atque hanc quidem correctionem haud ægre tueri posse videtur similis sententia et loquendi formula, qua Plinius Senior usus est in Præfatione Hist. Nat. ad Vespasianum: 'Nec quicquam in te mutavit fortunæ amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posses, et velles.' In vetustis autem Plinii editionibus an. 1470. 1473. 1476. et 1481. ista verba sic leguntur: 'Nec quicquam in te mutavit fortunæ amplitudo in iis,' scil. honoribus, de quibus antea sermo erat. Unde conjecturam facimus, ibi quoque præpositionem *in*, ante pronomen *te*, omitti debuisse. Utcumque est, haud inviti in ista nostri loci emendatione acquiescere, nisi lenior adhuc via superesse videretur, qua non integra vocula aliunde asciscenda, sed literula saltem sit corrigenda, hunc quidem in modum: *eademque illa omnia circa te: nihil ipsa te fortuna mutavit.* Quasi dixerit Plinius: Omnia eadem illa humanitatis et vitæ laboriosæ indicia, quæ prius, circa te sunt, sive manent, ac ne ipsa quidem fortuna splendidior te mutare potuit; cum alioqui dignitatis accessio facile animos moresque hominum mutare atque attollere soleat. Quam facile autem *a* in *o* per librarios sit mutatum, adeoque et *ipso* pro *ipsa* scriptum, ostendit Casp. Scioppius, de Arte Critica, ubi de literis, quæ corruptæ sunt, agit, p. 52.' *Schwarz.* 'Vide quæso, vir doctissime, an non blanda sit mutatio, et interpretatio facilis pro *Eademque, Eadem, quæ omnia illa circa te, &c.* Et interpretamur: Eadem illa Diva Fortuna, quæ oculos et sensus feriunt circa te mutavit, ut pro privato imperatorem, Cæsarem, principem, te videamus; nihil in ipso te, in animo tuo ac moribus mutavit.' *Gesn.* '*In ipso* facillima est emendatio et confirmatur a codd. nostris, quo pacto sensus est apertus.' *Arntz.* Vide Nott. Varr. Cod. Patav. exhibet, *nihil ipso te fortuna mutavit.* '*Eademque omnia . . mutavit*] Ita cum Schwarzio edidimus; malumus tamen, quod etiam J. A. Ernestio placuit, *in ipso te.* V. D. in Ephem. Lit. Jenens. præfert Lipsii

NOTÆ

[d] *Quæ prior oris*] Nihil de ea humanitate remisisti, qua privatus eminebas, siquidem imperator cum sis, et senatum et equestris ordinis decora osculo excipere non dedignaris, nec das manum osculandam: absimilis iis principibus, qui ut ait infra c. LXXI. 'Velut affixi curulibus suis, manum tantum, et hanc cunctanter et pigre, et imputantibus similes, promebant.'

[e] *Nihil ipsa* [*in ipso*] *te*] Lege, *nihil*

tuna mutavit. 3. Liberum est, ingrediente per publicum principe, subsistere, occurrere, comitari, præterire. Ambulas inter nos, non quasi contingas;[f] et copiam tui, non ut imputes,[g] facis. Hæret lateri tuo quisquis accessit; finemque sermoni suus cuique pudor, non tua superbia, facit. 4. Regimur quidem a te, et subjecti tibi, sed quemadmodum legibus, sumus: nam et illæ cupiditates nostras, libidinesque moderantur; nobiscum tamen, et inter nos, versantur. Emines, excellis, ut honor, ut potestas; quæ super homines quidem, hominum sunt tamen. 5. Ante te

conj. cum immutatione aliqua: *eademque omnia. Ita circa te nihil in te ipso f. m.* Alii aliter. Codd. conspirant in, *eademque omnia illa circa te; nihil ipso te f. m.*' Gierig.—3 Codex Vat. 4. et Guelph. omissa principis mentione, habent, *Liberum est, ingredientem per publicum subsistere, &c.* Paris. abjectis duobus verbis, *Liberum est, ingredientem per publicum principem comitari, præterire.* 'At hæc non sunt, nisi menda, et temerariæ correctiones librariorum.' *Schwarz.* '*Non quasi contingas*] Acquiescendum puto in hac lectione, quam codd. Vaticc. Paris. Venet. Salisb. et multæ edd. tuentur, quam etiam recentiores triumviri Gesnerus, Arntzen. et Schwarz. amplexi sunt. Sed in constituendo sensu Gesner. a vero aberrasse videtur. Sic enim ille: '*Contingunt* quæ fato quodam et divina benevolentia hominibus eveniunt, quæ proinde imputari ipsis a Deo possunt.' Sed hoc potius ad ipsum Trajanum referendum: Dum ambulas inter nos, non putas conspectum tui Romanis pro magna felicitate habendum; in quem sensum hæc verba Livineium, Fabricium Biblioth. Lat. To. II. p. 774. et Schwarzium cepisse video.' *Gierig.* Schwarzius vero defendit cod. sui lect. quam Rittersh. defenderat, *ut quasi contingas*, et, *non ut quasi contingas*, quod ipse composuit ex duabus aliis varietatibus; deinde probat scripturam cod. Patav. *non ut contingas;* quam lectionem exhibent etiam Exc. Voss. Lipsius denique malit, *nos quasi contingas.* 'Verum tollit Plinianam elegantiam ea mutatio, cum hæc particula negativa sequenti respondeat *non ut imputes.* Adeoque *non quasi contingas* recte exponitur, non quasi felicitas aliqua censenda sit, tibi occurrere, et in conspectum tuum prodire, sed familiariter nobiscum vivis, neque id gratiæ nobis apponis: neque alia mens fuit Cel. Perizonio, cum hæc margini suo allineret: 'quasi casu et fortuito obvenias, h. e. rarissimo, non sponte.' Atque ita optimæ edd. cum scriptis codicibus. Guelph. tamen, Voss. Ald. et Gryph. *contingat*, quod possit esse, forte fortuna eveniat: prius ego prætulerim.' *Arntz.*—4 Cod. Patav. et Exc. Voss. *ut honor et potestas.* Mox, cod. Guelph. exhibet, *supra homines;* ubi in ceteris omnibus libris legitur, *super homines.*—5 *At ante te* codd. Vatt. et Guelph. *At* hic falso intrudi putat Arntzen.

NOTÆ

ipsum te, ut Grutero placet; vel, *nihil in ipso te*, ut Petrus Faber suspicatur.

[f] *Non quasi contingas*] Id est, perinde quasi nemo te in via contingat, atque eunti obstet. Legit Lipsius, *inter nos, quasi nos contingas.* Sensus erit: Quasi unus e nobis sis; quasi nos ordine vel affinitate contingas.

[g] *Non ut imputes*] Non quo id beneficii loco tibi apponatur. Non ut magnum quidpiam nobis concessisse videaris. Supra c. XX. not. g.

principes, fastidio nostri, et quodam æqualitatis metu, usum pedum amiserant.[h] Illos ergo humeri cervicesque servorum super ora nostra: te fama, te gloria, te civium pietas, te libertas, super ipsos principes vehunt; te ad sidera tollit humus[i] ista communis, et confusa principis vestigia.

Cap. xxv. 1. Nec vereor,[j] P. C. ne longior videar, cum sit maxime optandum, ut ea, pro quibus aguntur principi gratiæ, multa sint: quæ quidem reverentius fuerit integra illibataque cogitationibus vestris reservari, quam carptim breviterque perstringi:[a] quia fere sequitur, ut illa

[a] *Leviter summatimque delibare.*

Vide Bentl. ad Terent. Andr. v. 1. 20. *usum pedum amiserunt* cod. Patav. Hæ duæ voces, *te libertas,* non leguntur in codd. Patav. et Voss. item in edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Catan. Ald. Philomus. Rhenan. R. et H. Steph. Nav. Livin. (quæ tamen æquæ ac ed. H. Steph. eas habet in margine,) Boxhorn. Frob. Plant. et al. Extant tamen in omnibus aliis codd. et edd. deinceps post Sichard. Vocabulum *civium* unicus omittit cod. Venet. ‘Unicus cod. Vat. 4. habet *super omnes principes;* sed hic non est innovandum.’ *Schwarz.* ‘Editt. antiquiores omnes, *tollit humus: ita communia et confusa.* Cod. Guelph. *humus ista, communia.* Paris. Venet. Salisb. *humus ita communis.* Vaticc. lib. Vossii, *humus ista communis.* Hoc placuit Arntzenio et Schwarz. hic tamen ægre dimittit *ita,* quippe quod bene explicari possit, hoc modo, hoc incessu tuo, aut etiam, ob hoc, per hoc. Mihi arridet *ista,* quod δεικτικῶς capiendum, et quasi contemtim; ita enim adjuvatur sententia. Etiam Gesnerus in Add. præfert *ista,* quanquam in textu dedit *ita.* Mox Schwarz. suadet, *confusa plebis ac principis vestigia,* ut li. 3. ‘æquatus plebis ac principis locus.’ Freinshem. ad Curt. vi. 5. 5. corrigit, *te communia et confusa privatis vestigia.*’ Gierig. Voc. *ita* tuetur et A. J. Ernesti. Mox, V. D. in Ephem. Lit. Jenens. suadet, *et confusa premis vestigia.* Patav. *humus: ita communia et confusa principis vestigia.* Perizonius putabat posse legi, *tollit humus, miruta communia.* Vide Nott. Varr.

Cap. xxv. 1 ‘Codex Parisinus habet, *agunt principi gratias;* quæ inepta variatio debetur audaciæ librarii.’ *Schwarz.* Mox, Vat. 4. Venet. et Gud. 2.

NOTÆ

[h] *Usum pedum amiserant*] Quod lectica uterentur. Atque id non imperatores modo, sed et senatores et equites pro jure suo faciebant; neque in eo quicquam censura dignum. Carpit tamen hoc loco eos imperatores, qui succollantium humeris cervicibusque ad fastum pro lectica uterentur.

[i] *Humus*] Humus ista, quam tuis pedibus terere non dedignaris, ad cœlum usque te evehit: ita cum nostris vestigiis communia et permixta sunt principis nostri vestigia. Alii alio modo hunc locum legunt, sed emendatione hic non videtur opus esse.

[j] *Nec vereor*] Ut apte, et juxta præceptum Aristotelis et Tullii, fessos et languentes auditorum animos in decursu orationis excitat; modo prolixitatem orationis excusans, modo multa prætermissurum se asseverans!

quidem, de quibus taceas,[b] [k] tanta quanta sunt, esse videantur. 2. Nisi vero leviter attingi placet, locupletatas tribus,[l] datumque congiarium [m] populo; et datum totum,[n] cum donativi partem milites accepissent. An mediocris animi est, his potius repræsentare, quibus magis negari potest? Quanquam in hac quoque diversitate æqualitatis ratio servata est. Æquati enim sunt populo milites eo, quod partem, sed priores; populus militibus, quod posterior, sed

[b] *Ferme accidit, ut quæ commemorare prætermittis, &c.*

quæ quodque reverentius. Behrius conjectabat, *quia fere fieri solet, ut i. q. quæ dicas tenuiter, quamvis magna sint, tenuia; de quibus taceas, t. q. sint, &c.*—2 *Nisi vero leviter affigi placet* cod. Patav. et Exc. Voss. Paulo post, *sed prior est populus militibus* cod. Patav. 'Scaliger, Voss. et Guelph. *prior est*, quasi distinguenda esset oratio: *Eo quod partem; sed prior est populus.* Male tamen; nam si prior esset populus, quomodo orator potuisset dicere æqualitatis rationem esse servatam? Nec adeo ea re prior erat populus, quod posterior totum accepisset. Et particulæ eæ *sed, sed,* statim diversas et

NOTÆ

[k] *De quibus taceas*] Non minus artis est in rebus interdum supprimendis, quam in iisdem efferendis: immo reticere interdum aliquid multo aptius est, ad rem exaggerandam; seu quod ea in re oratori præstare velit auditor, ametque eo majus quiddam sibi fingere, quod rei exprimendæ parem se non esse orator professus sit; seu quod, ut in tenebris majora nobis fingimus omnia, quam in luce; sic quæ supprimuntur, ac veluti tenebris absconduntur ab oratore, majora semper videntur. Hinc Parrhasii pictoris singularis illa laus fuit, cujus pictura 'sic apte desinebat, ut promitteret alia post se; ostenderetque etiam quæ occultaret.' Plinius N. H. xxxv. 10.

[l] *Tribus*] Urbs primum in tres partes divisa fuerat, quæ ideo *tribus* dicebantur. Qui singulis tribubus præerant, 'tribuni;' pecuniæ vero, quæ tributim, id est, per tribus imperabantur, vocabantur 'tributa.' Etsi autem post in 4. partes, et Ciceronis, atque, ut ex hoc loco patet, Plinii tempore, in 35. distributa erat, servatum est illud nomen, et 35. *tribus* dictæ sunt.

[m] *Congiarium*] Munus, quod plebi; donativum vero, quod militibus dabatur. Congiarium dictum a congio; quod vasis genus erat sextariorum sex. Munus autem illud erat initio vini aut olei certa mensura, in plebem ab imperatore distributa. Tum extentum est nomen illud ad quasvis etiam pecuniæ donationes, sed maxime principum in plebem; demum ad quodvis munus etiam privatim et in singulos collatum.

[n] *Datum totum*] Trajanus congiarium plebi, donativum militi promiserat. Sed cum ærarium utrique largitioni simul non sufficeret, dimidium promissi militibus statim dedit; plebi vero totum, sed paulo serius. Ita illi in tempore prælati, hi in summa. *Lipsius.*

totum statim accepit. 3. Enimvero, qua benignitate divisum est; quantæ*que* curæ tibi fuit, ne quis expers liberalitatis tuæ fieret! Datum est his, qui post edictum tuum in locum erasorum [o] subditi fuerant; æquatique sunt ceteris illi etiam, quibus non erat promissum. 4. Negotiis aliquis, valetudine alius; hic mari, ille fluminibus, distinebatur: expectatum est, provisumque, ne quis æger, ne quis occupatus, ne quis denique longe fuisset. Veniret quisque, cum vellet; veniret quisque, cum posset. 5. Magnificum, Cæsar, et tuum, disjunctissimas terras, munificentiæ ingenio, velut admovere,[p] immensaque spatia liberalitate contrahere; intercedere casibus, occursare fortunæ, atque omni ope anniti, ne quis e plebe Romana, dante congiarium te, hominem se magis [q] sentiret fuisse, quam civem.

distinctas periodos indicant.' *Arntz.*—3 *Enimvero quanta benignitate* codd. Venet. et Schwarzian. *Enimvero quaqua, &c.* Paris. nisi et hic lateat *quanta.* Cod. Patav. *quantæque curæ tibi fuit.* Cf. Plin. Paneg. I. 1. Vide Varr. Nott. Mox, Guelph. *post editum suum;* Beroald. *post editum tuum.* Codd. Venet. a m. pr. *in locum eragorum;* et Salisb. a m. pr. *in l. crassorum.* In utroque tamen a m. sec. *erasorum.*—4 Patav. et Exc. Voss. *ille fluminibus destinabatur.* ' Statim, pleræque omnes edd. *expectatum est,* non male: melius tamen videtur, quod jam recepit Sichardus, et tuentur Voss. et Guelph. *exspectatus est.* Quod notior altera ejus vocis significatio sit et aliud neutrum sequatur, fraudi fuit huic loco, neque imperitorum manus potuit effugere. Appuleius Met. VIII. p. 208. 'Nec expectata luce proxima;' et lib. IX. init. 'Nec expectata diutina cogitatione.' Terent. Phorm. II. 4. 20. 'Frater est expectandus mihi.'' *Arntz.* Vide Nott. Varr. Hæc lectio, *expectatum est, provisumque,* confirmatur etiam a cod. Patav. et Exc. Voss.—5 *Magn. C. et illud* Vat. 4. et Guelph. *munificentiæ tuæ ingenio* Patav. *velut admonere* Guelph. Paulo post, vulgg. *hominem magis sentiret se fuisse.* Pronomen *se* omissum est in edd. Puteol. 1746. Venet. 1498. Rhenan. Lips. Berneg. Froben. Hack. aliisque. Cod. Patav. *te hominem magis sentiret fuisse, quam civem;* 'ubi sine dubio *te* perverse repositum est pro *se.*' Schwarz. Vide Nott. Varr.

NOTÆ

[o] *In locum erasorum*] Incisa erant in tabulis civium nomina quos congiario donari oporteret. Quorum e numero si qui aut occumberent, aut alio commigrarent, ascribebantur alii. In hoc vero enituit liberalitas Trajani, quod his qui post factum de dando congiario edictum in erasorum locum suffecti fuerant, quibus proinde edicto suo nihil promiserat, congiarium tamen æquale atque ceteris datum voluerit.

[p] *Admovere*] Cum efficeres ut quamvis absentes essent, tamen sic tanquam forent præsentes, liberalitatem tuam persentirent.

[q] *Hominem se magis*] Ut non prius humanam se inter homines vitam agere quam munerum tuorum participes se esse sentirent.

CAP. XXVI. 1. Adventante congiarii die,[a] observare principis egressum in publicum; insidere vias, examina[b] infantium, futurusque populus[c] solebat. Labor parentibus erat, ostentare parvulos, impositosque cervicibus adulantia verba, blandasque voces,[d] edocere. 2. Reddebant illi quæ monebantur:[e] *at* plerique irritis precibus surdas prin-

[e] *Edebant illi verba, quæ docebantur.*

CAP. XXVI. 1 '*Adventante c. die*] Subintel. 'alias,' quod male omissum. Schæf. putat excidisse *antea*.' Gierig. in Ed. sec. Codd. Vatt. Guelph. et Gud. 1. *egressum publicum*, omissa præpositione *in;* quam omnes alii codd. et edd. servant. Patav. *insidere examina infantium*. 'Excidit ex hoc loco, post verbum *insidere*, voc. *vias;* quanquam idem etiam omiserint Beroaldus, Manutius, Junta, Fratres Vercellenses, item Rhenanus, Ascensius, H. Stephanus, Livineius, et Boxhornius; id tamen jam receperunt Cuspinianus, Gryphius, Lipsius, Gruterus, Parisienses, Frischmannus, Hackius, Patarol. Ceva. Restituit ergo et confirmat eandem vocem codex noster.' *Schwarz.* 'Tibi, vir optime, una vox deesse videtur, mihi una superesse. Sic igitur scripsit, mea quidem sententia, Plinius: *Adventante congiarii die observare principis egressum in publicum examina infantium futurusque populus solebat.* Quæ e vestigio sequuntur verba, præterita secure esse a tot criticis, valde miror. Vide, quæso, an dubitare valeas, ita scriptum a Plinio fuisse: *Labor parentibus erat, ostentare te parvulis.*' Heuman. 'At hæc viri eruditissimi conjectura solo ingenio fulcitur, et detrahit vocem quam difficile est dicere a librario fuisse intrusam, cum nec proxime antecedat vel sequatur, qua occasione tale quid nonnunquam committi novimus, atque ita de sede sua verba deturbari. Ad hæc non video, cur desperatus habeatur locus, ut urendo secando medicina sit adhibenda. Nec credendum sine auctoritate Ms. hanc lectionem præferre Cuspin. Sich. Gryph. Lips. et reliquos. Abest a nostris excerptis, nec mirum id adeo, cum optimi quoque codices suis mendis non destituantur. Potuit constructio insolentior mutilandi ansam præbuisse homini minus versato, adeo ut ejiceret, quod non satis sibi Latine dictum videbatur. Nec aliter sentiebat Nic. Heinsius, cum hæc in ora cod. sui notaret: lege, *infantium vias*. Mollius ex Guelph. qui *in* ante *publicum* omittit, potuisset distingui: *Principis egressum, publicum insidere examina*. Sed quid juvat in re certa inutiles turbas miscere? Sequentia quo pacto cl. Heum. potuerint offendere necdum video.' *Arntz.* Livineius refert, a viro quodam docto hic repositum esse *fruiturusque populus*. Etiam in Vossiano libro annotatum legitur, *aturusque*, priori litera erasa, vel obscurata; quod pro *maturusque* lectum esse indicat Arntzenius.—2 *Et plerique i. precibus aures*

NOTÆ

[a] *Die*] Qua dandum esse populo congiarium princeps edixerat.

[b] *Examina*] Proprie de apibus dicitur examen, ut sæpe apud Virgilium; sed et de puerorum turba dixit Horat. I. Od. 35. 30. 'Juvenum recens Examen.' Et Epod. II. 65. 'Positosque vernas, ditis examen domus.'

[c] *Futurusque populus*] Quasi qui infantes sint nondum inter populum censeri debeant.

[d] *Blandasque voces*] Quibus moveretur princeps, ut largitiones suas in ipsos derivaret.

cipis aures astrepebant; ignarique, quid rogassent, quid non impetrassent, donec plane scirent, differebantur.[e] 3. Tu ne rogari quidem sustinuisti: et, quanquam lætissimum oculis tuis esset, conspectu Romanæ sobolis impleri; omnes tamen ante quam te viderent adirentve, recipi, incidi, jussisti, ut jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur. Crescerent de tuo,[f] qui crescerent tibi; alimentisque tuis ad stipendia tua pervenirent; tantumque omnes uni tibi, quantum parentibus suis quisque deberet. 4. Recte, Cæsar, quod spem Romani nominis sumtibus tuis suscipis. Nullum est enim magno principe, immortalitatemque merituro, impendii genus dignius, quam

adstrepebant cod. Patav. *Et plerumque* Exc. Voss. *Ac plerisque* cod. Venet. *Ac plerique* vulgg. '*Ac* displicuit Gesnero, quia adversativæ partic. *at* hic locus sit. Hanc adversat. Schwarzius in textum adeo recepit, invitis libris omnibus. Ergo servavi *ac*, quod in principio periodi passim ponitur pro 'autem.' Similiter 'atque.' Vid. Cortius ad Sallust. Cat. LI. 35. et Heusing. ad Cic. Off. III. 25.' *Gierig*. Pro *irritis*, Sichard. Gryph. Steph. al. in margine, *invitis*. Vatt. 1. 2. 3. 4. Salisb. Guelph. et Gud. 1. *obstrepebant;* ceteri scripti impressique, *adstrepebant*. 'Patav. *quid non impetrassent*. Atque hæc vera est lectio, quam libri scripti excusique confirmant; ut mirer, quo fato particula *non* e contextu ed. nostræ exciderit.' *Schwarz*.—3 Exc. Voss. et cod. Patav. *et, quanquam lætissimus oculis tuis esset conspectus Romanæ sobolis; impleri omnes, &c.* Pro *adirentve*, Catan. *adirentur;* H. Steph. Sichard. et Gryph. in margine, *audirentve;* unde Schwarz. conj. *antequam te viderent, audirentve, se recipi, incidi jussisti*. Plurimi codd. et edd. *recipi, incidi, jussisti;* solummodo Vat. 4. Guelph. et Gud. 1. prorsus prætermittunt verbum *incidi;* pro quo Salisb. habet *includi;* H. Steph. Ascens. et Elzevir. *indici*. In cod. Vat. 1. nomen *parentum* plane omissum; codd. Venet. et Schwarzian. habent *parentum publicum munus;* Guelph. *publicum parentum munus*. 'Mox omnes codd. et edd. *quisque deberet*. Solus Lipsius *deberent* intulit, quod non admitto; nam si genus plurale præcesserit, quod deinde per *quisque* dividitur in partes, recte addunt Latini singularem.' *Arntz*. Exc. Voss. Berneg. Baun. Paris. 1640. et Ceva exprimunt numerum multitudinis, *deberent*.—4 '*Magno principe, &c.*] Hæc elogia librarius forte ex oscitantia penitus omiserat in cod. Paris. et sequentibus demum verbis inserit, *a principe*, hunc in modum: *Nullum est enim impendii*

NOTÆ

[e] *Differebantur*] Ad annum 11. Suetonius enim de Augusto capite 41. 'Congiaria populo frequenter dedit . . . ac ne minores quidem pueros præteriit, quamvis ante non nisi ab undecimo ætatis anno accipere consuessent.'

[f] *De tuo, &c.*] De tua liberalitate, qui vitam olim suam obsequio tuo impensuri erant.

quod erogatur in posteros.[g] 5. Locupletes ad tollendos liberos[d] ingentia præmia,[h] et pares pœnæ,[i] cohortantur: pauperibus educandi[j] una ratio est bonus princeps. 6. Hic, fiducia sui[e] procreatos, nisi larga manu fovet, auget, amplectitur; occasum imperii, occasum reipublicæ, accelerat: frustraque proceres,[k] plebe neglecta, ut defectum corpore[f]

[d] *Ad educandos pueros.* [e] *Confidentia liberalitatis suæ.*
[f] *Destitutum membris.*

genus dignius, quam quod a principe erogatur in posteros. At vulgatam lectionem omnes reliqui codd. tuentur.' *Schwarz.*—5 Pro *cohortantur*, codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Salisb. et Guelph. habent *adhortantur*. Codd. Vat. 1. Salisb. Patav. edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Catan. Ald. Lips. alii, *paup. educandis*. Ceteri codd. omnes *educandi*. 'Videtur aptius, quod restat in Viennensi editione, *educandi:* quamvis tamen et alteri suus sensus.' *Grut.* 'Educandi; quod paulo post dicit: 'Magnum quiddam est educandi incitamentum tollere liberos.' Sic in margine H. Steph.' *Faber.* 'Nec aliter Sichardus et Guelph. quod longe τῷ *educandis* prætulerim. Magis tamen placet *educendi*, uti laudat Vertranius Maurus de Jure Liber. c. 4. ex ingenio an ex codicibus non addit, ut nihil pro certo liceat definire. Interim hoc verum est, *educere* pro educare optimis poni, quod vel ex solo Terentio pueris notum.' *Arntz.*—6 Hæ voces, *imperii, occasum*, desunt in edd. Hack. et Gesn. '*Frustra princeps plebe*] Sic equidem, præter Cellarium, etiam legerunt Beroaldus, Manutius, Junta, Gryphius, Rhenanus, H. Stephanus, Livineius, Boxhornius, et alii quidam; verum hic est inconcinnus et quodammodo hiulcus sermo. Cur enim Plinius sine emphasi et figura mox bis repeteret idem vocabulum *princeps*, quod proxime ante hæc verba posuerat, et cui in priore loco signantius addiderat ἐπίθετον, *bonus princeps?* Adhæc, quis est ille, quem princeps *tanquam defectum corpore caput* tuetur? An *se et imperium suum?* quod durioris ἐλλείψεως complementum suppeditat Catanæus. At planiorem et concinniorem hunc locum refert codex noster: *Hic fiducia sui procreatos nisi larga manu fovet, auget, amplectitur; occasum imperii, occasum reipublicæ, accelerat; frustraque proceres, plebe neglecta, ut defectum corpore caput,*

NOTÆ

[g] *Erogatur in posteros*] Sic enim princeps nomen suum posteritati commendat.

[h] *Præmia*] Ut sunt, honestior locus in spectaculis, jus sortiendi provincias, petendi magistratus, hæreditates obtinendi. Ex lege Julia et Papia. Dio lib. XLIII. Sueton. in Augusto c. 34. Lipsius in Taciti Ann. III.

[i] *Pares pœnæ*] Et turpis apud Romanos et prohibitus erat cœlibatus, indicta per censores pecuniaria mulcta, quam populo pendere cœlibes tenebantur, quamque ideo Festus vocat 'æs uxorium.' Præterea arcebantur ab honoribus et dignitatibus populi Romani. Hæredes autem instituti hæreditatem adire non poterant, nisi intra centum dies uxorem ducerent, ex lege Julia et Papia. Vide Pan. VI. c. 2.

[j] *Educandi* [*educandis*] Malim *educandi*, supple liberos, ut in Viennensi editione legitur, et Grutero probatur.

[k] *Frustraque proceres*] Alludit haud dubie ad venustissimum Menenii A-

caput, nutaturumque instabili pondere, tuetur. 7. Facile est conjectare, quod perceperis gaudium, cum te, parentum, liberorum, senum, infantium, puerorum, clamor exciperet. Hæc prima parvulorum civium vox aures tuas imbuit, quibus tu, daturus alimenta,[l] hoc maximum præstitisti, ne rogarent.

Cap. xxvii. 1. Super omnia est tamen, quod talis es, ut sub te liberos tollere libeat, expediat.[g] Nemo jam parens filio, nisi fragilitatis[m] humanæ vices, horret; nec inter insanabiles[n] morbos principis ira numeratur. Magnum

[g] *Hoc tamen maxime omnium in te laudabile est, quod talem te præstas in imperio.*

nutaturumque instabili pondere, tuetur. Hic *proceres*, tanquam primarii et locupletiores cives, qui in republica primæ classi ascripti erant, opponuntur inferioris et pauperioris sortis hominibus. Eodem autem modo integrum hunc Plinii locum ediderat Cuspinianus. Quanquam vero etiam Lipsius, Gruterus, Parisienses, Hackius, Frischmannus, Patarol, Ceva, vocem hanc, *proceres*, prodiderint; hi tamen omnes intempestive et otiose simul addiderunt nomen *princeps*, quod hoc loco fortasse ex nomine *procerum* compendiose scripto ortum libros quosdam occuparat.' *Schwarz.* 'Ego veram scripturam sic restituo: *Occasum reip. accelerat, plebe neglecta, ut defectum corpore caput nutaturumque instabili pondere, ruituræ.*' Heuman. 'Puteol. 1476. Venet. 1498. Ald. Frob. Ascens. Plant. Cell. legunt, *frustra princeps plebe;* Sich. et Gryph. *frustraque princeps pl.* Lips. *frustraque proceres princeps;* Hearn. *frustra proceros princeps pl.* Scaliger, *frustra priores princeps pl.* Vere ed. Cuspin. codex Livineii, Vossius et Guelph. *frustraque proceres pl.* Error ortus ex compendiis scripturæ cum ex *prs* lineola supra posita, vel simili scriptura, hic *proceres*, alter *princeps* legeret, tertius utrumque jungeret. Inutilis et otiosa sane est illa *principis* repetitio, qui jam præcesserat. *Proceros* quod dedit Hearn. magis inducor ut credam errorem esse typographi.' *Arntz.* *Frustraque proceres* Patav. Vatt. 1. 2. 3. 4. Salisb. Guelph. Exc. Voss. et Schwarzian. Vide Nott. Varr.—7 *Facile est cogitare* Guelph. Gud. 1. 2. et Exc. Voss. Paulo post, Vat. 4. *aures t. incubuit;* Vatt. 1. 2. Patav. Exc. Voss. Paris. Venet. et Schwarzian. *aures t. imbutus.*

Cap. xxvii. 1 Edd. Gryph. Sichard. H. Steph. Elzevir. Boxhorn. Hearn. Cellar. et Gesn. *libeat et expediat.* Vid. Nott. Varr. '*Quidem est*] Puteola-

NOTÆ

grippæ apologum, cujus meminit Livius lib. ii. et Quintilianus v. 12. Hic enim Plinius ostendit e re principis esse, ita tueri proceres, qui reipublicæ veluti caput appellari possunt, ut plebem, id est, inferiores corporis partes, non negligat.

[l] *Alimenta*] Hinc Trajani nummus ille, in quo Italia virginis specie pueros offert imperatori quibus ipse spicas distribuit. Titulus 'Alimenta Italiæ.'

[m] *Fragilitatis*] Nisi quod vitare non potest humana conditio, ut valetudinem et mortem.

[n] *Inter insanabiles*] Nulla enim tetrior lues, aut morbus pestilentior, quam tyranni ferocia.

quidem est educandi incitamentum, tollere liberos in spem alimentorum, in spem congiariorum: majus tamen, in spem libertatis, in spem securitatis. 2. Atque adeo nihil largiatur princeps, dum nihil auferat;[o] non alat, dum non occidat: nec deerunt, qui filios concupiscant. Contra largiatur, et auferat; alat, et occidat; næ ille in tam brevi tempore[p] effecerit, ut omnes, non posterorum modo, sed sui, parentumque, pœniteat. 3. Quocirca nihil magis in tua tota liberalitate laudaverim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo; neque a te liberi civium, ut ferarum catuli, sanguine et cædibus nutriuntur. 4. Quodque gratissi-

nus, Aldus, R. Steph. et Gryph. pro *quidem* referunt *quiddam;* non quidem male; sed nec est, quod rejiciamus particulam *quidem*, quam omnes codd. scripti et reliquæ edd. confirmant. Verbum substantivum *est* deest in uno cod. Guelph.' *Schwarz.* Hæc tria verba, *in spem alimentorum*, desunt in codd. Vat. 4. Guelph. et Salisb. a m. pr.—2 *Atque a. n. largitur* cod. Patav. et Exc. Voss. 'Antiquæ omnes edd. et quas ex posterioribus consulere operæ visum fuit, *et*, *et*. nec aliter Guelph. et Voss. excerpta, ut audiendus non fuerit Boxh. et Cellarius, qui *largiatur, ut auferat; alat, ut occidat;* nisi lapsui typographico, quod crederem libentius, tribuamus, quem nollem voluisse tueri clariss. Heumannum, vel certe suæ sententiæ causas exposuisset. Melius hunc errorem sustulerat Hearn.' *Arntz.* Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Salisb. Guelph. Schwarzian. Patav. et Exc. Voss. servant, *ne ille in tam brevi tempore effecerit;* cod. Venet. *ne ille vitam brevi, &c.* Has particulas, *in tam*, omiserunt Puteol. Cuspin. et plurimæ edd. vett. 'Livin. pro *in tam* legit *inquam*. Fortasse verior nostra conjectura, *in brevi tempore*.' Rittersh. 'Boxh. *tam brevi*, demta præpositione, quam aufert etiam Buchnerus, *quam brevi* legens in Lex. ad 'Quam.'' *Hearn.* 'Nec a Buchnero dissentit Grævius ad Suetonium Claud. c. 20. Ego satis causæ nondum reperi, cur hic locus tanto opere sit vexatus VV. DD. conjecturis.' *Arntz.* 'Hic interpretes offenderunt duæ voculæ *in* et *tam*, quia *in* ante ablativum temporis plerumque omittitur, *tam* autem non habet, quo referatur. Itaque alius illam omisit, alius hanc in *jam*, *tam*, *quam*, *ita* aut *tamen* mutavit. Gesnerus dedit *næ ille jam*. Schwarzius, cui antehac in mentem venerat *ille etiam*, nihil decernit, sed dubius hæret. Ego elegi *ille quam*, quod bonum habet sensum.' *Gierig.* Vide Nott. Varr.—3 Navius, Livineius, et Paris. 1643. *ferarii catuli*. 'Editio Livineii, *ferarii catuli*. Sed cum abeat verbo uno a scriptura vulgata, neque ullius mutationis mentionem faciat in notis suis, suspicari cogor, illud *ferarii* esse operarum peccatum, reponendumque *ferarum*.' Grut. 'Sed miror, ne quidem Grut. in ed. Francofurt. 1607. mendum illud emendandum curasse.' *Schwarz.*—4 Codex Vat. 4. et Guelph.

NOTÆ

[o] *Dum nihil auferat*] Notat nefariam Domitiani liberalitatem, qui congiaria primum largiebatur pueris, tum ea ipsa magno cum fœnore, sæpe etiam cum vita repetebat.

[p] *In tam brevi tempore*] Livineius pro *in tam* legendum suspicatur *inquam:* ego malim cum Rittershusio, inducto *tam*, legere, *in brevi tempore*.

mum est accipientibus, sciunt, dari sibi, quod nemini est ereptum;[q] locupletatisque tam multis pauperiorem esse factum principem tantum; quanquam nec hunc quidem. Nam cujus est, quicquid est omnium, tantum ipse, quantum omnes, habet.

CAP. XXVIII. 1. Alio me vocat[r] numerosa gloria tua.[h] Alio autem? quasi vero jam satis veneratus miratusque sim, quod tantam pecuniam profudisti, non ut, flagitii tibi conscius, ab insectatione ejus averteres[i s] famam, nec ut tristes mœstosque sermones lætiore materia detineres. 2. Nullam congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem, redemisti: nec tibi benefaciendi fuit causa, ut, quæ male feceras, impune fecisses. Amor impendio isto, non venia quæsita est; populusque Romanus obligatus a tribunali tuo, non exoratus, recessit.[k] 3. Obtulisti enim congiarium gaudentibus gaudens, securusque securis: quodque antea principes, ad odium sui leniendum, tumentibus[t] plebis animis objectabant; id tu tam innocens populo dedisti,

[h] *Multiplex laus tua.* [i] *Deterreres populos ab eo tibi imputando.*
[k] *Devinctus beneficio a palatio tuo recessit, non placatus.*

locupletatisque multis, omissa particula *tam;* quam vero ceteri libri omnes agnoscunt. Patav. *pauperem esse factum.* Mox, *nec hoc quidem* Vat. 4. Gesnerus mollius ad aures accidere judicat, *ne hunc quidem.*

CAP. XXVIII. 1 In verbis, *quasi vero jam*, mediam vocem inducunt Exc. Voss. Paulo post, *lætiore materia declinares* laudat Schæfferus ad Pacati Paneg. c. XXVII. unde non addit; quare memoriæ vitio tribuendum.—2 *Amor imperio isto* cod. Patav. et Exc. Voss.—3 Codex Patav. *ad odium suum, &c.* Statim, in cod. Salisb. primum fuerat scriptum, *timentibus;* sed ipse librarius, ut corrigeret hoc mendum, jam sua manu rescripsit, *tumentibus.* Mox, pro *tu tam*, ed. Puteol. 1476. habet *tutam;* Beroald. *tuam.* Sed et Vat. 4. et Guelph. *tu jam innocentius*, probante Arntz.—4 'Codex Patav. pro verbo

NOTÆ

[q] *Quod nemini est ereptum*] Trajanus enim ab alienis pecuniis mirum quantum abstinebat.

[r] *Alio me vocat*] Quam ingeniose auditorum animos excitat, dum alio se vocari simulans, in eodem tamen versatur argumento!

[s] *Averteres*] Ut Nero, in cujus largitionibus aliqui necessitatem adhibitam credebant a principe sceleris sibi conscio et veniam sperante si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. Tacit. An. XIII. 18.

[t] *Tumentibus*] Furenti populo pecuniam, tanquam apud Virgilium Sibylla offam Cerbero, objectabant.

quam populus accepit. 4. Paulo minus, Patres Conscripti, quinque millia ingenuorum [u] fuerunt, quæ liberalitas principis nostri conquisivit, invenit, ascivit. Hi subsidium bellorum, ornamentum pacis, publicis sumtibus aluntur; patriamque, non ut patriam tantum, verum ut altricem, amare condiscunt. 5. Ex his castra, ex his tribus, replebuntur; ex his quandoque nascentur, quibus alimentis opus non sit. 6. Dent tibi, Cæsar, ætatem [l] Dii, quam mereris, serventque animum, quem dederunt: et quanto majorem infantium turbam iterum iterumque jubebis incidi! [v] 7. Augetur enim quotidie, et crescit; non, quia cariores parentibus liberi, sed quia principi cives. Dabis con-

[l] *Longævos annos.*

ascivit exhibet *adjuvit*, non male.' *Schwarz.*—5 Hæc verba, *ex his tribus*, desunt in Guelph.—6 ' *Et quanto*] Inquinavit hic Cellarianam editionem mendum, dum pro *quanto*, quod cod. Ms. et ceteri libri impressi; præter Boxhornianum habent, positum est, *quando:* quod monendum duximus, cum inde sententia Plinii turbetur, aut certe obscuretur, Boxhornius enim, qui nullo usus est codice manu exarato, saltem ex ingenio mutavit; nisi putes, erratum typographicum esse. Non pauci libri pro verbo *videbis* habent *jubebis.* Imo Cuspinianus sic legit: *quanto majorem infantium turbam iterum atque iterum videbis, jubebis incidi.* Gudianum exemplar alterum, pro his vocibus *jubebis incidi*, margini ascriptum referebat, *videbis in diem.* Nos nihil mutandum censemus; particula *et* auget vim admirationis et exclamationis.' *Schwarz.* ' Non ego potui a me impetrare, ut sanum hunc locum crederem.' *Heuman.* ' Hunc locum sanum et satis planum corruperunt tam librarii, quam edd. qui hic quæsiverunt prothesin et apodosin. Itaque alius *quanto* mutavit in *quando*, ut *dabis congiarium* sit apodosis, verbis *augetur ... cives* per parenthesin adjectis: alius inseruit *videbis* hoc modo: *quanto majorem infantium turbam iterum atque iterum videbis* (tanto majorem) *jubebis incidi.* Alii denique, in quibus Gesnerus, omisso *τῷ jubebis*, retinuerunt unum *videbis.* Sed verum vidit Schwarz.' *Gierig.* Vide Nott. Varr.—7 In multis edd. Catan. Ald. Junt. R. Steph. Sichard. Boxhorn. Patarol. al. hæc verba, *Augetur enim, &c.* usque ad *principi cives*, signis *παρενθέσεως* includuntur; quæ signa vero recentiora nullus codex agnoscit. ' Servo ego scripturam omnium codd. et edd. plurimarum, modo verba illa ita parenthesi distinguantur (quæ ceteroquin aliquas tenebras offundunt, certe cl. Heumanno videntur offendiculo fuisse,)

NOTÆ

[u] *Ingenuorum*] Ingenui sunt, qui statim ut nati sunt, liberi sunt; sive nascantur ex duobus ingenuis; sive ex uno ingenuo et altero libertino; sive ex duobus libertinis; sive ex patre servo et matre libera.

[v] *Incidi*] In iis tabulis, ubi erant eorum nomina, qui congiario donandi erant.

giaria, si voles; præstabis alimenta, si voles: illi tamen propter te [w] nascuntur.

CAP. XXIX. 1. Instar ego perpetui congiarii reor affluentiam annonæ. Hujus aliquando cura Pompeio [a] non minus addidit gloriæ, quam pulsus ambitus Campo,[b] exactus hostis [c] mari, oriens [d] triumphis, occidensque [e] lustratus. 2. Nec vero ille civilius,[a] quam parens noster, auctoritate, consilio,

[a] *Ratione magis populari.*

uti factum est in Aldina, Sichardi, et Hearn. *Alimenta* et *congiaria* jungi, jam superiori capite defendimus.' *Arntz.* Hæc verba, *præstabis alimenta si voles,* omissa sunt a Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Catan. Ald. Junt. Philomus. Rhenan. Ascens. R. Steph. Ceva, et Patarol. sed in aliis edd. et scriptis omnibus extant, uno Paris. excepto. In ed. Grut. inverso ordine leguntur, *Præstabis alimenta, si voles; dabis congiaria, si voles.* Exc. Voss. habent *si nolles.* Mox, duæ voces, *illi tamen,* desunt in Guelph.

CAP. XXIX. 1 '*Instar ego*] Suspicor de hiatu aliquo, nec satis hærent; etsi fateor tamen apposite congiariis annonam subtexi, ut quæ pariter liberalitatem tangit; sed verba aliqua absunt, quibus decore eo transierit.' *Lips.* Gryph. Sichard. et H. Steph. in margine, *Instat ergo;* Vatt. 1. 2. 3. 4. Venet. et Salisb. *Instar ergo;* Patav. aliique codd. et edd. *Instar ego.* 'Hæc sententia commodissime ad curam annonæ transit. Miror igitur Lipsium decorum hic transitum desiderasse. Schwarz. hic mirum in modum fluctuat, atque nunc *ergo,* nunc *vero,* nunc *ego* defendit. Dubitat etiam, utrum *ergo* nunc significet i. q. *vero,* an sit, *deinde.* Sed unice verum est *ego,* quod Noster ubique fere addit, ubi judicium suum interponit.' *Gierig.*—2 *Nec vero ille emilius* cod. Patav. et in margine, *Æmilius.* Idem codex mox, *reclusit vias;*

NOTÆ

[w] *Propter te*] Non propter congiarium tuum; sed ut te imperatorem habeant, ut ævi tui felicitate fruantur.

[a] *Hujus a. cura Pompeio*] Constituti erant præfecti frumento in populum distribuendo, sive donaretur, sive minimo distraheretur; quam præfecturam Cn. Pompeius an. U. C. 696. in quinquennium, sed extra ordinem in summa annonæ difficultate gessit, et per se ac per 15. legatos eam ob rem ipsi datos tantam frumenti copiam in Urbem invexit, ut plus ea re sibi laudis pepererit, quam tot reportatis victoriis. Plutarchus, Cicero pro Lege Manilia.

[b] *Pulsus ambitus Campo*] Martio, ubi plebis suffragia emendicari, et effusissimis largitionibus ac blanditiarum genere omni ambiri magistratus solebant. Cui malo ut mederetur Cn. Pompeius in tertio suo consulatu gravissimam legem tulit de ambitu. Plutarchus.

[c] *Hostis*] Pirata Cilix: quod factum diebus non amplius 40. narrat Plutarchus, Appianus, Florus, Tullius de Provinc. Consular.

[d] *Oriens*] Ubi Mithridatem, Tigranem, Albanos, Iberos, Arabas, et Judæos vicit.

[e] *Occidensque*] Puta in Africa, ubi Domitium reliquias exercitus Marii colligentem victum interfecit; in Hispania, ubi Sertorium, Perpennam, Lectoriumque superavit.

fide, reclusit vias, portusque patefecit; itinera terris,[f] littoribus mare, littora mari, reddidit; diversasque gentes ita commercio miscuit, ut, quod genitum esset usquam, id apud omnes natum esse videretur. 3. Nonne cernere datur, ut, sine ullius injuria, omnis usibus nostris annus exuberet?[b] Quippe non, ut ex hostico[c] raptæ, perituræque in horreis[g] messes, nequicquam quiritantibus sociis, auferuntur. 4. Devehunt ipsi, quod terra genuit, quod sidus aluit,[h] quod annus tulit; nec novis indictionibus[i] pressi ad vetera tributa

[b] *His temporibus agri præter solitum in usus nostros fertiles sint.*
[c] *Ex hostili agro.*

portas patefecit; Exc. Voss. *exclusit vias; portas patefecit.* Patav. *gentes commercio,* omissa voce *ita.*—3 Cod. Patav. *amnis exuberet;* et sic quoque Venet. et Schwarzian. 'Sichardus in margine *annuis* ascripsit, quod fortasse sic in suo codice reperisset. Omnino male. *Usus* adhibetur de omnibus rebus ad vitam sustentandam necessariis, adeoque de cibo potuque. Si Sichardo illud *annuis* placuisset, puto eum pro *omnis* scribere debuisse *amnis,* ut de Nilo capiamus, qui simpliciter per excellentiam fere *amnis* seu *fluvius* dicitur.' *Arntz.* Mox, in Gud. 2. *parituræque in horreis messes.* 'Dubius rursus Schwarzius est, utrum *queritantibus* præferat, an *quiritantibus;* illud enim satis se defendere analogia, sed nullius esse auctoritatis, hoc esse verbum probum, multisque exemplis comprobatum, verum sub imperatoribus non licuisse *quiritare,* i. e. fidem Quiritium implorare. Recepit tamen *quiritantibus.* Nos contra secure dedimus *queritantibus.* Etenim omnes Mss. præter unum Salisb. omnes etiam edd. veteres ante Livineium sic habent. Porro apud Tacit. An. XVI. 34. ne unus quidem Ms. habet *quiritantes,* sed pauci *querentes,* ceteri omnes *queritantes.* Atque ita etiam ibi edd. veteres omnes.' *Gierig.* Vide Nott. Varr. Cod. Patav. exhibet, *nequicquam queritantibus.*—4 '*Devehunt ipsi*] Isaaci Vossii coll. *Bene habent,* unde faciebat nulla mutatione *Vene habent* pro *venui,* qua ultima phrasi utitur Apul. Met. VIII. p. 210. Sed nova illa locutio neque potest ulla analogia defendi. *Devehunt* probum est, ita Rutilius Itin. I. 154.' *Arntz.* *Bene habent ipsi* etiam Patav.

NOTÆ

[f] *Itinera terris*] Quia terræ sine itineribus, mare sine littoribus, littora sine mari videbantur esse; adeo omnia prædonum et piratarum latrociniis erant infesta et veluti interclusa.

[g] *In horreis*] Quæ Romani in provinciis passim habebant, ubi frumenta reponerent et militares annonas. Erant et Romæ horrea per omnes regiones urbis sparsa, quibus publicum conderetur frumentum. Lips.

[h] *Quod sidus aluit*] Sidera enim ad alendas fruges plurimum conferunt; unde observandum inprimis: 'quo sidere terram Vertere conveniat,' Virg. Georg. I. 1.

[i] *Indictionibus*] Indictiones dicebantur tributa, quæ singulis tribus lustris pendebantur, unde cœpit, ut verisimile est, sub Constantino consuetudo illa numerandi annos ab indictionibus, id est, a spatio 15. annorum. Omnino tria tributorum genera erant: 1. Canon, certum et ordinarium tributum. 2. Oblatio, volunta-

deficiunt.[d] 5. Emit fiscus,[j] quicquid videtur emere:[k] inde copiæ, inde annona, de qua inter licentem[l] vendentemque conveniat;[e] inde hic satietas, nec fames usquam.

CAP. XXX. 1. Ægyptus[m] alendis augendisque seminibus ita gloriata est, ut nihil imbribus cœloque[n] deberet: siquidem proprio semper amne[o] perfusa, nec alio genere aquarum solita pinguescere, quam quas ipse devexerat, tantis segetibus induebatur,[p] ut cum feracissimis terris,

[d] *Nec novorum vectigalium exactione vexati impares sunt pendendis veteribus tributis.*

[e] *De cujus pretio inter emtorem venditoremque facile conveniat.*

Mox, *novis inditionibus* cod. Patav.—5 *Sinit fiscus, quicquid videtur, emere* Vat. 4. *Sinit fiscus, quicquid videre emere* Guelph. et Gud. 2. unde Schwarz. conj. *Sinit fiscus, quicquid videtur e re, emere.* Mox, *inde copia* cod. Patav.

CAP. XXX. 1 Cod. Salisb. pro *augendis*, habet *agendis.* Behrius conjectabat, *fœcundandis.* '*Amne*] Corrupta editione usus fuit Faber, in qua *omne* legebatur, recte tamen et Stephaniana ex suo codice restituit *amne.* Conf. cap. præc. sect. 3.' *Arntz.* '*Ipse devexerat*] Ita Voss. Guelph. et omnes fere editi. Diffiteri interim nolim, minime me contemnere, quod dedit Lipsius *ipsa*, ut scilicet Ægyptus, in cujus solius laude versatur, debeat subaudiri.' *Idem.* Bernegger, et Ceva etiam *ipsa;* 'meo quidem judicio satis bene. Cum reliquæ vero edd. omnesque codd. scripti exhibeant pronomen *ipse*, sc. amnis,

NOTÆ

rium. 3. Indictio, novum et superindictum. Budæus in Annot. ad Pandect. Asconius in Verrinam IV.

[j] *Fiscus*] Ærarium principis.

[k] *Videtur emere*] Non ut improbe callidi imperatores, qui interdum emendi specie, aliena per vim rapiunt. Trajanus autem emebat vere, quicquid emere videbatur.

[l] *Licentem*] Id est, ementem. Liceri tamen et licitari proprie dicitur, qui in auctione rem vænum expositam plus offerendo auferre contendit; is licitatorem apponit, qui subornat aliquem qui se velle emere simulet, et pluris liceatur, ea quæ vænum exposita sunt, quam quanti sunt; ut eo modo ceteri emtores inducantur.

[m] *Ægyptus*] Regio Africæ ad Syenen et Æthiopiam, inde ad Arabiam et Palæstinam pertinens. Abundans pascuis, frumenti frugumque feracissima. De ejus fertilitate vide Lucr. lib. X. Solinum in Collectaneis, Annæum Senecam in Quæst. Nat. et Strab. in Geographia.

[n] *Cœloque*] Quare, ut Tibullus ait, I. 7. non illic 'pluvio supplicat herba Jovi.'

[o] *Proprio s. amne*] Nilo; qui 'veluti coloni vice fungens' ad uberandos agros 'evagari incipit a solstitio.' Plin. XVIII. 18. 'Et cum tota æstate aquis suis Ægyptum obrutam oppletamque tenuit, tum recedit, mollitosque et oblimatos agros ad serendum relinquit,' Cic. de Nat. Deor. lib. I. Ad summam ubertatem inducendam neque minus 12. cubitis, neque plus 16. exundare debet. Plin. XVIII. 18.

[p] *Induebatur*] Olet poëticum quid-

quasi nunquam cessura, certaret. 2. Hæc inopina siccitate usque ad injuriam sterilitatis[f] exaruit; quia piger Nilus cunctanter alveo sese ac languide extulerat, ingentibus quidem tunc quoque ille fluminibus, fluminibus tamen,

[f] *Usque ad reprehensionem sterilitatis.*

nec dum ego id rejicere audeo.' *Schwarz.*—2 '*Inopina siccitate*] In cod. Venet. item edd. Puteol. et Rhenan. legitur *inopia, siccitate;* sed in voce *inopia* tantummodo signum scripturæ compendiosæ prætermissum est.' *Idem.*—2 Cod. Patav. *usque injuriam;* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Salisb. Guelph. edd. Beroald. Catan. Ald. Junt. Gryph. Ascens. Sichard. Nav. Livin. H. Steph. Cellar. Hearn. et Gesn. *usque ad injuriam;* alii codd. cum edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Rhenan. Arntzen. Gierig. Schæf. al. *usque in injuriam.* Mox, cod. Patav. *quidem quoque tunc ille fluminibus.* 'Livineius, post vocabulum *fluminibus*, adhuc duo hæc vocabula, tanquam necessarium additamentum, fide duorum optimorum codicum addit, *fluminibus tamen;* unde locus iste sic supplendus esset: *ingentibus quoque tunc quidem ille fluminibus, fluminibus tamen conferendus.* Ac sic plane legunt Lipsius, Gruterus, De la Baune, Frischmannus, Hackius, Ceva. Cuspinianus eadem exhibet, nisi quod etiam voculas quasdam satis apte transpositas prodat: *ingentibus quidem tunc quoque ille fluminibus, fluminibus tamen, conferendus;* quanquam apud Cuspinianum pro *tunc*, vitiose expressum sit *tume.* Sententia non obscura est: Nilum scilicet in illa siccitate nihilominus adhuc ingentibus fluminibus, fluminibus tamen, quæ alveis suis continentur, haud mari, aut stagno exundanti, conferendum fuisse. Alias enim Nilus, ubi crescit, 'initio diducitur, deinde continuatis aquis in faciem lati ac turbidi maris stagnat,' uti loquitur Seneca. Hæc ipsa verba, sed adhuc concisius, prodit codex noster: *ingentibus quidem tunc quoque ille, fluminibus tamen, conferendus.* Quam lectionem etiam annotavit Gudius in altero libro; et exprimendam curavit Patarol. Illa Cuspiniani lectio quidem plenior et facilior; at et hæc codicis nostri Pliniano scribendi generi est conformis. Sic enim idem aliquoties eodem modo per particulam *tamen* loquitur, ut sensu quidem eadem vox bis sit repetenda, sed semel tantum exprimatur. v. g. LXXXV. 4. 'Potest fortasse princeps inique, potest tamen, odio esse non nullis.' Ubi vocabulum 'odio' in grammatica verborum structura quasi duplicem locum requirit. Sic et convenientius nostro loco, XC. 6. 'Habuerat,' inquit, 'tunc honorem periculis nostris divus Nerva, ut nos, etsi minus, ut bonos tamen, promoveret vellet.' Hic enim vox 'bonos' etiam ad antecedens incisum, 'etsi minus bonos,' referenda est. Cum igitur plurimi librarii et editores non satis caperent hunc usum particulæ *tamen*, vimque hujus ἐλλείψεος haud attenderent; hinc evenit, ut eam particulam alii plane omiserint; alii contra simul nomen *fluminibus*, præter necessitatem, repetierint.' *Schwarz.* 'Atque ita edidit cl. Gesnerus, qui præterea *quidem* expunxit, cujus rei causam quæro. Invitus ab eruditissimis viris dissentio: atque ita quidem dissentio, quia videatur perpetuus usus Plinii requirere, ut hæc vox bis repetatur.' *Arntz.* 'Codd. Guelpherb. et Schwarz.

NOTÆ

dam hæc metaphora, qua terra 'indui' ac 'vestiri' segetibus dicitur, pro 'tegi:' sed voces hujusmodi et familiares sunt Plinio, neque videntur a panegyricarum orationum stylo valde alienæ.

conferendus. 3. Hinc pars magna terrarum mergi reparari que palanti amne consueta,[t] alto pulvere incanduit. Frustra tunc Ægyptus nubila optavit, cœlumque respexit;[q] cum ipse fœcunditatis parens contractior et exilior iisdem ubertatem ejus anni angustiis, quibus abundantiam suam,

[t] *Tegi assueta fluvio circumquaque exundante.*

prius *fluminibus* omittunt. Atque ita ediderunt Patarol. et Gesnerus. Sed Vaticc. Venet. Paris. et duo Livineii illud voc. bis ponunt. Horum auctoritatem secuti sunt tam plures editores veteres, quam nuper Arntzen. et Schwarz. Nihil refert, utram lectionem præferas; Plinius enim, qui hanc loquendi formam valde amat, nunc voc. primarium bis ponit, nunc semel reticet, atque lectori subintelligendum relinquit.' *Gierig.* Vide Nott. Varr. —3 *Hinc parens magna t.*[*mergere parique amne* cod. Palat. '*Mergi palanti amne*] Adhuc ubique hæc lectio evulgata fuit, nisi quod Beroaldus, pro *palanti*, parum commode exhibuit *spargenti*. Sed tamen non reticendum est, Livineium in vetusto codice Ms. reperisse, *mergere parique*, impedita quidem et difficili scriptura; sed, compendia secutum literarum, et, quæ coaluerant, divulsis, eruisse, *mergi, reparari que*. Et sane in nostro codice extat, *mergere pararique*. Unde facile colligas, syllabam *re*, a verbo *parari* divulsam, coaluisse cum antecedente verbo, *mergi;* ex quo deinde librarii inepti *mergere* efformarunt. Quam lectionem etiam in margine notarunt Gryphius, H. Steph. Rivinus. At veriorem lectionem omnino confirmat alter Gudii liber, qui ex cod. Ms. profert *mergi reparari que*. Neque obscurum esse potest, quomodo ex divulsa pariter et compendiosa scriptura verbi *reparari que*, alii minus apte *spargenti;* alii paulo congruentius ex ingenio effinxerint *palanti*, particula quidem *que*, velut superflua, tunc rejecta. *Reparari* autem hoc loco idem est ac refici, fœcundari, pinguescere. Constat enim, Nili inundatione terras Ægypti non tantum mergi, sed et fœcundari, solere.' *Schwarz.* 'Dum dubito, dum calamus ipse inter duas lectiones fluctuat, ponendumne sit, *mergi palanti amne*, quod adhuc obtinuit, an illud ex Ms. *mergi reparari que;* utrumque exiisse prelis video, et neutrum ne nunc quidem vel damnare audeo vel probare. Certe *palans amnis* mihi imagine non inamœna blandiebatur, hoc est ripas suas, et quasi castra hinc inde egressus, et prout fors vel impetus tulit, hic longius et densior, hic rarior et brevius commoratus. Quid? si utrumque est a Plinio, et error noster suam huic loco faciem, ut Nealcis furor desperatam in equo spumam reddidit.' *Gesn.* 'Minus verosimile, quosdam librarios omisisse *palanti*, et retinuisse *reparari que;* alios vero prætermisse *reparari que*, et servasse *palanti*. Nec tamen hæc viri cl. conjectura abhorret ab usu Plinii, qui poëtarum more substantivis epitheta solet jungere, quod tamen non adeo perpetuum, uti hoc ipso cap. sect. 1. *imbribus*, ubi non minus commode eorum fertilitatem expressisset. Interim satisfacit ex dubia scriptura *mergi reparari que* factum esse *mergere palanti*, et, ut intelligi posset, *mergi palanti*, idque ipse ductus literarum ostendit in *parari* adeo, ut vix dubium supersit. In Voss. a m. pr. erat, *merg. . . . . parique*, sed correctum, *mergi reparari que*, uti Guelph. sine ulla suspicione lituræ aut correctionis.' *Arntz.* Vide Nott. Varr. Codd. Patav. et al. ap. Schwarz. *iisdem ubertatis ejus angustiis;* Guelph. *iisdem ubertatis auspiciis ejus, quibus, &c.*

NOTÆ

[q] *Cœlumque respexit*] Præter consuetudinem. 'In Ægypto' enim, ut ait Seneca, 'nemo aratorum aspicit cœlum,' cujus ope sibi non videntur

cohibuisset.[h] 4. Neque enim solum vagus ille, *cum expanditur*,[r] amnis, intra usurpata semper collium substiterat,[i] atque hæserat; sed supino etiam ac detinenti solo, non placido se mollique lapsu refugum abstulerat; et necdum satis humentes terras addiderat arentibus.[k] 5. Igitur inundatione, id est, ubertate, regio fraudata, sic opem Cæsaris invocavit, ut solet amnem suum:[s] nec longius illi adversorum fuit spatium, quam dum nuntiat.[l] Tam velox, Cæsar, potentia tua est, tamque in omnia pariter intenta bonitas, et accincta,[m] ut tristius aliquid sæculo tuo passis ad remedium salutemque sufficiat, ut scias.

[h] *Iisdem terminis contraxisset, et ejus anni fertilitatem, et aquarum suarum copiam.*
[i] *Intra colles, quos aquis operire quondam solebat.*
[k] *Sed etiam refugiendo se subduxerat declivi et detinendis aquis accommoda terra, non sedato ac lento cursu; et necdum satis limi in sicca terra invexerat.*
[l] *Nec diutius duravit ejus calamitas, quam quoad nuntiaret tibi.*
[m] *Et ad juvandos alios expedita.*

—4 'Pro *cum expanditur* olim edebatur *expanditor;* quod voc. nemini lectum, nec analogiæ conforme est. Hinc alius editor suasit *exspatiator*, alius *palator*, aut *agrorum lustrator;* omnes enim persuasum sibi habebant requiri hic substantivum. Sed verum est, quod Gesner. Arntzen. et Schwarz. dederunt, *cum expanditur*. Etenim 1. hoc habent Mss. Vaticc. et Guelph. 2. facile apparet, quomodo neglecta voce *cum*, quæ abest a nonnullis Mss. *expanditur* corrumpi potuerit in *expanditor*. 3. Sensum habet illa lectio huic loco convenientissimum. Igitur non erat, cur Schwarzius dubitaret, an non præstaret vel *cum expandatur*, quod a Livineio et Vossio e Mss. notatum, atque etiam, quanquam sine *cum*, in Paris. et Patav. extat; vel, quod e suo cod. protulit, *cum expandebatur*.' Gierig. Vide Varr. Nott. et Schwarzii Obss. iis subjectas. '*Supino etiam ac clementi*] Cum Arntzenio e cod. Guelph. dedimus *clementi*, i. e. sensim ac tarde se supra planitiem attollente, quod bene convenit *supino*. Reliquorum *detinenti* locum non habet; ex humili enim et convexo loco aqua refugere non potest.' *Gierig*. Vide Nott. Varr. Pro *collium* Perizon. in margine scripsit *vallium*. Ald. Junt. Philomus. R. et H. Steph. Ascens. Boxhorn. et Patarol. *non* omittunt ante *placido;* quod vero agnoscunt omnes codd. et edd. recentt. Pro *refugum* cod. Schwarzian. habet *refusum*. Codd. Guelph. et Patav. *abstulerat; necdum;* Livineius emend. *necdumque*, vel *necdumne*. Guelph. *terras abdiderat*.—5 '*Tristius aliquid*] Plurimæ edd. antiq. pro *aliquid* habent *aliquod;* post-

NOTÆ

indigere. 'In solo tanta est fiducia Nilo,' inquit Lucanus.

[r] *Cum expanditur* [*et expanditor*] Quia vox hæc infrequentior videtur ac durior, Rittershusius legit *spatiator;* Lipsius suspicatur legendum *exspatiator*.

[s] *Amnem suum*] Nilum, quem Ægyptii Jovem suum nuncupant.

CAP. XXXI. 1. Omnibus equidem gentibus fertiles annos, gratasque terras precor: crediderim tamen, per hunc Ægypti statum, tuas Fortunam vires experiri, tuamque vigilantiam expectare,[a] voluisse. Nam, cum omnia ubique secunda merearis; nonne manifestum est, si quid adversi cadat, tuis laudibus, tuisque virtutibus, materiem campumque prosterni; cum secunda felices, adversa magnos, probent? 2. Percrebuerat antiquitus, urbem nostram, nisi opibus Ægypti, ali sustentarique non posse.[b] Superbiebat ventosa[c] et insolens natio, quod victorem quidem populum pasceret tamen; quodque in suo flumine, in suis *navibus*,[d]

quam vero Livineius in margine edd. suæ annotaret, se in codice vet. reperisse *aliquid*, plerique recentt. hanc scripturam receperunt, quam etiam confirmant codd. a me inspecti.' *Schwarz.*

CAP. XXXI. 1 Cod. Salisb. *egentibus f. amnes.* Mox, nonnulli codd. et edd. *spectare voluisse;* Gud. *ostentare voluisse;* et sic edidit Cuspin. Lipsius animo quasi suspenso scripsit, 'vide an *spectari;*' quam conj. recepere Bann. et Gesn. *exspectare voluisse* cod. Patav. alii plurimi ap. Schwarz. '*Tuamque vig. exspectare voluisse*] Sic Schwarz. cum omnibus suis codd. Contra Arntzen. cum aliis e Gudii libro amplexus est *spectare*, i. e. explorare. Gesnerus Lipsii conj. prætulit *spectari*, i. e. ab omnibus conspici. Cuspinian. denique *ostentare* exhibuit. Equidem jam nuper monui, esse suam cuique lectioni virtutem, neque liquido dici posse, quæ sit ab auctoris manu profecta. Postea Ernesti jun. sibi *spectari* arridere dixit, Schæf. *spectare.*' Gierig. Paulo post, Vatt. 1. 2. 3. 4. Salisb. et Guelph. *cum omnia secunda ubique merearis;* Paris. *cum omnia ubique merearis secunda.* Beroald. et Catan. *si quod a. cadat.* Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venet. Salisb. Guelph. et Schwarzian. *materiam;* ceteri omnes ap. Schwarz. *materiem.* Pro *prosterni*, Lipsius, Berneg. Hack. Ceva et Arntzen. *præsterni.* 'Mihi utrumque verb. æque bonum videtur. Prius h. l. se tuetur consensu codd. ergo præferendum est.' *Gierig.*—2 Vat. 4. Patav. et Guelph. *pasceret*, omissa voce *tamen;* eademque punctis notata fuit in Exc. Voss. quasi defuerit alicui cod. 'Pro *in suis manibus*, quod obsi-

NOTÆ

[a] *Expectare* [*spectari*] Ita Lipsius. Juxta alios vero *expectare*, quod non ita placet.

[b] *Non posse*] Neque admodum immerito. Nam Josephus lib. XI. excidii Hierosol. 'Ægyptus quatuor mensium annonam Urbi suppeditabat.' Et bello Punico secundo, cum vastata esset ab Hannibale Italia, Romani per legatos a Ptolemæo petiere, ut frumenti sibi copia fieret, cujus in summa erant inopia. Polyb. Augustus, Ægypto in provinciæ formam redacta, publicas ibi frumentationes instituit, unde, ut ait Victor in Augusto, 'Urbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur.'

[c] *Ventosa*] Vopiscus in Saturnino: 'Ægyptii viri ventosi, furibundi, jactantes.'

[d] *In suis navibus* [*manibus*] Alii, *in suis navibus.*

vel abundantia nostra, vel fames esset. 3. Refudimus Nilo suas copias;[a] recepit frumenta, quæ miserat, deportatasque messes revexit. Discat igitur Ægyptus, credatque experimento,[e] non alimenta se nobis, sed tributa, præstare. Sciat, se non esse populo Romano necessariam, et tamen serviat.[f] 4. Posthæc, si volet Nilus, amet alveum suum, et fluminis modum servet.[b g] Nihil hoc ad Urbem, ac ne ad Ægyptum quidem, nisi ut inde navigia inania, et vacua, et similia redeuntibus;[c] hinc plena, et onusta, et qualia solent venire, mittantur; conversoque munere maris, hinc potius venti ferentes,[h] et brevis cursus, optentur.[i] 5. Mirum, Cæsar, videretur, si desidem Ægyptum, cessantemque Nilum, non sensisset Urbis annona; quæ tuis opibus, tua cura, usque illuc redundavit, ut simul probaretur,[d] et nos Ægypto posse, et nobis Ægyptum carere non posse. 6. Actum erat de fœcundissima gente, si libera fuisset:[j] pudebat

[a] *Reddidimus Nilo suas opes.*
[b] *Sese teneat in alveo suo, et fluminum fortuna contentus sit.*
[c] *Qualia olim redibant.*
[d] *Mirum fuisset si Ægyptum sterilem, arescentemque Nilum Urbis cibaria nihilo imminuta non sensissent; quæ tuo sumtu tuaque providentia hinc ad Ægyptum usque affatim exportata sunt, ut intelligeretur, &c.*

debat omnes edd. veteres, Livineius bene conj. *in suis navibus;* idque probavit se Jureto, Gesnero, Arntzenio, et Schwarzio, præsertim cum etiam in libro Gudii altero et in Exc. Voss. notatum esset.' *Gierig.*—3 *Refundimus Nilo* Salisb. Schwarzian. et edd. Beroald. *et tm̄ serviat* cod. Venet. *et tñ serviat* Salisb. et Schwarzian. *et tantum serviat* Livin. et Lips.—4 Patav. et Exc. Voss. *ac ne ad Æ. quidem vidisti: ut inde navigia, &c.*—6 Exc. Voss. et Patav. *de fecundissima parte;* Venet. *de facundissima gente;* Behrius vero

NOTÆ

[e] *Experimento*] Si alio modo abduci ab errore suo non potest.

[f] *Et tamen serviat*] Malim cum Livineio, *Et tantum serviat.*

[g] *Fluminis modum servet*] Non instar maris in Ægyptum exundet.

[h] *Venti ferentes*] Secundi. Sic Virgil. Æneid. IV. 430. 'Expectet facilemque fugam, ventosque ferentes.' Et Ovid. Trist. I. 2. 73. 'Ut mare subsidat ventisque ferentibus utar.' Stat. Theb. II. 'ferentem fortunam' appellavit pro secunda fortuna. Aliqui legunt 'faventibus.'

[i] *Optentur*] Ab Ægyptiis ope nostra egentibus.

[j] *Si libera fuisset*] Neque enim ex Italia in Ægyptum deportata essent frumenta, nisi Romanæ ditionis fuisset.

sterilitatis insolitæ; nec minus erubescebat fame, quam torquebatur: cum pariter a te necessitatibus ejus pudorique subventum est.[k] Stupebant agricolæ plena horrea, quæ non ipsi refersissent, quibusque de campis illa subvecta messis? quave in Ægypti parte alius amnis? Ita beneficio tuo, nec maligna tellus; et obsequens Nilus Ægypto quidem sæpe, sed gloriæ nostræ nunquam largior fluxit.[e]

CAP. XXXII. 1. Quam nunc juvat, provincias omnes in fidem nostram ditionemque venisse, postquam contigit princeps, qui terrarum [l] fœcunditatem, nunc huc, nunc illuc,

[e] *Ita per te factum est, ut nec sterilis Ægyptus esset, et Nilus Ægyptiorum votis respondens sæpe abundantior fuerit ad Ægypti ubertatem, nunquam ad gloriam nostram.*

conj. *frugum proventu beatissima gente.* Mox, multi codd. et edd. *qua torquebatur;* codd. Paris. Venet. Schwarzian. Beroald. Ald. Catan. Nav. Lips. Grut. Parisienses, Berneg. Patarol. et Ceva, *quam torquebatur.* 'Paulo post, partic. *que* in *quibusque* exulat a Mss. omnibus et edd. multis. Mox Puteolanus, Cuspinianus, Philomusus, Gruterus, et Arntzenius *alius annus;* id quod etiam in codd. Veneto et Schwarz. item in libro Vossii reperitur: male.' *Gierig. alius annus* codd. Venet. Schwarzian. edd. Puteol. Cuspin. Philomus. Grut. Lips. et Arntzen. 'Gesnerus punctum posuit post *Nilus,* et *obsequens* tantum refert ad allatum classe frumentum, quod ille ad interiora Ægypti adverso amne pertulerit. Verum sic ultima verba abrupte nimis addita. Arntzenius, qui e cod. Guelph. et Exc. Voss. recepit *nec benigna* (quod idem et unus Vatic. et Salisb. præferunt) locum sic accipit: quamvis nec benigna fuerit tellus, nec obsequens Nilus, tamen nunquam gloriosior nobis fluxit. Ex hac ratione nescis, quid verbis interjectis, *Ægypto quidem sæve,* facias. Schwarz. denique conj. *et obseq. Nilus: qui Æg.* quanquam ipse non multum tribuebat huic conjecturæ. De varietate illa, *nec benigna,* puto lect. vulg. olim superscriptum esse a quopiam *et benigna,* propter sequens *et.* Hinc, cum copula *et* evanuisset, alius fecit *nec benigna.*' Gierig. Denique Cuspin. pro *fluxit* habet *fluit,* cod. Paris. *defluxit;* Schwarz. conj. *fuit.* Vide Nott. Varr.

CAP. XXXII. 1 *Quoniam nunc* Vat. 4. Paris. Guelph. et Exc. Voss. *Quo nunc* cod. Patav. *postquam contigit, ut princeps orbis terrarum, qui fecunditatem* cod. Patav. *postquam contigit, ut princeps, qui terrarum fecunditatem* Exc. Voss. 'Olim in editis libris hæc verba sic interpuncta vulgo legebantur: *postquam contigit princeps terrarum, qui fecunditatem, &c.* Cellarius saltem signum *incisi* translocandum existimavit. Sed jam Cuspinianus, et Gryphius, et Jacobus de la Baune, ipsas duas voculas translocatas edidere: *postquam contigit princeps, qui terrarum fecunditatem, &c.* Quæ translocatio codicis Ms. Parisiensis, et nostri, itemque Vossiani et alterius Gudiani libri,

NOTÆ

[k] *Subventum est*] Ut patet ex nummo qui hodieque extat: IMP. CÆS. NERVA TRAJANVS AVG. In parte altera: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI NILVS. Ubi picta effigies Nili recubantis, cum crocodilo suo et hippopotamo. Lips.

[l] *Qui terrarum*] Emendavi cum Li-

ut tempus et necessitas posceret, transferret, referretque; qui diremtam mari gentem,[a] ut partem aliquam populi plebisque Romanæ, aleret ac tueretur! 2. Et cœlo quidem nunquam benignitas tanta, ut omnes simul terras *ubertet*,[b] [m] foveatque. Hic omnibus pariter, si non sterilitatem, at mala sterilitatis exturbat. Hic, si non fœcunditatem, at bona fœcunditatis importat. Hic æternis commeatibus orientem occidentemque [n] connectit, ut, quæ ubique feruntur, quæque expetuntur, omnes gentes invicem capiant;

[a] *Separatam ab Italia mari Mediterraneo Ægyptum.*
[b] *Ut omnes eodem anno regiones fœcundet.*

auctoritate comprobatur.' *Schwarz.* Paris. Vat. 4. Venet. Schwarzian. et Patav. *qui direptam.* Paulo post, duæ voces, *ac tueretur*, absunt a cod. Patav. —2 *E cœlo* Guelph. Mox, *uberet* codd. Patav. Vat. 1. Schwarzian. Venet. et omnes fere edd. *ubertet* Vatt. 2. 3. 4. Guelph. Gud. et Gesn. Vide Nott. Varr. 'Lipsius, pro *æternis*, malit *alternis*. Et certe hanc vocem *alternis* requirere videntur sequentia verba, *omnes gentes invicem capiant*. Sed adhuc destituimur indicio veterum codicum. Ceterum, V. C. Heumannus nos docuit, hunc locum illustratum esse a Jac. Hasæo, in disputatione jam supra commemorata de navibus Alexandrinis Apostolum in Italiam deferentibus, II. 5. quam vero disputationem videre nobis nondum contigit. At nescio, quo concentu codices Mss. nempe Parisiensis, Gudianus, Elsb. apud Vossium, itemque noster, hæc verba corrupta proferant: *ut, quæ ferunt, quæque expetunt opes gentes, discant invicem capiant quanto.* Atque hanc scripturam etiam Beroaldus in ed. an. 1501. exhibuit; ac Gryphius, Stephanus, et Livineius, in margine annotarunt. Nemo non intelligit, non *opes*, sed *omnes*, scribi debere; nisi forte in antecedentibus reponas, *quas serunt, quasque expetunt.* Sed et id facile liquet, postremorum verborum ordinem esse perturbatum. Equidem constaret utique sententia his verbis, si ita scribantur, atque ordinentur: *ut, quæ serunt, quæque expetunt, omnes gentes, invicem capiant, et discant, quanto, &c.* verum nolumus adhuc deserere lectionem in omnibus ceteris libris vulgatam. Imo, nec pro verbo *feruntur* amplectimur *seruntur*: quamvis hoc placuerit Lipsio, et ex hujus conjectura jam in contextum orationis admiserint Boxhornius et Cellarius.' *Schwarz.* 'Illud *æternis* h. l. agnoscunt omnes Mss. omnes etiam edd. præter Gesnerianam, quæ habet, e conjectura Lipsii, *alternis*, i. e. mutuis: non male. Prætuli tamen alterum, non solum Mss. consensu commotus, verum etiam propterea, quia h. v. τῷ *nunquam*, quod paulo ante præcedit, oppositum esse videtur.' *Gierig.* Mox cod. Patav. *quæ ferunt, quæque expetunt; opes gentes discant; invicem capiant;*

NOTÆ

vineio juxta editionem Lugdunensem; in aliis enim est, *princeps terrarum qui.*

[m] *Ubertet* [*uberet*]. Vox rara quidem, sed a Palladio lib. IV. usurpata: 'Hoc,' inquit, 'coitu steriles arbores uberabantur.' Et a Colum. l. v. c. 9. 'Neque enim olea continuo biennio uberat,' id est, fœcunda est et fertilis.

[n] *Orientem occidentemque*] Id est, terras disjunctissimas, neque enim

et discant, quanto libertate discordi servientibus sit utilius unum esse, cui serviant.[c] 3. Quippe, discretis[o] quidem bonis omnium, sua cujusque ad singulos mala; sociatis[p] autem atque permixtis, singulorum mala ad neminem, ad omnes omnia bona pertinent. Sed, sive terris divinitas[q] quædam, sive aliquis amnibus genius;[r] et solum illud, et flumen ipsum,[d] precor, ut, hac principis benignitate contentum, molli gremio[s] semina recondat,[e] multiplicataque restituat. 4. Non quidem reposcimus fœnus; putet tamen

[c] *Quanto satius sit iis, qui in republica libera, sed discordi servi sunt, unum esse principem cui subjecti sint, quam, &c.*
[d] *Terram illam Ægypti, et Nilum ipsum.*
[e] *In gremio suo semina molliter cœno operiat.*

alii codd. ap. Schwarz. *etiam, quæ ferunt, quæque expetunt;* Catan. Puteol. et Beroald. non habent *τὸ ubique.* Pro *omnes* plurimi codd. habent *opes*, ut in Patav. Vide Nott. Varr. '*libertati* dedit Gesn. e conjectura, quam vero postea confirmavit cod. Patav. quamque ego verissimam esse puto.' *Gierig.* —3 'Nescio, quid portenti subsit, aut an aliqua indicetur lacuna, cum non solum Is. Vossius e codice Elsb. pro voce *mala* annotarit *decem*, sed eadem varia lect. etiam in codice Paris. animadvertatur.' *Schwarz.* 'Porro *omnium bona* conjecerat Livineius, probante Rittershusio, et placet, tamen in consensu Mss. sequi non sum ausus Hearnium et Gesnerum, qui ita edidit, cum prisca lectio nil habeat quod tantopere offendat.' *Arntz.* Ascens. Ceva, H. Steph. in marg. *omnibus*, pro *amnibus;* Guelph. *amnis.* Cod. Patav. habet, *sive aliquibus amnibus.* Idem codex, cum edd. vulgg. *multiplicata restituat;* duo Vatt. et Guelph. *multiplicataque restituat.*—4 *Non equidem* vulgg. *Non quidem* Vatt. 1. 2. 3. 4. Venet. Salisb. Guelph. Schwarzian. et Exc. Voss. Mox, *fœnus* deest in Guelph. Deinde Puteol. 1476. Venet. 1498. et Beroald.

NOTÆ

crediderim verba hæc adeo stricte accipienda.

[o] *Discretis*] Ut fit in discordi republica.

[p] *Sociatis*] Sub bono principe. Laus aristocratiæ.

[q] *Sive terris divinitas*] Omnino; nam Terra sub Opis, Rheæ, et Vestæ nomine tanquam Dea colebatur: immo et Gallia, Ægyptus, Italia, regionesque ceteræ, ut ex nummis patet, pingebantur habebanturque ut Deæ.

[r] *Genius*] Custodes urbibus, domibus, aliisque locis *genios* attribuit antiquitas; hominibus etiam, sive ut generationi præessent, seu quod una gignerentur cum iis, seu demum quod genitos ita tuerentur regerentque; ut eos haberent sibi in re omni cæca quadam necessitate obsequentes. Eam in rem videri possunt Ammianus lib. XXIII. Apuleius de Genio Socratis, Censorinus, &c.

[s] *Gremio*] Duplex Nili gremium esse potest: 1. alveus solitus, in quo intra ripas suas continetur; 2. spatium illud totum, quod, cum exundavit, aquis suis involvit. Quo sensu accipi debet hoc loco.

esse solvendum, fallacemque unius anni fidem, omnibus annis, omnibusque postea sæculis, tanto magis, quia non exigimus, excuset.

CAP. XXXIII. 1. Satisfactum, qua civium, qua sociorum utilitatibus. Visum est spectaculum [a] inde, non enerve,[b] nec fluxum, nec quod animos virorum molliret et frangeret; sed quod ad pulchra vulnera,[c] contemtumque mortis, accenderet: cum in servorum etiam noxiorumque [d] corporibus amor laudis, et cupido victoriæ cerneretur. 2. Quam deinde in edendo liberalitatem,[e] quam justitiam, exhibuit omni affectione [f] aut intactus, aut major! Impetratum est

Omnis affectionis immunis, aut victor.

putent tamen; Boxhorn. Bern. et Hack. *putat tamen;* H. Steph. in margine, *putes.* Denique, Ald. Philomus. Cratander, et Gryph. *fallacem, quæ unius anni, fidem.*

CAP. XXXIII. 1 '*Nec* ante *quod* omittunt Vaticc. et Guelph. Sed Paris. pro illa copula repetit *enerve,* quæ varietas etiam in libro Vossii notata. Schwarz. mallet transpositis verbis legere, *non fluxum, nec enerve,* ut verba *quod animos, &c.* sint interpretatio τοῦ *enerve.* Sed si *fluxum* idem notat, non opus est illa transpositione. Ego verba *quod animos . . . frangeret* pro glossemate haberem, nisi scirem, Plinium interdum satis liberalem et benignum esse in verbis cumulandis.' *Gierig.* Paulo post editio Arntzenii, *victoriæ cernetur.*—2 *Quam deinde medendo* cod. Venet. Mox, codd. Vatt. 1. 2. 3.

NOTÆ

[a] *Spectaculum*] In auspicio regni, in publicorum operum dedicatione, post relatam victoriam, atque inprimis, ut notat Julius Capitolinus in Maximo et Balbino, antequam ad bellum iretur, venationes et spectacula dabantur militibus, ut sic assuescerent cæde et sanguine. Ea autem re plurimum delectatum esse Trajanum refert Dio.

[b] *Enerve*] Non histrionum aut cantorum, ut sub Nerone; sed gladiatorum.

[c] *Pulchra vulnera*] Ovid. Met. XIII. 263. 'Sunt et mihi vulnera, cives, Ipso pulchra loco.'

[d] *Servorum etiam noxiorumque*] Duo fuerunt gladiatorum genera: alii coacti, ut servi et noxii, id est, ob facinus aliquod ad mortem damnati; alii voluntarii, qui pretio se addicebant, atque hi quidem dicebantur 'auctorati.' Lips. Saturn. II. 3.

[e] *Liberalitatem*] Usque eo liberalis ea in re Trajanus fuit, ut dierum 123. spectacula populo dederit in quibus interdum gladiatores ad decem millia, et infinita prope missilium copia. Dio. Sed hæc septimo tantum ejus imperii anno contigere, hoc est, quarto post habitam hanc orationem. Ergo intelligendus hic locus de spectaculis, post ejus in Urbem reditum, populo datis.

[f] *Affectione*] Ita ut non ex inclinatione voluntatis, ut fit in hujusmodi spectaculis, huic potius quam alteri faveret, sed quod mirificæ integrita-

quod postulabatur;[g] oblatum[h] quod non postulabatur. Instituit ultro, et, ut concupisceremus, admonuit; ac sic quoque[i] plura inopinata, plura subita. Jam, quam libera[j] spectantium studia, quam securus favor! 3. Nemini impietas, ut solebat, objecta, quod odisset gladiatorem: nemo, *e spectatore* spectaculum factus, miseras voluptates unco et

4. *at sic plura quoque.* Pro *spectantium* Guelph. exhibet *speculantium.* Cod. Patav. *quam securus fervor.*—3 Vulgata lectio est, *nemo spectator spectaculum factus;* et sic plane legitur in cod. Patav. 'In nostro codice Ms. quod mirum videatur, hæc verba sic scripta produntur: *Nemo exspectator exspectaculum factus, &c.* Eadem lectio reperitur in codice Ms. Parisiensi. In altero libro Gudiano hæc varietas extat: *Nemo et spectator et spectaculum factus, &c.* Latet in hac depravata scriptura utique verior lectio. Legi enim debet, *Nemo e spectatore spectaculum factus.* Occasionem corruptelæ facile dare potuerunt literæ male cohærentes, nec satis distincte scriptæ, v. g. *espectatore spectaculum.* Qui quasi continuo nexu scribendi modus potissimum observatur in charactere Gothico-Italico, prout a Mabillonio appellatur. In hujusmodi scripturam cum inciderit librarius ineptus, legisse videtur, *espectator espectaculum;* haud secus, ac librarius codicis Ms. Parisiensis, cap. XLII. ex eadem causa inquinate scripsit, 'Omnis delator edomestico, liberati sumus;' cum scribere debuisset, 'omnes delatore domestico liberati sumus.' Cum vero verbum frequentius obvium, *exspecto,* in animo habuit, forte putavit, hinc melius esse rescribendum *exspectator,* ac, forte propter alliterationem, etiam *exspectaculum.* Alius librarius, qui non tam obesis naribus uti sibi visus est, animadvertit quidem, utrumque vocabulum, *exspectator* et *exspectaculum,* nullius usus esse: cum vero illud *e,* vel *ex,* non plane frustra præpositum opinaretur, hinc effinxit *et spectator, et spectaculum,* prout in Gudiano libro annotatum est. Equidem haud magni momenti, veritati tamen congruens, hæc est emendatio, quæ etiam dudum suboluerat Livineio.' *Schwarz.* 'Obsecutus sum libenter monitis Schwarzii, cum pro *exspectator exspectaculum,* quod habent Mss. ubi editum fuit *spectator spectaculum* legi suadet *e spectatore spectaculum.* Et altero loco pro *spectent* vulgato, *exspectent.*' Gesn. 'Ingeniosa sane, et fortasse vera est VV. DD. conjectura, conjectura tamen, quæ a solo ingenio dependet, cum ex vocibus *exspectator exspectaculum* majori facilitate confici poterit *et sp. et spect.* uti clare legitur in Guelph. Nemini tamen suam sententiam

NOTÆ

tis est in principe, victorem juxta arenæ leges præmio donaret.

[g] *Quod postulabatur*] Postulari poterat a spectatoribus, ut hi potius, quam alii gladiatores producerentur: jugularetur ille, hic dimitteretur. Plinius laudat hoc loco Trajanum quod in iis rebus omnibus vulgi studiis mirum in modum obsequeretur. Adiri potest Lipsius de Postulatitiis Gladiatoribus II. 16. et de populi petitionibus cap. 22. Quam in rem venustissime suo more Martialis I. 22. 'Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum, Promisit pariter Cæsar utraque manu.'

[h] *Oblatum*] Spectaculum, vel antequam peteremus.

[i] *Ac sic quoque*] Et licet nos admonuisset quæ spectacula pararet, plura tamen quam promiserat et quam sperabamus contingebant.

[j] *Libera*] Spectatorum unicuique liberum erat, cuicumque gladiatori

ignibus[k] expiavit. 4. Demens ille, verique honoris ignarus, qui crimina majestatis[l] in arena colligebat, ac se despici et contemni, nisi etiam gladiatores ejus veneraremur; sibi male dici, in illis suam divinitatem,[m] suum numen violari interpretabatur: cum se idem quod Deos, idem gladiatores quod se putabat.

CAP. XXXIV. 1. At tu, Cæsar, quam pulchrum spectaculum pro illo nobis execrabili reddidisti! Vidimus delatorum agmen inductum,[n] quasi grassatorum, quasi latro-

invideo.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—4 Pro *in arena* codd. Venet. Guelph. et Vatt. 2. 3. 4. *in hac re,* Vat. 1. *in hare,* Schwarzian. *in hara,* Paris. *in hare cogitabat;* et sic Exc. Voss. sed Elsb. et al. *hac re,* pro quibus annotatum est *ære* et *area.* 'Mox pro *cum* e codd. Vaticc. Venet. Salisb. Guelph. Schwarz. libro Vossii dedi *cumque.* Etiam cod. Pat. confirmat copulam, licet mendose habeat *eumque.* Post *Deos* subint. *putaret.*' Gierig.

CAP. XXXIV. 1 Vulgata lectio est, *delatorum judicium, quasi, &c.* et sic legitur in cod. Patav. 'Cuspinianus, ac deinde novem circiter alii editores, pro omisso vocabulo *judicium,* evulgarunt *agmen inductum.* Contra vero, illam primam lectionem tuetur codex noster Ms. item alter Gudii liber; nec multum abit liber Vossianus, qui e codice quodam Ms. prodidit *indicium,* quod levi errore positum est pro illo priore vocabulo. Sed idem nomen *judicium* etiam habent primi, et plurimi, et in his fere optimi editores, v. g. Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Rhenanus, Philomusus, Gryphius, Ascensius, H. Stephanus, Livineius, Boxhornius, Gesnerus, et alii. Codex Ms. Parisiensis, et in Vossiano libro, codex Elsb. proferunt solum participium *inductum.* Ubi vero nescias, utrum hoc participium in præsenti loco ex male picta voce *judicium* originem duxerit; ad quod deinceps, ne id solum sine sensu esset, quidam nomen, *agmen,* satis commode excogitatum adjunxerint; ut exinde hæc lectio sit nata, *Vidimus delatorum agmen inductum;* an vero

NOTÆ

vellet favere: neque necesse erat principis studia, ut olim, serviliter sequi.

[k] *Unco et ignibus*] Nam e gladiatoribus, qui aut cæsi aut læsi graviter fuerant, unco ad spoliarium trahebantur: iidemque accensis facibus instigabantur, si forte mortuos se fingerent. 'Risimus,' inquit Tertullianus, 'Mercurium mortuos canterio examinantem.' Uncus baculus erat oblongus, cujus in extrema parte ferrum erat incurvum ac retortum. Quid sit vero spoliarium infra cap. XXXVI. not. [b].

[l] *Crimina majestatis*] Domitianum usque eo cædis avidum fuisse ait hoc loco Plinius, ut etiam in amphitheatro, qui locus ludis addictus erat, crimina læsæ majestatis reperiret.

[m] *Suam divinitatem*] De Domitiano loquitur, qui, Martiali teste, 'Dici dominus, Deusque voluit,' et coli sub Alcidæ nomine.

[n] *Inductum*] In amphitheatrum productum. Ut Sueton. c. 8. refert a Tito factitatum, qui 'delatores mandatoresque in foro fustibus et flagellis cæsos, novissime traductos per arenam, partim subjici ac vænire imperavit, partim in asperrimas insularum avehi.'

num. Non solitudinem illi, non iter; sed templum,[o] sed forum [p] insederant. Nulla jam testamenta secura; [q] nullus

forte, cum a festinante librario nomen *agmen* prætermissum esset, nec solum participium *inductum* constituerit sententiam; hinc tandem ingenia librariorum, aut correctorum, effinxerint *τὸ judicium*. Certe ego propemodum suspensas habeo rationes, utri lectioni magis faveam, cum neutra videatur esse inepta. Si enim cogito, Plinium modo locutum esse de spectaculis, et his jam annumerare 'pœnas delatorum, qui velut piaculares victimæ supra sanguinem noxiorum ad lenta supplicia ducerentur;' gestio legere, *delatorum agmen inductum*, videlicet in amphitheatrum, ac per arenam traductum, ut spectatores istorum *supina ora, retortasque cervices, desuper intuerentur*. Sin animadverto, *delatores* hic adjungi *grassatoribus et latronibus;* neque vero deprehendo, horum agmina in amphitheatra produci consuevisse, contra vero his publica *judicia* fuisse constituta, in quibus vis publica et privata severe est vindicata; tunc malim legere, *Vidimus delatorum judicium, quasi grassatorum, quasi latronum*. Utcunque est, in ista ambiguitate nihilominus hanc ipsam Cellarii lectionem retinendam censeo, utpote plurium codicum editorumque judicio adhuc proditam.' *Schwarz.* '*Judicium* quoque Puteol. 1476. Venet. 1489. Demsterus ad Rosinum IX. 31. p. m. 703. et cod. Guelph. sed in margine *inductum*. Licet utraque scriptura an vera sit, suas patiatur difficultates, magnæ tamen me rationes in receptam impellunt. Equidem *judicium* hic vox esset impropria, cui locus nullus dari potest (quam enim vel formam judicii hic finges?) qui simul orationis ordini satisfaciet, non enim in causa delatorum judex sederat Trajanus: quid magis a mente Plinii alienum? At maxime rei aptum est et congruens *agmen inductum;* quod verbum est theatrale et ad spectacula publica refertur.' *Arntz.* *agmen inductum* dederunt, post Cuspin. Lipsius, Gruterus, Bernegg. Bannius, Patarol. et Arntzen. 'Schwarzius non audet definire, utra lectio verior sit. Et sane si auctoritatem librorum solam spectes, dubius hæreas, utram eligas. Contextus tamen satis, opinor, eam adjuvat, quam nos exprimendam curavimus. Plinius enim hic non loquitur, nisi de spectaculis in amphitheatro exhibitis. Ibi Domitianus execrabile interdum edebat spectaculum; Trajanus pulchrum pro eo reddidit, nempe *delatorum agmen inductum* in arenam amphitheatri. v. s. 3. Facile autem divinare licet unde *judicium* ortum sit. Omiserat librarius aliquis *agmen*. Cum alii *inductum* nude positum non caperent, inde fecerunt *judicium*. Atque hoc ita factum esse, apparet e codd. Paris. et Salisb. qui habent *delatorum inductum*, et in cod. Guelph. in contextu quidem legitur *judicium;* sed in margine ab eadem manu annotatum est *inductum*. Etiam liber Voss. utrumque exhibet.' *Gierig.* Paulo post, pro *non iter*, quod exhibent edd. Cuspin. Lipsius, Grut. Berneg. Parisienses, Cellar. Patarol. Livin. in margine, et recentt. *noviter* legitur in codd. manuscriptis et edd. antiquissimis; item in edd. Elzev. et Boxhorn. *Nulla jam testimonia* Elzevir. 1640. Liber Gudii et edd. nonnullæ, *nullius status*, quod recepit Gesnerus, nec damnat Schwarz. quia status quidem ipse salvus manserit, sed quorundam civium status a delatoribus in dubium

NOTÆ

[o] *Templum*] Ubi ærarium erat. Hic enim, quia jus dicebatur, delatores grassabantur.

[p] *Forum*] Fora in Urbe tria tunc erant judiciaria. 1. Romanum, quod dicebatur magnum, in quo rostra. 2. Forum Julii Cæsaris. 3. Forum Cæsaris Augusti. De foris ubi res vænales prostabant, quæ circiter 15. erant, quia hic non agitur, nihil dico.

[q] *Testamenta secura*] 'Confiscabantur' enim 'alienissimæ hæreditates; vel existente uno qui diceret audisse se ex defuncto, cum viveret, hæredem

status certus;[r] non orbitas,[s] non liberi proderant. 2. Auxerat hoc malum principum avaritia. Advertisti oculos, atque, ut ante castris, ita postea pacem foro, reddidisti. Excidisti intestinum malum, et provida severitate cavisti, ne, fundata legibus civitas, eversa legibus,[t] videretur. 3. Licet ergo, cum fortuna, tum liberalitas tua, visenda nobis præbuerit, ut præbuit, nunc ingentia robora virorum, et pares animos; nunc immanitatem ferarum; nunc mansuetudinem incognitam;[a] nunc secretas illas, et arcanas, ac sub te primum communes,[u] opes: nihil tamen gratius, nihil sæculo dignius, quam quod contigit, desuper[v] intueri delatorum supina ora, retortasque cervices. 4. Agnoscebamus et fruebamur, cum velut piaculares publicæ solicitudinis

[a] *Modo gladiatores corpore robustissimo, nec animo impari: modo feroces belluas, modo ad stuporem mansuetas.*

vocatus sit aut negatus.—2 Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Patav. Paris. Venet. Guelph. Schwarzian. Exc. Voss. *partim avaritia;* Salisb. *partum avaritia.* 'Nemo de hujus loci integritate dubitavit, cum unanimi conspiratione ita exhibeant editiones. Vossii tamen codex et Guelpherb. *partim*, unde V. D. faciebat *partium.* Mihi ipsa illa codicum scriptura non displicet.' *Arntz.* Mox, *Adduxisti oculos* Exc. Voss. et cod. Patav. Paulo post, Schwarzian. *et provida securitate cavisti.*—3 Puteol. 1476. Venet. 1498. et Beroald. *rubore virorum.* Mox, cod. Patav. *nunc immania ferarum.* Paulo post, Gud. 2. Beroald. et Navius, *quam quod contingit.*—4 Codd. Venet. Guelph. et Salisb. *ac velut peculiares;* Salisb. in marg. *piaculares;* Exc. Voss. et Patav. *ac v. piacula.*

NOTÆ

sibi Cæsarem esse,' Sueton. in Domitiano c. 12.

[r] *Nullus status certus*] Et hic calumniæ, cum lucro; nam liberi in servitutem, ingenui in libertinitatem trahebantur, bono fisci. *Lips.*

[s] *Non orbitas*] Domitianus adeo miscebat omnia, ut patres confunderet cum orbis, qui semissem tantum hæreditatis accipiebant, et orbos cum cœlibibus, qui hæredes esse non poterant.

[t] *Legibus*] Quarum vel interpretatione delatores, vel auctoritate avari principis ad locupletum domos aut hæreditates expilandas nefarie abutebantur. Tacit. Annal. III. 25.

[u] *Primum communes*] Unde salse Martialis XII. 15. 'Quicquid Parrhasia nitebat aula, Donatum est oculis, Deisque nostris . . . Omnes cum Jove nunc sumus beati: At nuper (pudet ac piget fateri) Omnes cum Jove pauperes eramus.'

[v] *Desuper*] Ex amphitheatro, dum ii per arenam in paratas naves traherentur.

victimæ [w] supra sanguinem [x] noxiorum ad lenta supplicia, gravioresque pœnas, ducerentur. 5. Congesti sunt in navigia raptim conquisita, ut tempestatibus dediti [b] abirent, fugerentque [y] vastatas delationibus terras; ac, si quem fluctus ac procellæ scopulis reservassent, hic nuda saxa et inhospitale littus incoleret; ageret duram et anxiam vitam, relictaque post tergum totius generis humani securitate, mœreret.[c]

CAP. XXXV. 1. Memoranda facies: [d] delatorum classis permissa omnibus ventis,[a] coactaque, vela tempestatibus pandere, iratosque fluctus sequi, quoscumque in scopulos detulissent. Juvabat prospectare statim a portu [b] sparsa navigia, et apud illud ipsum mare agere principi gratias,

[b] *Sumta sine ullo delectu, ac maritimis fluctibus traditi sunt.*
[c] *Relictisque post abitum suum ceteris in tuto, soli ipsi ægram vitam agerent.*
[d] *Memorabile spectaculum.*

Paulo post, pro *noxiorum* Catanæus legi jubet *innoxiorum;* et hanc varietatem in marg. habent Philomus. H. Steph. et Rivin. *super sanguinem noxiorum* cod. Patav.—5 ‘ Pro voce *conquisita,* cl. Gesnerus ingeniose conjecit rescribi posse *consuta,* ut sint rates temere contextæ, quæ facile solverentur. Ceterum, pro voce *vastatas,* cod. Vat. 4. et Guelph. habent *vastas.*’ Schwarz. Cod. Patav. *ac tempestatibus dediti.* Vide Nott. Varr. Idem cod. Patav. paulo post, *hic nulla saxa inhospitale litus.* Denique, pro *securitate,* cod. Venet. exhibet *societate.*

CAP. XXXV. 1 Navius et Lips. *et apud illum, mare;* codd. Paris. Patav. Venet. Exc. Voss. edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Catan. Ald. Junt. Cuspin. Rhenan. Steph. Ascens. et Sich. *et apud illum ipsum mare;* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Guelph. Schwarzian. Gud. 1. 2. edd. Beroald. Putean. Cellar. Patarol. Cev. Gesn. Arntz. al. *et apud illud ipsum mare.* ‘ *Mare*] Hoc superesse arbitror, et ex glossa vocabuli *ipsum* in contextum irrepsisse, aut ex proximi vocabuli similitudine perperam repetitum, ut sit delendum censeo, et *ipsum*

NOTÆ

[w] *Piaculares p. s. victimæ*] Dicuntur eæ quæ ad aliena scelera pianda immolabantur. Hic autem Plinius piaculares publicæ solicitudinis victimas appellat delatores, quorum nece qui sibi ab iis timere antea potuerant, hac cura levabantur.

[x] *Supra sanguinem*] Super cadavera aut vestigia gladiatorum, inquit Lipsius. Crediderim ego eorum quos falsis delationibus suis noxios fecissent.

[y] *Abirent, fugerentque*] Hæc sunt imprecantis verba, ut mox c. XXXV. ‘ Ereptum alienas pecunias eunt? perdant quas habent: expellere penatibus gestiunt? suis exturbentur.’

[a] *Classis permissa o. ventis*] In asperrimas insulas deportabantur gravium scelerum rei; aut etiam ludibrium ventis dabantur.

[b] *A portu*] Ostiensi, inquit Catanæus.

qui, clementia sua salva, ultionem hominum terrarumque Diis maris commendasset.[e] 2. Quantum diversitas temporum posset, tum maxime cognitum est, cum iisdem, quibus antea cautibus innocentissimus quisque, nunc nocentissimus affigeretur; cumque insulas omnes, quas modo senatorum, jam delatorum turba compleret: quos quidem non in præsens tantum, sed in æternum, repressisti, in illa pœnarum indagine[c] inclusos.[f] 3. Ereptum

[e] *Ut nihil faceret contra clementiam sibi innatam, hominum terrarumque Diis vindictam commisisset.*

[f] *Innumerorum suppliciorum quasi laqueis cinctos.*

de portu scilicet interpretor.' *Faber.* 'Scilicet Fabro ea nata conjectura, quod in omnibus antiquis editionibus habeatur *illum* et hoc in Exc. Voss. reperitur. Sed *illud ipsum mare* rectum est.' *Arntz.* Cod. Venet. *elementa* pro *clementia.* Patav. *ultionem omnium terrarumque.*—2 Guelph. *civibus* pro *cautibus.* '*Tunc n. affigeretur*] In Vossii et altero Gudii libro, pro particula *tunc*, rescribitur *nunc;* nec male: quia hanc requirere videtur sequens hujus periodi membrum, ubi Plinius itidem ait, *jam delatorum turba compleret.* Et Scioppius, de Arte Critica, testatur, non raro fieri, ut in antiquis codicibus istæ particulæ, *nunc* et *tunc*, *nam* et *non*, a librariis permisceantur. Verbum *affigeretur*, in codice Ms. Parisiensi, et nostro, et in omnibus, quæ vidimus, impressis exemplaribus, exprimitur; in solo altero Gudii libro e cod. Ms. pro eo annotatur *affligeretur.* Sic vero videndum censuit Rittershusius, rectiusne sit, et a Plinio scriptum *affligeretur?* Atque idem etiam Grutero aliquando in mentem venerat; qui tamen mox ipse agnovit, verbum ubique jam receptum *affigeretur*, non loco esse movendum. Id quod etiam recte tuetur Jo. Frid. Gronovius, in libro novo Observationum, p. 112. ubi docet, tria hæc verba, 'affligi,' 'affigi,' et 'affici,' confusa in veteribus libris ambiguas non nunquam reddere lectiones: cum primum, 'terræ illidi;' alterum, 'cohærere,' 'arteque conjungi;' tertium, 'commoveri,' 'turbari,' πάσχειν, significet. Itaque in hoc Plinii loco, *affigeretur* retinendum demonstrat, quod naufragio ejectæ in littus ratis (hi autem scopuli insulæ, in quibus claudebantur relegati,) pars adhærescere soleat litori.' *Schwarz.* Particula *nunc* extat in codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venet. Guelph. et Exc. Voss. *tunc* in ceteris omnibus ap. Schwarz. *affigeretur* codd. Paris. Venet. Schwarz. et al. *affligeretur* Vatt. 1. 2. 3. 4. et Guelph. Mox, vulgg. *mille pœnarum;* et sic Patav. 'Pro *mille*, legendum esse *in illa*, jam a vetere codice Ms. in altero Gudii libro annotatum est; quæ lectio etiam indicio libri Vossiani, quamvis quodammodo obscurius, confirmatur; cum ejus margini ascriptum sit *in illo indigene.* Eo facilius autem fieri potuit, ut *mille* scriberetur pro *in illa;* quo frequentius in antiquis codicibus *m*, aut *ni*, pro *in*, scriptum invenitur.' *Schwarz.* Hanc lect. recepit Arntzenius. 'Ego amplexus sum *mille pœnarum*, quod codd. omnes et edd. antiqq. præferunt.' *Gierig.*—3 Catan. Ald. R. Steph.

NOTÆ

[c] *Indagine*] Creber est in metaphoris Plinius. Hæc ducta est a venatoribus, qui circumpositis retibus feras includunt, et, ut ait Virgil. Æn. IV. 121. 'saltus indagine cingunt.'

alienas pecunias eunt? perdant quas habent. Expellere penatibus gestiunt? suis exturbentur:[d] neque, ut antea, exsanguem[e] illam et ferream frontem nequicquam[f] convulnerandam præbeant punctis,[g] et notas suas rideant; sed expectent[h] paria præmio[i] damna; nec majores spes, quam metus, habeant, timeantque quantum timebantur. 4. Ingenti quidem animo divus Titus securitati nostræ ultionique prospexerat, ideoque numinibus[j] æquatus est; sed quanto tu quandoque dignior cœlo, qui tot res illis adje-

Cratander et Sichard. *perdent, quos habent.* Pro *neque, ut antea,* codd. Vatt. 2. 4. Guelph. et Exc. Voss. habent *neque utantur eis.* Mox, *frontem nequaquam c. p. provectis, et notas, quas rideant* Patav. ' *Et notas suas rideant*] Vossius in Ms. quodam reperit *notas, quas;* hinc suadet *notis, quas. Spectent* habent omnes Mss. omnes etiam edd. ante Schwarz. Verum ille ex ingenio dedit *exspectent,* quia putabat, h. v, majorem h. l. vim conciliare; eique obsecutus est Gesner. Mihi contra *spectent,* i. e. ante oculos suos posita veluti videant, gravius esse videtur. De metu futurorum malorum agunt sequentia. Mss. Vaticc. et Guelph. *præmia et damna.* Patav. et Exc. Voss. *pro præmio damna.*' Gierig. Vide Nott. Varr. Mox, *timeant,* omisso τῷ *que,* Vat. 4. et Guelph.—4 Voc. *divus* prætermissum est in Boxhorn. Cellar. et aliis quibusdam edd. ' *Qui tot res illis*] Pro *illis* Vaticc. duo, Patav. Paris.

NOTÆ

[d] *Suis exturbentur*] Talionis pœna; prout sancitum ante ab Augusto fuerat, et ab Trajano instauratum refert Martialis de Spectaculis ep. IV. 'Et delator habet quod dabat exilium.'

[e] *Exsanguem*] Sine sanguine, id est, non erubescentem, inverecundam frontem.

[f] *Nequicquam*] Neque enim ab calumniando homines improbissimi absterrebantur his pœnis; quas potius ridebant, cum plus ab avaritia principum sperarent quam metuerent.

[g] *Punctis*] Id est, characteribus; uti lege Rhemmia cautum erat, nempe litera K, quæ Kalumniam, sic enim antiquitus scribebatur, designaret. Quo fit ut Tullius 'integræ frontis hominem' appellet eum qui calumniator non sit, pro Roscio Amer.

[h] *Expectent* [*spectent*] Credo pro *expectent* ex Plinii consuetudine.

[i] *Paria præmio*] Delatoribus quarta bonorum pars ejus, quem accusarant, obtingebat: eadem vero mulcta delatores ipsi puniebantur ex lege Rhemmia, si, quod objecerant aliis, probare non possent. Andreas vero Schottus legit, *sed spectent paria in prælia damna;* ut prælium vocet Plinius accusationes illas calumniatorias: quomodo Tullius ad Att. I. 16. vehementer se præliatum dicit, quamdiu senatus auctoritas defendenda fuit.

[j] *Ideoque numinibus*] Certe quidem Plinius supra c. XI. Titum dixit inter Deos idcirco relatum a Domitiano, ut ipse Dei frater haberetur. Quid ergo? an pugnat secum? minime vero; sed Domitianus id fecit, ut ea in re ambitioni suæ serviret:

cisti, propter quas illum Deum fecimus! Id hoc magis arduum fuit, quod Imperator Nerva, te filio, te successore, dignissimus, perquam magna quædam edicto Titi[k] astruxerat, nihilque reliquisse, nisi tibi, videbatur, qui tam multa excogitasti, ut si ante te nihil esset inventum. 5. Quæ singula quantum tibi gratiæ dispensata adjecissent![g] At tu simul omnia profudisti, ut sol et dies, non parte aliqua, sed statim totus; nec uni, aut alteri, sed omnibus in commune, profertur.

[g] *Quæ singula sigillatim dicta, quantum gratiæ tibi conciliassent!*

Venet. et Schwarz. porro edd. multæ, *illi*. Hoc inprimis placet Arntzen. qui monet, personam positam esse pro re, *illi* pro *illius rebus*, et relativum *quas* magis respicere ad sensum, quam ad vocem. Utraque sane forma loquendi multis auctoritatibus defendi potest; nihilo tamen minus durissimum foret et intolerabile, utramque sic conjunctim adhibere, ut hic vult Arntzen. Schwarzio venit in mentem, annon verba, *propter quas illum Deum fecimus* ejicienda sint, tanquam ex interlineari interpretatione illata; molestam enim esse repetitionem pronominis *illis*, *illum* in brevi verborum ambitu; iisque verbis sublatis plenam sibi constare sententiam: tunc *illi* recte retineri. Equidem non assentior. Quodsi quem h. l. nihilo minus illa repetitio offendat, *illum* poterit auctoritate unius Vatic. Paris. Venet. Patav. Schwarz. et libri Vossii in *alium* mutare; quam varietatem non adeo contemtim, ut Schwarz. fecit, abjiciendam puto.' *Gierig*. Mox, pro *perquam*, olim vulgo legebatur *per quam*. '*Postquam* et *nihil* habent Ascens. P. Stephan. et Gesnerus, idemque in notis approbat Schwarz. qui tamen in contextu e cod. Venet. et edd. nonnullis prætulit *perquam* et *nihilque*. Ceteri, *per quem magna*. *Nisi tibi* dedi cum Mss. Vaticc. Paris. Venet. Guelph. Schwarz. libro Vossii et cod. vetere, quo Livineius usus est, porro cum Grutero, Arntz. Schwarz. et aliis.' *Gierig*. Patav. *nihilque nisi tibi reliquisse videbatur*. Idem codex, *qui multa*. Pro *ut si* Rhenan. in margine habet *ac si;* et sic quoque edd. Ultraj. 1652. Salmur. et Gedan. Mox in sequentibus verbis *ante te*, pronomen *te* prætermissum est in Guelph.—5 *At* deest in edd. H. Steph. Boxhorn. et Cellar. *omnia perfudisti* Patav. aliique codd. et edd. plurimæ; *omnia profudisti* cod. Venet. edd. Beroald. Catan. Lips. Plant. Grut. Francof. Putean. Paris. Hack. Berneg. Patarol. et recentt. Mox, *ut sol*, *ut dies* unus Vat. Guelph. et Exc. Voss.

NOTÆ

senatus vero id ratum habuit, ut pro præstita sibi a Tito securitate gratus videretur.

[k] *Edicto Titi*] Quomodo Titus delatores punierit, extat apud Sueton. c. 8. Quod vero edictum tulerit, nusquam, opinor, reperitur. Hinc tamen patet edictum a Tito sancitum primo, a Trajano subinde tam sapienter perfectum, ut prope illius auctor haberi posset.

Cap. xxxvi. 1. Quam juvat cernere ærarium[a] silens[1] et quietum, et quale ante delatores erat! Nunc templum illud, nunc vere Deus; non spoliarium[b] civium cruentarumque prædarum sævum receptaculum, ac toto in orbe terrarum adhuc locus unus,[c] in quo optimo principe,[b] boni malis impares essent. 2. Manet tamen honor legum, nihilque ex publica utilitate convulsum,[c] nec pœna[d] cuiquam

[a] *Sine litium strepitu.* [b] *Sub optimo Trajano.*
[c] *Suam tamen majestatem retinent leges fiscales, et nihil ex publica pecunia direptum est.*

Cap. xxxvi. 1 Conjecturam Gronovii in Obss. iv. p. 255. *nunc vere ædes*, receperunt Gesn. et Gierig. Omnes codd. ceteræque edd. habent *nunc vere Deus*. Vide Nott. Varr. *camerariumque prædarum et sævum* Patav. et Exc. Voss. '*Ac toto ... essent*] Hic locus mirum in modum exercuit interpretes. Schwarzius acriter defendit, *ac* ex antecedente particula negativa nunc suspensam vim negandi asciscere, atque adeo pro *neque* positum esse; eamque loquendi formam pluribus exemplis illustrat. Verum illa ipsa exempla ab eo prolata docent, id fieri non nisi tum, cum oratio minime ambigua esse potest; quod nunc secus est. Si certum haberetur, Plinium negare voluisse, reperiri locum unum, in quo, &c. melius, opinor, foret, pro *ac* lenissima mutatione *nec* rescribere; constat enim has duas voculas sæpissime a librariis esse confusas. Sed nec hæc ratio mihi satisfacit. Quis enim Latinus dicet, Nullus locus est, in quo b. m. impares *essent?* Leges linguæ potius postulant *sint*. Tum offendit me etiam illud *adhuc*, quod ex illa ratione vix satis commode explicari potest. Quid igitur? Equidem persuasum mihi habeo, Plinium pro *ac* scripsisse *qui*. Quo sumto, omnis evanescit difficultas. Sic enim exultat oratio: Nunc omnis injuria sublata est! Nunc ipsum ærarium vere ædes est, qui locus *adhuc*, ad hoc usque tempus, unus erat, in quo, licet optimo principe, Nerva, aut forte etiam Trajano, imperante, boni malis impares essent.' *Gierig*. *in quo boni, optimo principe, malis impares essent* cod.

NOTÆ

[a] *Ærarium*] Locus ubi reponebatur publica pecunia. Is erat Saturni templum, fortasse quod in ejus Dei tutela positum tutius videbatur, cujus in regno ac tempore furtum nullum factum fuisse crederetur.

[b] *Spoliarium*] Proprie locus, in quo ingressuri balnea vestes exuebant. Rei similitudine sic dictus est locus, ubi gladiatorum vestes et ornamenta servabantur, aut quo deferebantur ipsi, si cæsi forent; vel ut sanarentur, si vulnerati tantum; vel si vitæ spes nulla, ut ibidem interficerentur. Videri potest Lampridius in Commodo, Seneca Ep. 93. Hic autem *spoliarium* metaphorice sumitur.

[c] *Locus unus*] Saturni ædes, ubi, quæ principis bonitas est, qui ærarii partes tuentur, etiam damno principis, contra malos et fraudatores causam sæpe amittunt. Hic Plinius, ut interdum fit apud jurisconsultos, ærarium sumit pro fisco. Præterquam quod enim non esset in principe laudandum, si ærarium negligeret, haud dubie hujus loci explicatio est, quod mox addit, 'quæ principis gloria est, sæpius vincitur fiscus.'

[d] *Nec pœna*] Non sublatæ leges, quibus cautum erat, ut mali punirentur, sed aliæ additæ sunt, ut delato-

remissa, sed addita est ultio, solumque mutatum, quod jam non delatores, sed leges, timentur. 3. At fortasse non eadem severitate fiscum, qua ærarium, cohibes? Immo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico, credis. Dicitur actori,[e] atque etiam procuratori tuo, In jus veni;[f] sequere ad tribunal! 4. Nam tribunal quoque excogitatum *principatui* est, par ceteris,[g] nisi illud litigatoris magnitudine metiaris. Sors et urna[h] fisco judicem assig-

Patav. et Exc. Voss. Pro *impares*, Guelph. habet *in partes*.—4 Patav. *excogitatum cruciatum*; edd. Puteol. 1476. et Venet. 1498. *excogitatum cruciatui*; et sic plurimæ edd. *excogitatum cruciatu* in aliis. 'Vere dixit Cellarius, in hoc loco vocem, *cruciatu*, crucem figere criticis. In Parisiensi, et nostro codice Ms. exaratum est *cruciatum*, sine ullo sensu. Idem etiam annotatum est in altero Gudii libro. Vossii, itemque primus Gudii liber exhibet *cruciatui*, et in impressis, Rhenanus ac Philomusus. At Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Cuspinianus, Stephanus, ac reliqui recentiores, evulgarunt *cruciatu*, interpretatique sunt 'vexatione,' 'molestia,' 'severitate.' Livineius, ex literis transpositis, effingere conatus est *cur ni autem?* satis frigide. Hermannus Rayanus retulit, quosdam putasse, non male legendum esse *judicatu*. At credo, otiose sic legi. Lipsius, quo nemo melius de panegyrico Plinii meritus, primum existimarat, pro voce *cruciatui*, reponendum esse *cura tua*; quam correctionem cum postea ipse sprevisset, felicius restituit *principatui*. Hanc enim utique veram et genuinam lectionem esse, censemus, ita, ut miremur, ei non dudum locum postliminii jure datum esse, cum eam et sententiæ necessitas exigat, et suppeditet nexus verborum sequentium.' *Schwarz.* *principatui* receperunt Gesn. et Gierig. *litigatoris amplitudine* cod. Patav. Mox, pro *judicem assignat* cod. Paris. habet *vindicem*

NOTÆ

res, quibus ante ampla sceleris sui merces dabatur, mulctarentur.

[e] *Actori*] 'Actor' in familiis dicebatur, qui res, rationesque heri administrabat; in republica vero 'Actor principis,' qui rem principis curabat. Differt a 'procuratore' qui itidem principis rem procurabat. 1. Quod actor sine jurisdictione esset. 2. Quod esset sub procuratore; qui si amplis possessionibus exigendis et procurandis præerat, plures sub se habebat actores; sin minus, unum tantum; aut etiam interdum idem actor, et procurator erat.

[f] *In jus veni*] Sunt et aliæ formulæ in jus vocandi, ut, 'In jus eamus;' 'Ambula in jus;' 'In jus te voco;' 'Sequere me.' Hæ apud Plautum, Senecam, Martialem, &c.

[g] *Excogitatum principatui* [*cruciatu*] *est, par ceteris*] Sensus est, Excogitatum est tribunal par severitate ceteris. Quod si cum Lipsio legeris, *principatui*, sensus erit: Fisci tribunal excogitatum est pro principe, id est, ubi de principis rebus ageretur, et ubi perinde atque in ceteris tribunalibus jus redderetur: nisi quod aliis nobilius erat, cum propter caussas fiscales, de quibus ibi ageretur, tum propter judices, qui Cæsaris personam illic sustinerent. Nam quod Puteani editio habet, *cruciaturi*, mihi quidem probari non potest.

[h] *Sors et urna*] Nota rationem eli-

nat: licet rejicere, licet exclamare, Hunc nolo; timidus est, et bona sæculi parum intelligit: illum volo, quia Cæsarem fortiter amat. Eodem foro utuntur principatus, et libertas.[d] Quæ præcipua tua gloria est, sæpius vincitur fiscus,[i] cujus mala causa nunquam est, nisi sub bono principe. 5. Ingens hoc meritum; majus illud, quod eos procuratores habes,[j] ut plerumque cives tui non alios judices malint. Liberum est autem disceptanti dicere, Volo eum

[d] *Eisdem fori legibus se subdit princeps et liber populus.*

assignat; Guelph. *indicem assignat.* Paulo post, Venet. *Hunc volo.* Porro, nonnulli codd. et edd. *illum nolo;* tres Vatt. et Salisb. item edd. Cuspin. Sichard. Livin. Gryph. Lips. Grut. Putean. Bann. Berneg. Arntz. et Gesn. *illum volo.* Codd. Vat. 4. et Schwarzian. et edd. quædam, *qui Cæsarem.* Denique in iisdem codd. *sæpe vincitur.*—5 *Liberum est autem discriminis: nolo eum eligere* Patav. ' Locus vexatus. Mss. omnes et edd. nonnullæ antiquæ, *Liberum est autem discriminis*, i. e. liberum a periculo. Sed Catanæus, Aldus, Junta, Stephani, Livineius, Lipsius, Gruterus, Grævius, Gesnerus, Schwarz. pro *discriminis* habent *disceptanti dicere;* Arntzen. vero utrumque simul exhibuit *discriminis disceptanti dicere.* Verum *discriminis* facile oriri potuit ex *disceptanti,* commode certe abesse potest ab h. l. Sed plus negotii faciunt verba sequentia. Quæritur enim primum, utrum cum Mss. Vaticc. Paris. Venet. Salisb. Guelph. Schwarz. et edd. Cuspin. et Schwarz. legendum sit *Volo eum,* an cum reliquis libris *Nolo eum.* Deinde disputatur, quo sensu *disceptans* ille capiendus sit; 'disceptare' enim et de judice et de litigantibus dr. Vid. præter Schwarz. ad h. l. Clav. Cic. Schwarz. intel. prætorem fisci, ad quem dicere licuerit litiganti, *Volo eum,* hunc vel illum, causæ meæ moderatorem. Ego vero tueor *Nolo,* quod postulant seqq. quibus Orator laudat gratiam Trajani eam, qua ipsius beneficiis et *non uti* liceat.' *Gierig.*

NOTÆ

gendorum judicum. Prætor in urnam conjiciebat eorum nomina, quos ad judicia ejus anni elegisset, ac sorte eum educebat numerum, quem lex ipsa præscribebat. Plinius vero laudat hic Trajani humanitatem, qui, absimilis tyrannis, quibus mos erat in causis fiscalibus subornatos judices apponere, actoribus suis nihilo secius atque ceteris volebat sorte et urna judices assignari: facta insuper populo potestate hunc vel illum rejiciendi, si aut nimium timidus foret, nec illorum temporum libertate uti posset, aut nimium imperatori addictus videretur. Quare mox addit, 'Eodem foro utuntur principatus et libertas,' id est, easdem fori leges observant princeps, et liber populus.

[i] *Sæpius vincitur fiscus*] 'Sit interdum causa mala fisci, ut bonus princeps esse videatur,' Cassiod. I. 22. ad fisci advocatum. Laudatur apud Capitolinum M. Antonini philosophi abstinentia, quod in judiciis nunquam fisco faveret.

[j] *Procuratores habes*] Si quis Cæsaris actori litem intentaret, causa hæc apud procuratorem Cæsaris agebatur: sin actor ipse litem alicui movebat, causa ad provinciæ præsidem pertinebat. Plinius autem ait Cæsaris procuratores tam integræ fidei

eligere. Neque enim ullam necessitatem muneribus tuis addis, ut qui scias, hanc esse beneficiorum principalium summam, si illis et non uti licet.[e]

CAP. XXXVII. 1. Onera imperii,[k] pleraque vectigalia institui, ut pro utilitate communi, ita singulorum injuriis,[f] coëgerunt. His[g] vicesima reperta[l] est, tributum tolerabile, et facile hæredibus, duntaxat extraneis, domesticis[m] grave. 2. Itaque illis irrogatum est,[n] his remissum; videlicet quod

[e] *Si fas est illis uti, vel non.*
[f] *Propter utilitatem communem, sed cum detrimento singulorum.*
[g] *Propter hæc.*

Paulo post, *summam gratiam* edidere Catan. Philomus. Lips. Berneg. Hack. et Gesn. *gratiam* in margine habent Steph. et Boxhorn. 'Ego non sprevissem, si certum habuissem, e codd. illud additamentum esse sumtum.' *Gierig.* Vide Nott. Varr.

CAP. XXXVII. 1 Particula *ita* omissa est in codd. Vat. 4. et Guelph. et ed. Herzogiana. *injuriis cogerentur* Patav. *injuriis cogeretur* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Schwarzian. Paris. Venet. Salisb. Guelph. al. item edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. et Cuspin. *i. coëgerunt* Catan. 1506. Mediol. Ald. Junt.

NOTÆ

habitos esse, ut etiamsi magis addicti essent Cæsari, quam præsides provinciarum, rei tamen non alios judices mallent. Sed hoc adulatorie magis, quam vere. Nam si Aur. Victori credimus, 'Pompeia Plotina incredibile dictu est, quanto auxerit gloriam Trajani; cujus procuratores cum provincias calumniis agitarent, illa conjugem corripuit atque increpavit, quod laudis esset incuriosus,' &c.

[k] *Onera imperii*] Id est, sumtus publici: seu, ut vocat Tacitus, 'imperii necessitates.'

[l] *Vicesima reperta*] Ab Augusto an. U.C. 759. ut ærario militari prospiceret. Dio lib. LV. in actis ejus anni; et ab eodem 7. post anno non sine difficultate firmata. Quanquam multo ante, nempe an. U. C. 397. Cn. Manlius manumissorum vicesimam instituerat, de qua Liv. VII. Unde 'aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servabatur,' Livius lib. XXVII. et 'vicesimarii' qui illud colligebant. Erat præterea rerum venalium vicesima. Sed hic de hæreditatum vicesima tantum agitur.

[m] *Extraneis, domesticis*] Hæredes alii 'domestici,' qui et 'sui' et 'necessarii' dicebantur. Atque hi liberi erant, qui in potestate patris fuissent tempore delatæ hæreditatis. Sic dicti, quia vivo patre quodammodo rerum paternarum domini esse crederentur, eoque mortuo nihil acquirerent de novo, sed continuaretur dominium in ipsorum persona. Iidem etiam 'necessarii' dicti, quod repudiare hæreditatem non possent. Alii vero 'extranei' hæredes dicebantur; vel quia non erant in potestate, aut qui erant in potestate, sed non erant in proximiori gradu. Sic 'extranei' et 'domestici' opponuntur.

[n] *Illis irrogatum est*] Vicesimalis tributi acerbitas variis modis accisa et temperata fuit. Ejus tributi auc-

manifestum erat, quanto cum dolore laturi, seu potius non laturi, homines essent, destringi aliquid et abradi bonis, quæ sanguine, gentilitate,[o] sacrorum denique societate,[p] meruissent,[h] quæque nunquam ut aliena, et speranda, sed ut sua, semperque possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda, cepissent. 3. Hæc mansuetudo legis veteribus civibus[q] servabatur; novi, seu per Latium in civita-

[h] *Auferri aliquid, et decerpi ex hæreditate, quæ sibi jure sanguinis, gentis, et religionis debebatur.*

et quæ deinceps secutæ.—2 'Verba hæc, *seu potius non laturi*, omisere codices Mss. Parisiensis, atque noster. Et nescio, quam facile apteque iis carere posse videatur oratio; nisi sic forte expleantur, *seu potius quam non laturi*. Nihil tamen, contra auctoritatem tot aliorum librorum adhuc immutamus.' *Schwarz.* *sed potius* Patav. 'Optime rejecit negligentiam duorum codd. eruditus Schwarzius.' *Arntz.* Mox, *distringi* edidit Baun. et sic ed. Schwarzii operarum lapsu.—3 Voc. *civibus* abest a codd. Guelph. Vat. 4. Paris. et Salisb. a m. pr. 'Cellarius, et ante eum, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Cuspinianus, Junta, Gryphius, Philomusus, Stephanus, Boxhornius,

NOTÆ

tor Augustus voluit, ut ad extraneos tantum hæredes pertineret, non ad domesticos, sed cum hac exceptione, si modo illi domestici hæredes 'veteres' cives essent; nam si 'novi' erant, vicesimam fisco pendere cogebantur, nisi forte iidem cognationis literas seorsum a principe accepissent. Nerva exceptionem illam aliquatenus sustulit; matrem enim in liberorum hæreditate, et vicissim liberos; filium in parentis bonis, si modo redactus esset in patris potestate, gaudere eadem immunitate voluit, absque his literis. Trajanus vero et Augusto et Nerva liberalior sanxit, 1. ut quemadmodum in patris filius, ita in hæreditate filii pater immunis esset, sive filius mortuus fuisset in patris potestate, sive non; 2. ut frater, avus, avia, neptis, neposque et invicem, absque deductione vicesimæ hæredes esse possent; 3. exiles hæreditates exemit, ad quoscumque hæredes pertinerent; sive illi essent extranei sive domestici, ideoque summam definiit, infra quam publicano nihil deberetur; 4. ut qui ex iis capitibus quæ correxit a die edicti vicesimam fisco debuerant, eam solvere non cogerentur.

[o] *Gentilitate*] 'Gentiles' dicuntur qui ex eodem sanguine procreati sunt, habent idem nomen, et per diversas stirpes, ex eadem progenie ortum ducunt. 'Agnati' vero qui sunt ex eodem sanguine, habent idem nomen, ex eadem stirpe oriuntur, suntque ejusdem familiæ.

[p] *Sacrorum denique societate*] Singulis familiis sua erant sacra. Unde filius in familia patris, et filius in sacris patris, pro eodem sunt apud jurisconsultos.

[q] *Veteribus civibus*] 'Veteres cives,' id est, jam pridem in urbem recepti; quibus opponuntur 'novi.' 'Veteres' erant immunes a vicesima, proindeque censebantur habere inter se jura cognationis. 'Novi' autem, sive illi per Latium (hoc est, jure Latii, 'quo coloniæ donabantur civitate Romana

tem, seu beneficio principis, venissent, nisi simul cognationis jura impetrassent, alienissimi habebantur quibus conjunctissimi fuerant. 4. Ita maximum beneficium vertebatur in gravissimam injuriam, civitasque Romana instar erat odii, et discordiæ, et orbitatis; cum carissima pignora, salva ipsorum pietate, distraheret.[i] 5. Inveniebantur tamen, quibus tantus amor nominis nostri inesset, ut Romanam civitatem, non vicesimæ modo, verum etiam affinitatum damno bene compensari putarent. Sed his maxime debebat gratuita contingere, a quibus tam magno æstimabatur. 6. Igitur pater tuus sanxit, ut, quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis pervenisset ad matrem, etiamsi cognationum jura non recepissent, cum civitatem adipiscerentur, ejus vicesimam ne darent. 7. Eandem immunitatem

[i] *Jus Romanæ civitatis simile erat odio, discordiæ, et orbitati; siquidem carissimos filios ab hæreditate patris repelleret, licet nihil contra pietatem peccassent.*

Kirchmaierus, inquinate exscribi curarunt *in civitate;* cum codices Mss. Parisiensis, Venetus, Guelpherbytanus, noster, et ceteri impressi fere omnes, rectius reponant, *in civitatem.* 'Αναλογία enim linguæ Latinæ requirit ut dicamus *venire in civitatem.* Et jam Faber Sanioriauus hanc emendationem ostendit. Vossianus liber præterea particulam *vero* sic inserit: *novi vero, seu per Latium, &c.'* Schwarz. 'Edit. 1476. 1498. Froben. Sichardus et ceteri omnes ante Livineium sextum casum præpositioni *in* addidere.' *Arntz.* Mox, cod. Schwarzian. *conjunctissimi fuerunt;* Spanhem. O. Rom. Exc. II. 3. *conjunctissimi vixerant.*—4 '*Ita maximum*] Codex noster exhibet, *in maximam injuriam;* bene quidem, sed sine suffragio ceterorum librorum. Loquitur autem Plinius de beneficio civitatis Romanæ.' *Schwarz.* Codd. Vatt. et Guelph. *instar odii erat.* Behrius, pro *instar,* substituere voluit *causa.*—5 *Inveniebantur inde* Venet. Pro *inesset,* codd. Vat. 4. Salisb. et Guelph. *erat.* Paris. *non: nominis nostri non inesset.* Pro *affinitatem* duo Vatt. et Guelph. habent *affinitatis.* Vide Nott. Varr. 'Verbum *debebat* deest in Guelph. et Vat. 4. in quo posteriore sequens verbum *contingeret* legitur. Pro *gratuita,* Livin. e vet. cod. in margine notavit, *gratuito;* quod etiam in Kirchmaieri ed. ita expressum est. In cod. Salisb. in sequentibus, pro *tam magno,* scriptum est *tam magni.* Sed hæc omnia nihili facimus.' *Schwarz.*—7 *Eandem immu-*

NOTÆ

petendi magistratus gratia,' Ascon. Pedian. ad Orat. in Pison.) seu beneficio principis in civitatem venissent, quam duplicem viam in civitatem veniendi opponit hoc loco Plinius, non habebant inter se jura cognationis, nisi literas eam ad rem a principe seorsum accepissent. Ideo quando inter eos filius succedebat patri, succedebat tanquam extraneus hæres, ideoque vicesimam hæreditatis fisco solvere cogebatur, tanquam extraneus; donec Trajanus singulari sua munificentia hos novos cives, itidem uti veteres, a præstatione vicesimæ immunes fecit.

in paternis bonis filio tribuit, si modo reductus esset in patris potestatem: ratus, improbe, et insolenter, ac pæne impie, his nominibus inseri publicanum; nec sine piaculo quodam sanctissimas necessitudines, velut intercedente vicesima, scindi; nullum tanti esse vectigal, quod liberos ac parentes faceret extraneos.

CAP. XXXVIII. 1. Hactenus ille: parcius fortasse, quam decuit optimum principem; sed non parcius, quam optimum patrem, qui optimum adoptaturus, hoc quoque parentis indulgentissimi fecit, quod delibasse quædam, seu potius demonstrasse, contentus,[a] largam, ac prope intactam, benefaciendi materiam filio reservavit. 2. Statim ergo muneri ejus liberalitas tua astruxit, ut,[b] quemadmodum in patris filius, sic in hæreditate filii pater, esset immunis, nec eodem momento, quo pater esse desiisset, hoc quoque amitteret,[a] quod fuisset. 3. Egregie, Cæsar, quod lacrymas parentum vectigales esse non pateris. Bona filii pater sine diminutione possideat, nec socium hæreditatis accipiat, qui non habet luctus.[b] Nemo recentem et attonitam orbitatem

[a] *Leviter attigisse aliqua, seu potius ostendisse satis habens.*
[b] *Nervæ beneficio liberaliter adjecisti, ut, &c.*

tationem cod. Patav. Mox, idem codex et Exc. Voss. *si non reductus esset.* Cujac. et Baun. *redactus.* Porro Patav. *ac pæne impie.*

CAP. XXXVIII. 1 In codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venet. Guelph. Salisb. Schwarzian. edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. et Beroald. desideratur vox *optimum*, quam primus evulgavit Catanæus. Pro *delibasse*, quod habent Beroald. Cuspin. Froben. Nic. Heinsius in ora sui codicis, et al. plurimi codd. exhibent *deliberasse;* Puteol. 1476. Venet. 1498. Catan. Ald. et Philomus. *delibasset.*—2 In codd. Vat. 3. Paris. Venet. Schwarzian. et Exc. Voss. pro *desiisset*, scriptum est *dedisset;* cod. Salisb. habet *desiisset;* al. *desisset.*—3 '*Qui non habet luctus*] An, *quem non habet?* Nam potest sane in filii morte consortes habere luctus, etsi non fiscum.' *Lips.* 'Malim, *quem non habet luctus.*' Rittershus. 'Non est rejiciendum Bongarsii conjectaneum, quo mallet legi, *accipit quem non, &c.* nam potest sane pater aliquis habere socium imo socios in luctu filii demortui.' *Grut.* 'Tamen uno consensu *qui* omnes, quas inspicere licuit, seu potius libuit, editiones, si ab Hearniana et Cellarii

NOTÆ

[a] *Hoc quoque amitteret*] Id est, privaretur eo fructu, qui juxta naturæ leges ex filii hæreditate redire ad eum deberet.

[b] *Qui non habet luctus*] Melius alii, *quem non habet luctus;* id est, publicanum, ad quem illius mortis dolor non pertinet.

ad computationem[c] vocet, cogatque patrem, quid reliquerit filius, scire. 4. Augeo, Patres Conscripti, principis munus, cum ostendo, liberalitati ejus inesse rationem.[c] Ambitio enim, et jactantia, et effusio, et quidvis potius, quam liberalitas existimanda est, cui ratio non constat.[d] 5. Dignum ergo, Imperator, mansuetudine tua, minuere orbitatis injurias, nec pati quenquam, filio amisso, insuper affici alio dolore. Sic quoque abunde misera res est,[d] pater filio solus hæres: quid, si cohæredem non a filio accipiat? 6. Adde, quod, cum divus Nerva sanxisset, ut in paternis bonis liberi necessitate vicesimæ solverentur,[e] congruens erat, eandem immunitatem parentes in liberorum bonis obtinere. 7. Cur enim posteris amplior honor, quam majoribus, haberetur? Curve non retro quoque recurreret æquitas eadem? Tu quidem, Cæsar, illam exceptionem removisti, si modo[e] filius in potestate patris fuisset; intuitus, opinor, vim legemque naturæ, quæ semper in ditione parentum esse liberos jussit, nec, uti inter pecudes, sic inter homines, potestatem et imperium valentioribus dedit.

[c] *Cum expono causam tantæ liberalitatis.* [d] *Quæ fit sine causa honesta.*
[e] *Immunes essent a pendenda vicesima.*

discesseris; sed cur ego sequar commentum VV. DD. cum veteres scriptores non ad regulas logicas exigi debeant, et vel sic sana constat ratio, cur enim non eadem facilitate supplere possum, *socium hereditatis accipiat, qui eum socium non habet luctus.* Hic non in genere loquitur de aliis luctus sociis, sed specialiter de fisco, adeo ut frustra sit, qui argutias captet. Statim pro *cogatque, rogatque* Guelph. et loco *quid, quod.*' Arntz.—4 Codex Salisb. *quum ostendero.* Mox, Patav. *et effusio, quibus potius.* Codd. Vatt. Guelph. et Exc. Voss. *liberalitas æstimanda est.*—5 Cod. Patav. *nec suo quemque, filio amisso, insuper affici alio dolore.* Idem codex paulo post, *qui si eo heredem.*—7 *Cur ei in* cod. Patav. *Cur tandem* Vat. 4. *Cur ei* Guelph. et Exc. Voss. *Cur eis* Paris. *Curne non retro* Guelph. *æquitas non eadem* codd. Vatt. Patav. Paris. Salisb. Guelph. et Schwarzian. Mox, cod. Salisb. pro voce *exceptionem,* habet *acceptionem;* sed jam antiqua manus reposuit *exceptionem.* Porro *fuisset* desideratur in cod. Patav. Denique, cod. Salisb. exhibet *videlicet legem naturæ.*

NOTÆ

[c] *Ad computationem*] Ad subducendam rationem bonorum filii, ut vicesima principi pendatur.

[d] *Abunde misera res est*] Satis gravis est patri filii mors, etiamsi solus ipsius hæres sit. Quid, si cohæredem aliquem non testamento filii datum aut affinem, sed publicanum habeat?

[e] *Si modo*] Hæc verba erant in edicto Nervæ, sed Trajanus Nerva melior hanc exceptionem sustulit.

CAP. XXXIX. 1. Nec vero contentus primum[f] cognationis gradum abstulisse vicesimæ, secundum quoque exemit, cavitque, ut in sororis bonis frater, et contra, in fratris soror; utque avus et avia in neptis nepotisque, et invicem illi, servarentur immunes. 2. His quoque, quibus per Latium[g] civitas Romana patuisset, idem indulsit, omnibusque inter se cognationum jura commisit simul, et pariter, et more naturæ, quæ priores principes a singulis rogari gestiebant, non tam præstandi animo, quam negandi.[∫] 3. Ex quo intelligi potest, quantæ benignitatis, quanti spiritus[h] fuerit, sparsas, atque, ut ita dicam, laceras gentilitates colligere atque connectere, et quasi renasci jubere; deferre, quod negabatur, atque id præstare cunctis, quod sæpe singuli non impetrassent; postremo, ipsum sibi eripere tot beneficiorum occasiones, tam numerosam obligandi imputandique[i] materiam: indignum, credo, ei visum, ab homine peti, quod Dii dedissent. 4. Sorores estis, et *fratres, avi* et nepotes: quid est ergo, cur rogetis,[j] ut sitis? Vobis

∫ *Non tam voluntate ea concedendi, quam recusandi.*

CAP. XXXIX. 1 Codex Patav. *et invicem sibi servarentur immunes.*—2 *Iis quoque* codd. Salisb. Guelph. et Schwarzian. Mox, cod. Patav. *civitas Romana potuisset . . . jura communi sit, &c.* In Exc. Voss. pro *commisit* legitur *communis it;* et in ed. Puteol. 1476. *communi sit.* Codd. Vat. 4. et Salisb. pro *simul* habent *semel.* Voculæ *et pariter* desunt in cod. Schwarzian.—3 Cod. Patav. *sparsas, et ut ita dixerim.* Paulo post *Dii* desideratur in codd. Vat. 1. Paris. Salisb. et Exc. Voss. in Salisb. vero extat a m. sec. Cod. Venet. habet *quod non dedisset.*—4 'Olim Beroaldus, Catanæus, Aldus, Cuspinianus, pluresque alii, pro his verbis, *cur rogetis,* ediderant *cur egetis?* Quam lectionem etiam adhuc retinuit Jac. de la Baun. hac interpretatione adjecta: 'Cur egetis beneficio principis, ut sitis id, quod jam vobis estis, nempe consanguinei?' Livineius in codice vetere legerat *cur regitis;* unde jam conjecerat, rescribendum esse *cur rogetis,* i. e. cur demum ab imperatore precibus obtineatis cognationis jura, ut sorores, fratres, avi, et nepotes, sitis, atque hujusmodi cognationis privilegiis fruamini? tales jam vobis estis, per ipsam naturam. Istam adeo correctionem jam approbavit Lipsius, et de-

NOTÆ

[f] *Primum*] In primo cognationis gradu censentur pater, mater, liberi: in secundo frater, soror, avus, avia, neptis, et nepos. Vide Gaium de variis affinitatum gradibus.

[g] *Per Latium*] Supra cap. XXXVII. not. q.

[h] *Quanti spiritus*] Quantæ excelsitatis animi.

[i] *Imputandique*] Supra cap. XX. not. g.

[j] *Cur rogetis* [*egetis*] Beneficio prin-

estis. *Quid?* pro cetera sua moderatione, non minus invidiosum putat dare hæreditatem[k] quam auferre. 5. Læti ergo adite honores, capessite civitatem, neminem hoc necessitudinis abruptum velut truncum amputatumque destituet:[g] iisdem omnes, quibus ante, pignoribus,[h] sed honestiores perfruentur. 6. Ac ne remotus quidem,[l] jamque deficientis affinitatis gradus, a qualibet quantitate vicesimam inferre[i] cogetur: statuit enim communis omnium parens summam,[m] quæ publicanum pati possit.

[g] *Nullum hæc cognationis dissociatio tanquam abscissum atque separatum hæreditate paterna privabit.*
[h] *Juribus.*
[i] *Vicesimam pendere.*

mum bene feliciterque recepere Cellarius ac Patarol; qui posterior etiam ad auctoritatem quarundam Genuensium editionum provocat. Et sane eandem lectionem nunc aperte confirmant codices Mss. Parisiensis et noster. Sic eodem verbo in hoc argumento, paulo ante, nempe sect. 2. hujus capitis, usus Plinius: 'Omnibus,' inquit, 'inter se cognationum jura commisit simul, et pariter, et more naturæ, quæ priores principes a singulis rogari gestiebant.' Ceterum, in hoc ipso loco, codex Ms. Guelpherbytanus, nec minus liber primus Gudianus, itemque Vossianus, has voces, *et frater, avus;* recte proferunt in numero multitudinis, *et fratres, avi.* Sed adhuc menda hæret in pronomine *qui.* Josephus Scaliger, commemorante Thoma Hearn. sic legendum existimavit: *Cur egetis? ut sitis, vobis est is, qui, pro cetera sua moderatione, &c.* Sic satis ingeniose, sed sine calculo vetustæ alicujus auctoritatis. Propius ad veritatem accessit Lipsius, cum pro vocula *qui* reponendum conjecit *quin.* Sed certiorem lectionem prodit codex noster, dum exhibet vocem admirandi *quid?* haud secus ac infra, cap. XLVII. 1. Plinius ait, 'Quid? vitam et mores juventutis quam principaliter formas!' Itaque integrum hunc locum sic concinnandum putamus: *Sorores estis, et fratres; avi et nepotes. Quid est ergo, cur rogetis, ut sitis? Vobis estis. Quid? pro cetera sua moderatione, non minus invidiosum putat dare hæreditatem, quam auferre.'* Schwarz. Videndæ Nott. Varr. *Sorores estis et frater; avus et nepotes. Quid est ergo, cur regitis, ut sitis: nobis estis. Qui pro, &c.* cod. Patav.—5 *Læti ergo audite* cod. Vat. 4.—6 *Ac ne remotius* plurimi codd. Mox, pro *cogetur,* codd. Patav. Guelph. et Schwarzian. exhibent *cogentur;* Vat. 4. *cogeretur.*

NOTÆ

cipis 'ut sitis' id quod jam 'vobis estis,' nempe consanguinei. Livineius legit *cur rogetis,* id est, cur aliquid a me præterea postuletis.

[k] *Dare hæreditatem*] Totam hæreditatem capere, et hæredum damno dare ad arbitrium. *Quam auferre*] Id est, quam vicesimam partem ex ea decerpere.

[l] *Ac ne remotus quidem*] Quartus aut quintus affinitatis gradus. 'Deficiens' vero septimus.

[m] *Summam*] Quam porro? nullibi, quod sciam, extat. Certe quidem modicas hæreditates exemit, ut clarius mox dicetur.

Cap. xl. 1. Carebit onere vicesimæ parva et exilis hæreditas, et, si ita gratus hæres volet, tota sepulcro, tota funeri, serviet. Nemo observator,[a] nemo castigator assistet. *Cuicumque*[b] *modica* pecunia ex hæreditate

Cap. xl. 1 '*Tota funeri serviet*] Nihil, vel in verbis his, vel in sententia, existit, quod aliquam mutationem exigat. Occurrit tamen in antiquis libris quædam varietas, quam non duximus prætereundam. Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Philomusus, Rhenanus, Lipsius, Livineius, Stephanus, Gruterus, Frischmannus, Hacklus, de la Baune, aliique, pro verbo *serviet*, exhibent *servetur*. At Boxhornius, primus in contextum recepisse videtur *serviet ;* quem secuti sunt, Kirchmaierus, Cellarius, Patarol. Th. Hearn. quanquam hoc idem verbum jam ante in margine annotarint Gryphius, Stephanus, Claud. Minoë, Elsevirii, et Rivinus. Codex vero Mss. Guelpherbytanus, itemque Isaaci Vossii et Gudii libri, hanc lectionem referunt : *et, si ita gratus heres volet, totam sepulcro, totam funeri, servet.* Omnes hæ tres lectiones videntur habere, quo se tueantur, ambiguamque nobis faciant optionem. Neque codex Ms. Parisiensis, neque noster, explicant dubium ; cum in utroque perperam scriptum sit, *et, si ita gratus heres volet, tota sepulcro, tota funeri, servet.* Pari enim ratione hæsites, utrum hic *servet*, omissa litera *i*, pro *serviet ;* an, decurtata ultima syllaba, pro *servetur* repositum sit ; an denique in adjectivo *tota*, prætermissa fuerit ultima litera *m*, aut hujus literæ signum. Verbum *serviet*, ratione temporis, magis congruit cum primo hujus periodi verbo, *carebit :* at verbum *servet* possit fortasse sequentibus conciliari : *habeat, securusque possideat.* Utcumque est, nondum satis rationis deprehendimus, cur verbum *serviet* exterminemus.' *Schwarz.* ' Veneta jam *servetur.* Perinde et mihi est, quod eligas, interim, qui *serviet* in Ms. vidit, neminem reperi. Sichardus primus margini apposuit. *Servetur* igitur præ ceteris placet, cum ob antiquitatem priorum omnium editionum, tum quod *serviet* et *servet* ortum videatur ex non animadverso scripturæ compendio, quo *ur* in fine designari soleret, quod factum millies.' *Schwarz.* '*Cujuscunque modi ea pecunia ex hæreditate alicujus obvenerit, securus habeat, quietusque possideat*] Ita evulgatus est hic locus a primis editoribus, pluribusque sequentibus. Livineius et Lipsius in quibusdam libris repererant *Cujuscunque modica pecunia ;* quam lectionem iidem probabant, ita quidem, ut et pro subsequente voce, *alicujus*, rescribendum censuerint *alicui.* Quæ correctio in voce *alicui* etiam placuit Rittershusio; nisi quod hic pro *cujuscunque modi*, maluerit reponere *cujusquemodi.* Sed sine dubio legendum est *Cuicumque modica pecunia ex hæreditate alicujus obvenerit, securus habeat, quietusque possideat.* Vocabulum *modica*, pro quo male scriptum fuerat *modi ea*, jam Livineio et Lipsio, prout modo diximus, placuit ; idque Gruterus ac Patarol. recte admisere in contextum orationis : cum id nunc e scriptura codicis Ms. Guelpherbytani confirmare possimus. In voce *alicujus* nihil mutandum, cum locum recte obtineat, et omnium librorum suffragio adjuvetur. Sola prima vox, *cuicumque*, huic periodo ex correctione jam est restituenda ; cum facile appareat, cur ea in τὸ *cujuscumque* degeneravit : nempe propter subsequentes vitiose scriptas voces, *modi ea.* Sic vero ex hac emendatione, quæ ves-

NOTÆ

[a] *Observator*] Nemo qui principis nomine sumtus observet, judicetque, an vicesima rite data sit.

[b] *Cuicumque* [*cujuscumque*] Id est, sive domesticus sit, sive extraneus is, a quo obtigit hæreditas, modo ut ea exilis sit. Pro *alicujus* Lipsius legit *alicui.*

alicujus obvenerit, securus habeat, quietusque possideat. 2. Ea lex vicesimæ dicta est, ut ad periculum ejus perveniri, nisi opibus, non possit.[a] Conversa est iniquitas in gratulationem, injuria in votum: optat hæres, ut vicesimam debeat.[c] 3. Additum est, ut, qui ejusmodi ex causis in diem edicti vicesimam deberent, nondum tamen intulissent, non inferrent. At in præteritum[d] ne Dii quidem subvenire possunt: tu tamen subvenisti, cavistique, ut desineret quisque debere, quod non esset postea debiturus. 4. Idem effecisti, ne malos principes habuissemus. Quo ingenio, si natura pateretur, quam libenter tot spoliatis, tot trucidatis, sanguinem et bona refudisses! Vetuisti exigi,

[a] *Ut nemo posset venire in illud discrimen, nisi hæres magnarum opum.*

tigiis antiquæ scripturæ insistit, quamque jam agnovit Petrus Faber in notis in ed. Paris. 1643.' *Idem.* 'At tum idem dicit, quod jam antea dixerat, 'parva et exilis hæreditas,' quod hic repetere esset otiosum. Adde, si *modica* scribamus, non fluere commode connexum orationis, nisi contra omnes codices variantem scripturam effingas, unde quidam *alicui*, alii *cujusque* et V. D. cum Fabro *cuicumque*. Mihi satis placet sententia, si dicat Plinius, careat onere vicesimæ exilis hæreditas, quo jure seu cognationis seu affinitatis vel quocumque demum nomine ad aliquem pervenerit, nec ideo, qui id examinet, observator assistat.' *Arntz.* Vid. Nott. Varr. Cod. Patav. exhibet *et si ungratus heres volet; tota sepulcro tota funera servet... Cujuscumque modi ea pecunia ex hereditate alicujus obvenerit.*—3 Cod. Patav. *in idem edicti vicesimam deberent.* Pro *deberent*, in ed. Schwarz. legitur *debeat*, quod τυποθέτης ex antecedentibus verbis repetiit. *idem* extat etiam in cod. Guelph. et edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Beroald. Catan. Ald. Rhenan. Philomus. Junt. R. et H. Steph. Nav. Livin. Boxhorn. et Elzevir. *diem* primus evulgavit Cuspinianus. Paulo post, cod. Patav. *quid esset postea debiturus.* Omnes alii codd. ap. Schwarz. item edd. Cuspin. Gryph. et Sichard. omittunt negativam *non.*—4 *Idem fecisti* cod. Patav. et vulgg. 'Cuspinianus, pro verbo simplici *fecisti*, evulgavit compositum *effecisti:* bene; hoc enim etiam asserunt codices Mss. Parisiensis, Guelpherbytanus, et noster. Idem confirmat liber uterque Gudianus. *Idem*, hoc est, 'idem tu effecisti.' Quanquam non inargute conjecerunt Livineius et Gruterus, pro voce *idem*, rescribendum esse *id est*, ita, ut ista prima sex verba connectantur cum proximis quæ antecesserant. Sed sequentia verba, etiam judice Lipsio, non bene ordinarat Livineius. Ac nescio, cur eorundem verborum sensum obscurum putarit Cellarius.' *Schwarz.* *Idem effecisti* habent etiam codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venet. Salisb. et Gud. uterque.

NOTÆ

[c] *Ut vicesimam debeat*] Signum enim est opimæ hæreditatis.

[d] *At in præteritum*] Emendare præteritum ne Dii quidem possunt, aut quæ facta semel fuerint, infecta reddere, inquit apud Aristotelem Agathon comicus. Ea autem Trajani remissio, cujus hodieque Romæ extat insignis inscriptio.

quod deberi non tuo sæculo cœperat. 5. Alius ut contumacibus[e] irasceretur, tarditatemque solvendi, dupli, vel etiam quadrupli, irrogatione mulctaret: tu nihil referre iniquitatis existimas, exigas quod deberi non oportuerit, an constituas ut debeatur.

CAP. XLI. 1. Feres, Cæsar,[f] curam et solicitudinem consularem: nam mihi cogitanti, eundem te collationes[g] remisisse, donativum[h] reddidisse, congiarium obtulisse, delatores abegisse, vectigalia temperasse; interrogandus videris, satisne computaveris imperii reditus, an tantas vires habeat frugalitas principis, ut tot impendiis, tot erogationibus, sola sufficiat? 2. Nam quid est causæ, cur aliis quidem, cum omnia raperent, et rapta retinerent, ut si nihil rapuissent, nihil retinuissent, defuerint omnia: tibi, cum tam multa largiaris, et nihil auferas, omnia supersint? 3. Nun-

CAP. XLI. 1 *Ferres*, non *Feres*, scribit Voss. quam eandem scripturam in Ald. esse monet Hearn. Mox, *vectigalia reparasse* cod. Patav. et paulo post, in eodem cod. *an tam tantas vires habet frugalitas.* Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venet. et Schwarzian. etiam *habet.* In subsequentibus verbis, Paris. *solus sufficius;* Salisb. *sola sufficeret.*—2 'Post verba *ut si nihil rapuissent*, hæc inserta edidere Cuspinianus, Frischmannus, Hackius, Jac. de la Baun. Th. Hearn. *nihil detinuissent.* Pro quibus, Rhenanus, Gryphius, Lipsius, Gruterus, Parisienses, Patarol. levi mutatione evulgarunt *nihil retinuissent.* Quam lectionem etiam Livineius, Stephanus, et Rivinus, margini adjunxere. Etsi vero codices Mss. Parisiensis et noster istas duas voces omittant; tamen post verbum, *auferas*, has inserunt, *ut si nihil largiaris, et auferas omnia.* Prius supplementum non improbamus. Quod ad posterius attinet, id quidem etiam in primo Gudii libro, similiterque a Jos. Scaligero, fuit annotatum; idemque jam edidit Cuspinianus, voce *omnia* saltem semel omissa. Jam licet admittam, sic concinnitatem periodi, more veterum sophistarum, videri pleniorem fieri; nihilo minus tamen, cum sententia nimis fere arguta hinc frigescere videatur, magnopere vereor, ne hæc posterior lacinia

NOTÆ

[e] *Contumacibus*] Cod. de Jud. 'Contumax qui tribus edictis propositis, vel uno peremtorio evocatus præsentiam sui non facit.' Hi, et qui in solvendo tardi essent, dupli et quadrupli irrogatione mulctabantur.

[f] *Feres, Cæsar*] Tu itaque ærarii curam, quam gerere consul debeo, in te transtulisti.

[g] *Collationes*] Puta aurum coronarium seu dona initio imperii a provinciis conferri solita. De Juliano Ammianus XXV. 14. 'Coronarium indultum et remissa debita multa diuturnitate,' &c. Idipsum de Hadriano Spartianus, Capitolinus de Antonino Pio refert. De auro coronario dixi supra cap. XVII. not. c.

[h] *Donativum*] Certa pecuniæ summa, quam imperator vel cum iniret

quam principibus defuerunt,[i] qui fronte gravi et tristi supercilio utilitatibus fisci contumaciter adessent: et erant principes ipsi sua sponte avidi et rapaces, et qui magistris non egerent; plura tamen semper a nobis contra nos didicerunt. Sed ad tuas aures, cum ceteris omnibus, tum vel maxime avaris adulationibus, obstructus est aditus. 4. Silent ergo, et quiescunt, et, postquam non est, cui suadeatur; qui suadeant, non sunt. Quo evenit, ut, cum plurimum tibi pro tuis, plus tamen pro nostris moribus[j] debeamus.

CAP. XLII. 1. Locupletabant et fiscum, et ærarium, non tam Voconiæ[k] et Juliæ leges, quam majestatis singu-

aliunde sit assuta. Aliquanto magis placet, pro his verbis *et nihil auferas*, legi, *nec auferas quicquam*. Quam varietatem prodit codex Ms. Guelpherbytanus, eandemque Is. Vossius, et Gudius, annotarunt.' *Schwarz.* '*Nihil retinuissent*, abest quoque a Voss. et Guelph. edit. 1476. Veneta, Aldina, Froben. Ascens. Pro *ut nihil auferas* cum Mss. dedimus, *nec auferas quidquam.*' Arntz. Cod. Patav. etiam omittit voces *nihil retinuissent*. Mox, idem codex, *multa largiaris et auferas omnia supersint.*—3 Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venet. Salisb. Guelph. et Schwarzian. *qui fronte tristi et gravi supercilio.*—4 Cod. Patav. *postquam non est, cui persuadeatur.* Mox vulgg. *ut tibi, cum plurimum pro tuis, tum pro nostris, moribus debeamus.* 'Multo concinnius hæc exprimit codex noster: *Quo evenit, ut, cum tibi plurimum pro tuis, plus tamen pro nostris moribus, debeamus.* Neque aliter hæc verba referunt, Cuspinianus, Lipsius, Parisienses.' *Schwarz.* 'Scilicet vetustæ editiones, ut et Hearn. et Cell. scribunt, *cum plurimum pro tuis tum pro;* atque ita Exc. Voss. Eo decepti sunt, quod existimarint, post *cum* necessario sequi *tum.* Sed apparet, multo elegantius alios dedisse *plus tamen pro*, inter quos Guelph. Sichardus, Lipsius, et alii.' *Arntz.* Nostram lectionem confirmant etiam codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venet. Salisb. Guelph. et ed. prima Cuspin. Cod. Patav. exhibet, *ut tibi complurimum pro tuis, tum pro nostris moribus debeamus.*

CAP. XLII. 1 Cod. Schwarzian. *non magis Voconiæ, quam Juliæ leges, quam majestatis singulare, &c.* Mox, codd. Patav. Paris. Venet. Schwarzian. et

NOTÆ

imperium, vel ob relatam victoriam, vel demum ob aliquam aliam celebritatem militibus erogabat.

[i] *Nunquam principibus defuerunt*] Investigatores ingeniose mali, in omnem fisci, simulque privatæ rei per fas et nefas augendæ occasionem intenti.

[j] *Pro nostris moribus*] Quod nemo e nobis improbos illos imitetur.

[k] *Voconiæ*] Lege Julia et Papia quoties duo erant hæredes instituti, quorum unus ante apertas testamenti tabulas moreretur, ejus portio non accrescebat cohæredi, sed fiebat caduca et addicebatur fisco. Caduca enim dicebatur, eo quod ex persona cohæredis defuncti caderet in fiscum. Eadem lege bona eorum, qui sine successore decedebant, fisco addice-

lare et unicum crimen eorum, qui crimine vacarent. Hujus tu metum penitus sustulisti, contentus magnitudine, qua nulli magis caruerunt, quam qui sibi majestatem vindicabant. 2. Reddita est[l] amicis fides, liberis pietas, obsequium servis: verentur, et parent, et dominos habent. Non enim jam servi nostri principis amici, sed nos sumus; nec pater patriæ alienis se mancipiis cariorem, quam civibus suis, credit. 3. Omnes accusatore domestico liberasti, unoque salutis publicæ signo, illud, ut sic dixerim, servile bellum[m] sustulisti.[n] In quo non minus servis, quam dominis, præstitisti: hos enim securos, illos bonos, fecisti. 4. Non vis interea laudari, nec fortasse[o] laudanda sint: grata tamen sunt recordantibus principem illum, in capita dominorum servos subornantem, monstrantemque crimina, quæ, tanquam delata, puniret: magnum et inevitabile, ac

Exc. Voss. *crimini vacarent.* Pro *vindicabant* codd. Paris. et Guelph. habent *vendicabant.*—2 Gud. 1. *dominos amant.* Mox, *principis nostri* edd. ante Gesn. et Arntz. et sic etiam cod. Patav.—3 *Omnis accusator e domestico* Vat. 1. Venet. et Salisb. *Omnis accusator edomestico* cod. Paris. *Omnes accusatore e domestico* codd. Patav. et Voss. In cod. Paris. etiam *municipiis* pro *mancipiis.* Mox, *imoque publice salutis signo* cod. Patav. et al. *elatoque salutis p. signo* conj. Behr. *sublatoque, &c.* Schwarz. *illud autem sic dixerim* cod. Patav. Paulo post, pro *hos enim*, codd. Livin. Venet. Salisb. et Schwarzian. *nos enim.* In cod. Paris. scriptum est, *non enim securos illos, sed bonos fecisti.*—4 *Non vis propterea* Behrius et Perizon. Hic etiam tentabat, *Non vis, Cæsar, ea laudari;* vel, *Non vis inter tua ea laudari.* Mox, cod. Patav. *grata sunt tamen.*

NOTÆ

bantur uti hodieque fit. Ac quoque lege quæ erant in causa caduci, ad fiscum devolvebantur. In causa autem caduci erant ea, quæ deficiebant vivo testatore: v. g. si duobus fundus legatus fuisset, et unus ex legatariis mortuus fuisset vivo testatore, ejus portio erat in causa caduci, nec accrescebat collegatario, sed cadebat in fiscum.

[l] *Reddita est*] Cum delatores acerbe accepisti.

[m] *Servile bellum*] Quod servi apud principem dominis suis intentabant. Allusio est ad servile bellum, quod duplex fuit: alterum in Sicilia an. U. C. 619. ducibus Enno et Cleone servis; alterum Capuæ an. U. C. 681. Spartaco duce. Livius, Florus, Eutrop. &c.

[n] *Sustulisti*] De Trajano enim Dio: 'Servos et libertos quicumque insidiati dominis fuissent, omnes interfecit, atque iis, nec aliud quodvis crimen inferre, aut accusare dominos permisit.'

[o] *Nec fortasse*] Neque fortasse ejusmodi sunt ea, ut laudari admodum debeant.

toties cuique experiendum malum, quoties quisque similes principi servos haberet.

CAP. XLIII. 1. In eodem genere ponendum est, quod testamenta nostra secura sunt, nec unus omnium, *nunc quia scriptus,* nunc quia non scriptus, hæres.[p] Non tu falsis, non tu iniquis tabulis[q] advocaris: nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor, confugit: nec, quia offendit alius, nuncuparis;[a][r] sed quia ipse meruisti. 2. Scriberis ab amicis;[s] ab ignotis præteriris;[b] nihilque

[a] *Nemo per iracundiam, aut impietatem, aut insaniam, in te hæreditatem transfert; nec propter alterius offensionem hæres scriberis.*
[b] *Amici hæredem te faciunt, ignoti te prætermittunt.*

Idem codex denique et Exc. Voss. *similes principes servos haberet.*

CAP. XLIII. 1 'Beroaldus, Catanæus in Veneto et Genevensibus exemplaribus, Aldus, Junta, Rhenanus, Gryphius, Henricus Stephanus, Livineius, Gruterus, Parisienses, ita ediderunt: *nec unus omnium nunc, quia scriptus, hæres.* Leviter, neque adhuc satis apte, ista immutarat Boxhornius: *nec unus omnium, nec, quia scriptus, hæres es.* Lipsius, cui vulgaris lectio merito obscura, nec recta videbatur, primus eam inflexit: *nec unus omnium, nunquam scriptus hæres.* Cui applaudebat Gruterus; ejusque emendationem postea recepit, excudendamque curavit, Cellarius, item Patarol. Satis acute; sed nondum satis vere et plene correxerat hunc locum Lipsius. Quis enim credat, Neronem, Domitianum, imo et ipsum Trajanum, 'nunquam scriptum esse hæredem?' de hoc enim mox ipse Orator noster: 'Nec,' inquit, 'quia offendit alius, nuncuparis; sed quia ipse meruisti. Scriberis ab amicis; ab ignotis præteriris.' Veriorem ergo plenioremque legendi rationem prodit codex noster: *In eodem genere ponendum est, quod testamenta nostra secura sunt; nec unus omnium, nunc quia scriptus, nunc quia non scriptus, hæres.'* Schwarz. Vide Nott. Varr. *nunc quia scriptus heres* Exc. Voss. *at nunc quia non scriptus* cod. Patav. Paulo post, in eodem codice, *nec quia ostendit: alius*

NOTÆ

[p] *Nunc quia scriptus, n. q. n. s. hæres*] Locus haud dubie corruptus. Lege cum Lipsio et Grutero, *nunquam scriptus hæres.* Sensus erit: Nec tu, ut Domitianus, unus es hæres omnium, licet nunquam ab ullo hæres scriptus sis. Nam ille ex qualibet scriptura, cui juris auctoritas deesset, aut etiam ex testimonio cujuslibet hominis, qui imperatorem ab aliquo institutum esse hæredem diceret, continuo in hæreditatem quasi pro suo jure involabat. Trajanus vero pecuniæ non ita avidus nullam hæreditatem vindicabat sibi, nisi hæres rite scriptus esset.

[q] *Iniquis tabulis*] In quibus contra jus fasque legitimorum hæredum nulla mentio esset.

[r] *Nuncuparis*] Hæredem nuncupare, est, non scripto, sed viva, ut aiunt, voce declarare. Quod fieri oportebat palam, et quidem adhibitis septem testibus.

[s] *Ab amicis*] Sic Augustus: 'viginti proximis amicis, quater decies LL.S. ex testamentis amicorum percepit.' Suet.

inter privatum et principem interest, nisi quod nunc a pluribus amaris; nam et plures amas. 3. Tene, Cæsar, hunc cursum, et probabitur experimento, sitne feracius et uberius, non ad laudem modo, sed ad pecuniam, principi, si[c] hærede illo mori homines velint, quam si cogantur. 4. Donavit pater tuus[t] multa, et ipse donasti: cesserit[u] parum gratus; manent tamen ii, qui bonis ejus fruantur, nihilque ex illis ad te, nisi gloria, redit: nam liberalitatem jucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus, facit. 5. Sed quis ante te laudem istam pecuniæ prætulit? Quotusquisque[v] principum ne id quidem in patrimoniis nostris suum duxit, quod esset de suo? Nonne ut regum, ita Cæsarum, munera

[c] *Serva, o Cæsar, hanc agendi rationem, et cognosces experientia utrumne principi utilius sit et abundantius non solum ad laudem, sed et ad pecuniam colligendam si, &c.*

nuncuparis.—2 Cod. Patav. *ab ignotis præteris.*—3 *Tenes Cæsar* codd. Patav. Guelph. et Exc. Voss. *Tene Cæsar* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venet. et Schwarzian. item edd. Cuspin. Lips. Grut. Putean. Berneg. Græv. Patarol. Cev. et recentt. Præterea, Gryph. H. Steph. et Sichard. pro nomine *cursum*, in margine annotarunt *casum*. In Vatt. 1. 2. 3. 4. Salisb. et Guelph. *et probiter;* in Paris. *et probitur;* in codd. Venet. et Schwarzian. *et probetur;* in cod. Patav. et Exc. Voss. *et probatur;* Exc. Voss. pro var. lect. *et probetur.*—4 Lipsius pro *cesserit*, conj. *ceperit*, vel *cesserit.* Duo codd. Vatt. pro *manent tamen ii*, habent *manent tibi ii.* Livin. mox conj. *qui bonis tuis;* Lips. *qui bonis eis;* sed pronomen *ejus* omnium librorum suffragio nititur. Illud vero *fruantur*, deest in omnibus codd. ap. Schwarz. item in edd. Puteol. Beroald. Junt. Rhenan. Livin. et Nav. extat in edd. Catan. Cuspin. Philomus. Cratand. Gryph. Sichard. R. et H. Steph. Hack. Berneg. et recentt. *fruuntur* exhibent Grut. Putean. Bann. et Patarol. Porro, cod. Patav. *liberalitatem jocunditatem.*—5 Livin. conj. *non id quoque in patrimoniis;* cod. Paris. habet *nec id quidem, &c.* Guelph. *ne id quidem in patrimoniis nostris situm duxit, quod esset*, omissis *de eo.* Pro verbo *duxit*, cod. Venet. habet

NOTÆ

[t] *Donavit pater tuus*] Nerva, 'qui et bona omnia quæ extabant, et Domitianus inique abstulerat, dominis reddidit et plebi Romanæ agros emit, ac divisit.' Dio.

[u] *Cesserit*] Id est, etsi aliquis discesserit e vita parum gratus erga te. An, ut suspicatur Lipsius, legendum, *aliquis hæc ceperit parum gratus?* Sed tamen scrupulus aliquis residere potest propter ea quæ sequuntur. Quare totus hic locus apte videtur sic a Livineio correctus: *cesserint*, nempe et tua, et patris dona, *parum gratis: manent tamen*, id est, supersunt, *qui bonis tuis fruuntur*, id est, hæredes eorum qui maximis a te beneficiis affecti, te in testamento suo præterierint, atque id impune, quod sub aliis principibus non fiebat.

[v] *Quotusquisque*] Quis porro princeps ad se pertinere non existimavit

illitos cibis hamos,[w] opertos præda laqueos, æmulabantur; cum privatis facultatibus velut hausta et *implicata*,[x] retro secum, quicquid attigerant, referrent?

CAP. XLIV. 1. Quam utile est, ad usum secundorum, per adversa venisse! Vixisti nobiscum, periclitatus es,[a] timuisti; quæ tunc erat[b] innocentium vita. Scis, et expertus es, quantopere detestentur malos principes, etiam qui[c] malos faciunt. Meministi, quæ optare nobiscum, quæ sis queri solitus. 2. Nam privato judicio principem geris;[d] meliorem immo te præstas, quam tibi alium precabare. Itaque sic imbuti sumus,[e] ut, quibus erat summa votorum, melior pessimo princeps, jam non possimus, nisi optimum, ferre. 3. Nemo est ergo tam tui, tam ignarus

[d] *Talis enim es princeps qualem privatus judicabas principem esse debere.*
[e] *Quare ita tuis virtutibus assuevimus.*

dixit; Salisb. *dixerit.* Mox, vulgg. *hausta et multiplicata.* 'Dedimus lectionem cod. Venet. et libri Voss. quæ eadem probata est Berneg. Rittersh. Patarol. (quanquam is alia forma *implicita*,) Gesnero et Schwarz. Sed pro *implicata* Vaticc. Paris. Salisb. Guelph. Patav. et edd. plurimæ, *multiplicata*, Gruter. suadebat *amplificata.* Pro *hausta* Lips. malebat *aucta*, quod et Grutero et Livineio placuit, et in Vossiani libri margine annotatum est.' *Gierig.* Vide Nott. Varr.

CAP. XLIV. 1 *Quæ tunc erant: innocentium vitam scis* cod. Patav. Mox, pro *quantopere*, Ald. Junt. Cratand. Sichard. Gryph. et Arntzen. habent *quanto opere;* cod. Paris. *quantopere detestentur mali principes, etiamsi malos faciant.*—2 *Nam privato indicio* cod. Patav. *Nam privati* conj. Lipsius, probante Arntzenio. Mox, Schwarzian. *meliorem uno* cod. Patav. et Exc. Voss. *Itaque sic imbuti siamus, ut q. e. summum votorum.*—3 Cod. Patav. et Exc. Voss. *quam ignarus sui.* Mox, Livineius e conj. in margine cod. sui notarat,

NOTÆ

patrimonia ipsa nostra, eam ob rem quod populis vel a se, vel a majoribus suis nonnihil datum esset?

[w] *Illitos cibis hamos*] Comparet munera hamis et laqueis, hæreditates piscibus: nam ut pisces hamis, quos voraverunt, et laqueis quibus hærent impliciti, attrahuntur; ita mali principes propter munera in privatos collata, omnes eorundem facultates sibi vindicabant. Notum autem illud, 'munera hamos imitari.'

[x] *Velut hausta et implicata*] In Puteana editione legitur *multiplicata.* Magis placent, qui habent *implicata*, hoc enim maxime hamis et laqueis convenit, qui cum mari velut hauriantur, secum ea omnia, quibus sunt annexi, referunt.

[a] *Periclitatus es*] Sub Domitiano principe, cum privatus eras.

[b] *Quæ tunc erat*] Hæc enim erat bonorum virorum sors et conditio, nempe periclitari et timere.

[c] *Etiam qui*] Adulatores, dum principum scelera laudant.

sui, ut locum ipsum post te concupiscat. Facilius est, ut esse aliquis successor tuus possit, quam ut velit.[d] 4. Quis enim curæ tuæ molem sponte subeat? Quis comparari tibi non reformidet? Expertus et ipse es, quam sit onerosum succedere bono principi; et *eam* afferebas excusationem *adoptanti.*[e] 5. An parva pronaque sunt ad æmulandum, quod nemo incolumitatem turpitudine rependit?[f f] Salva

[f] *Quod nemo vitam suam flagitiis redimat.*

ut locum istum. Hanc conj. receperunt Lips. Græv. Hearn. et Gesner. eamque refert Gud. 1. *ipsum* servant omnes codd.—4 *Quis e. c. t. moles* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Guelph. et Venet. 2. Ceterum quod a Scal. notatum dictat Hearn. *subdat* pro *subeat*, id recensetur inter errata typographica ed. Cuspin. *Expertus ipse es* cod. Patav. Mox, in eodem cod. *et efferebas excusationem adoptati.* Vulgg. *et afferebas excusationem adoptati.* 'Locus hic utique correctione eget. Equidem eandem lectionem dudum evulgarunt Beroaldus et Rhenanus; quos etiam secutus est Gruterus, qui haud dubitavit sic rescribere, suasu unius codicis Ms. alterius vero vetuste cusi. A quo nec recessit Th. Hearn. nec Patarol. Imo et vetus quidam codex Livineii, et Parisiensis, verba eadem scripta exhibent. In nostro codice, una particula, *et*, mutata, legimus, *ut afferebas excusationem adoptati?* Ceteri libri impressi omnes, quos evolvimus, produnt *adoptari.* Utraque scriptura est incommoda. Felicius autem conjecerat Livineius, sic rescribendum esse, *et eam afferebas excusationem adoptanti.* Certe, participium *adoptanti* e codicibus Mss. annotarunt etiam Is. Vossius et Gudius; idque evidenter prodit codex Ms. Guelpherbytanus. Amplectimur igitur emendationem Livineii, tanquam commodissimam. Apparet autem, quomodo facile ex compendio scripti participii præsentis, *adoptāti*, potuerit nasci præteritum *adoptati*, et ex hoc demum infinitivus *adoptari;* cum nihil pronius fieri consueverit in antiquis libris, quam ut literæ *t* et *r* inter se permutarentur. Pronomen autem *eam,* Livineius bene eruit ex verbo *efferebas*, quod in vetusto codice repererat: utpote in quo, per festinationem librarii coaluerant hæ duæ voces, *eam afferebas.* Si quis vero sibi religioni duxerit, hoc asciscere pronomen; is forte ex nostro codice etiam particulam *ut*, pro *et*, retinere posset.' *Schwarz.* 'Voss. Exc. apud me *adoptati*, addita nota 'alii, *adoptanti*.' Inter priscas editiones anni 1476. Veneta et Froben. *adoptati*, post quas et Cellar. qui recte exponit.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—5 *An prona parvaque* edd. fere omnes ante Schwarz. *An parva pronaque* omnes codd. In ed. Beroald. legitur *prava.* Mox, *sunt* deest in cod. Patav. In cod. Salisb. a m. pr. *nemo incolumitate turpitudinem repellit;* et a m. sec. *rependit.* 'In unico cod. Paris.

NOTÆ

[d] *Quam ut velit*] Ne tam quidem, Hadrianus enim id maxime voluit. neque destitit Plautinæ Trajani uxoris operam interponere, donec Cæsar creatus id consecutus est, ut Trajano succederet.

[e] *Adoptanti* [*adoptati*] Gruteri emendationem sequor; sensus vero est: Vix adductus es ut Nervæ succederes, quamvis id non tam sponte tua faceres, quam adoptione assertus et veluti coactus. In aliquibus codicibus est *adoptanti*, id est, hanc ipsam excusationem Nervæ te adoptanti afferebas. In aliis est *adoptari.*

[f] *Rependit*] Nemo flagitiosus esse cogitur, ut gratus sit principi, vitam-

est omnibus vita, et dignitas vitæ, nec jam consideratus ac sapiens, qui ætatem in tenebris agit. 6. Eadem quippe sub principe virtutibus præmia, quæ in libertate; nec benefactis tantum ex conscientia[g] merces. Amas constantiam civium, rectosque ac vividos[g] animos, non, ut alii, contundis ac deprimis; sed foves et attollis. 7. Prodest, bonos esse; cum sit satis[h] abundeque, si non nocet. His honores, his sacerdotia,[i] his provincias, offers: hi amicitia tua, hi judicio, florent. Acuuntur *isto*[j] integritatis et in-

[g] *Erectos et alacres.*

scriptum est, *Salva est omnibus vita, salva dignitas vitæ*: satis bene.' *Schwarz.* Porrò, *qui et ante in tenebris agit* cod. Patav. et Exc. Voss. In cod. Guelph. pro *agit*, scriptum est *agat.*—6 Cod. Patav. *nec benefactis tamen;* sed in marg. scriptum est *tantum.* Exc. Voss. etiam *tamen.* Ald. Gryph. Cratand. Sichard. Livin. *et conscientia merces.* Codd. Vatt. et Guelph. *nec ex benefactis tantum, sed et ex conscientia, merces.* His verbis in edd. Cuspin. H. Steph. Kirchmaier. Boxhorn. Cellar. hæc alia quatuor verba adduntur, *sed etiam præmia sunt.* Mox, *rectosque ac invidos* codd. Paris. Ven. 1. et Patav. Arntz. conj. *rectosque.* Codd. Vatt. Salisb. Guelph. et Voss. *mundos* pro *vividos.* Copula *que* deest in Guelph.—7 Cod. Patav. *si nocet.* Paulo post, vulgo, *acuuntur isti.* 'Lipsii judicio, pro voce *isti* rescribendum est *isto.* Probo hanc correctionem: potuit enim librarius, qui ex antecedentibus casum nominandi, *hi* vel *ii*, adhuc in animo habebat, facile effingere *isti* pro *isto*, antequam ad nomen *pretio* perveniret, aut antequam alium prospiceret casum nominandi, ad quem verbum *acuuntur* esset referendum. Et quidni Plinius tunc potius dixisset, *hi acuuntur, &c.?* Sed ego præterea, post vocabulum,

NOTÆ

que tueatur. Quomodo sub Domitiano, de quo Suet. cap. 10. 'Duos venia donavit, qui se, quo facilius expertes culpæ ostenderent, impudicos probaverant.'

[g] *Ex conscientia*] Bona conscientia præmium quidem est virtutis amplissimum; sed sub bono principe sola virtutis merces esse non debet. Sub Trajano certe amplissimi quique honores in viros probos conferebantur.

[h] *Cum sit satis*] Cum habita ratione superiorum temporum, satis esse debere unicuique videatur, si sua ei probitas non nocet.

[i] *Sacerdotia*] Sacerdotiorum apud veteres, sicut hodieque apud nos beneficiorum, duo genera fuere: alia quæ aut resp. aut princeps, aut pontificum collegium conferebat; alia quæ a patrefamilias ea lege erecta dedicataque erant, ut sacrorum cura et fructuum ipsius sacerdotii perceptio, ad solam gentem familiamque suam pertineret; hæcque gentilitia sacerdotia dicebantur. Tacit. Hist. I. 67. de Othone: 'Recens ab exilio reversos nobiles adolescentulos, avitis ac paternis sacerdotiis in solatium recoluit.' Alia autem sacerdotia erant perpetua, ut auguratus, de quo Plinius noster Epist. IV. 8. item et pontificatus: alia vero non item.

[j] *Acuuntur isto* [*isti*] Cum Lipsio lubenter legam *ipso* pro *ipsi*, ut refe-

dustriæ pretio similes; dissimiles alliciuntur. Nam præmia bonorum malorumque bonos ac malos faciunt. 8. Pauci adeo ingenio valent, ut non turpe honestumque, prout bene ac secus cessit,[h] expetant, fugiantve: ceteri, ubi laboris inertiæ, vigilantiæ somno, frugalitatis luxuriæ, merces datur, eadem ista, quibus alios artibus assecutos vident, consectantur; qualesque sunt illi, tales esse et videri volunt, et, dum volunt, fiunt.

CAP. XLV. 1. Et priores quidem principes, excepto patre tuo, præterea uno aut altero,[k] et nimis dixi, vitiis potius civium, quam virtutibus, lætabantur: primum, quod

[h] *Pauci tam acri sunt judicio, quin ament aut abhorreant vitium virtutemque, prout sibi commodum est, aut secus.*

similes, omissa particula *et*, sic mutuo interpunctionem: *acuuntur isto integritatis et industriæ pretio similes: dissimiles alliciuntur.* Hoc enim dicere voluit Plinius: Istis honoribus, quos viris bonis, tanquam virtutis et industriæ præmium offers, magis acuuntur et stimulantur, ad prosequendum laudis curriculum, similes, h. e. alii boni: immo sic alliciuntur etiam atque ad virtutem pariter colendam flectuntur, dissimiles, h. e. qui alias non boni erant. Conjunctionem autem illam *et* jamdudum omisere Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Cuspinianus, Philomusus, Lipsius, Gruterus, alii. Prætermisit eandem codex Ms. Parisiensis. In nostro autem codice hæc legimus: *ii amicitia tua, ii judicio florent, acuuntur: isti integritatis et industriæ pretio similes dissimiles alliciunt.* Unde alii exsculpant, quod sibi placeat. Nos nihil in his invenimus, quod animum trahat in diversum, aut a priore sententia nostra nos revocet.' *Schwarz.* 'Ingeniosa hæc est et mollissima emendatio, quam non dubitarem in ipsum textum recipere, nisi deterreret constans codd. consensus in *isti;* receptaque scriptura commode exponi posset.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—8 Bentl. ad Hor. II. Sat. 1. 31. conj. *prout bene aut secus cessit.* Codd. Patav. Voss. Puteol. et Beroald. *expectant, fugiantve.* Mox, *ubi labori ...frugalitati* codd. Vat. 4. et Guelph. Denique, cod. Patav. *dum nolunt, fiunt;* et sic edidere Ascens. H. Steph. et Elzevir. in ed. an. 1640.

CAP. XLV. 1 Exc. Voss. *uno et altero.* Salisb. *et minus dixi;* Behr. in ed. Gedan. maluit, *et nimis multos dixi.* Cod. Patav. *quam v. delætabantur.* 'In codd. Vat. 3. et Venet. 1. librarii nescio quam ob causam, penitus prætererierunt hæc verba, in aliis tamen libris scriptis excusisque ob-

NOTÆ

ratur ad *pretio;* sed deficit veteris scripturæ auctoritas.

[k] *Uno aut altero*] Augusto fortasse et Tito. Mox, *nimis dixi.* Quia uterque vitiis non caruit; unde Dio lib. LXVI. Augustum cum Tito ingeniose comparans, hunc negat a Romanis diligendum, si minus vixisset; illum vero, si plus: quia hic necessariam primis imperii sui temporibus severitatem non mitigasset, ut fecit: neque illius felicitas potius, quam virtus nullis vitiis fortasse corrupta fuisset.

in alio sua quemque natura[l] delectat; deinde quod patientiores servitutis arbitrabantur, quos non deceret esse, nisi servos. 2. Horum in sinum[m] omnia congerebant; bonos autem otio, aut situ abstrusos, et quasi sepultos, non nisi delationibus[n] et periculis in lucem ac diem proferebant. 3. Tu amicos ex optimis legis: et, hercule, æquum est, esse eos carissimos bono principi, qui invisi malo fuerint. Scis, ut sunt[o] diversa natura dominatio et principatus; ita non aliis esse principem gratiorem, quam qui maxime dominum graventur.[a] 4. Hos ergo provehis,[b] et ostentas quasi specimen et exemplar, quæ tibi secta vitæ,[c] quod hominum genus placeat. Ideo non censuram[p] adhuc, non præfecturam morum, recepisti; quia tibi beneficio potius,

[a] *Gravate ferant.* [b] *Promoves ad honores.* [c] *Vivendi ratio.*

via, *primum, quod . . . servitutis arbitrabantur.* In cod. Paris. sola prima vox, *primum*, desideratur.' *Schwarz.* Mox, *deinde quos* Puteol. Beroald. Catan. Cuspin. Philomus. et Rhenan. *denique quos* codd. Paris. Venet. 2. Salisb. et Schwarzian. *denique quod* Vatt. 1. 2. 3. 4. et Guelph. Aldus primus veriorem lect. in lucem protulit. Porro, pro voce *patientiores*, Salisb. et ed. Ultraj. 1652. *patentiores*; Salisb. a m. sec. *parentiores*; cod. Patav. *quos patientiores.*—2 Cod. Patav. *aut situ obstrusos*; ita quoque Exc. Voss. cum edd. Puteol. Ald. Cuspin. Rhenan. Ascens. et Nav.—3 *Tum amicos* cod. Patav. Vox *legis* deest in codd. Paris. Patav. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. et Exc. Voss. item in edd. Puteol. Beroald. et Rhenan. Mox, *qui minus si in malo fuerint* codd. Patav. et Voss. *qui imus si in malo* cod. Paris. *qui immunes in malo* Venet. 1. *qui si in malo*, relicto spatio brevi, Venet. 2. *qui formidolosi malo* Vatt. 2. 3. 4. et Guelph. *qui invisi in malo* Vat. 1. *qui odiosi malo* Salisb. *Scis, ut sint* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venet. 2. Guelph. et Schwarzian. *Scis ut sicut* cod. Patav. et edd. vett. *Scis ut sunt* cod. Paris. item edd. Cellar. Livin. Bongars. et recentt. Paulo post, *dominum gravem gerit* codd. Patav. et Exc. Voss. *domino graventur* codd. Vat. et Guelph. *dno graventur* Salisb. *dominum graventur* codd. Paris. Venet. 1. 2. Schwarzian. et edd. omnes.—4 *Et ideo non* cod. Patav. aliique ap. Schwarz. *Et* deest in edd. Beroald. Ald. Catan. Rhenan. Junt. Ascens. Gryph. Hearn. et recentt. Paulo post, cod. Venet. 1. *prius, quam remediis*; Patav. *beneficiis*

NOTÆ

l *Sua quemque natura*] Notum illud Aristotelis: 'simile simili gaudet.'

m *Horum in sinum*] Ut in illos caderet illud Juvenal. Sat. I. 35. 'Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,' &c.

n *Non nisi delationibus*] Neque e latebris, ubi erant inglorii, prodibant, nisi cum falso accusati, in judicium venire cogebantur.

o *Ut sunt* [*sicut*] Alii legunt, *ut sunt*; quod satis placet.

p *Non censuram*] Alludit haud dubie ad Augustum, qui censoris quidem nomine recusato, 'morum præfectus' dici voluit, ut tradit Sueton. in Augusto cap. 27. Trajanum longe illo modestiorem fuisse dicit, qui utrum-

quam remediis, ingenia nostra experiri placet.[d] Et alioqui nescio, an plus moribus conferat princeps, qui bonos esse patitur, quam qui cogit. 5. Flexibiles quamcumque in partem ducimur a principe, atque, ut ita dicam,[q] sequaces sumus. Huic enim cari, huic probati, esse cupimus, quod frustra speraverint[r] dissimiles; eoque obsequii continuatione pervenimus, ut prope omnes homines unius[s] moribus vivamus. Porro, non tam sinistre constitutum est, ut,[e] qui malum principem possumus, bonum non possimus, imitari. 6. Perge modo, Cæsar, et vim effectumque censuræ, tuum propositum,[f] tui actus[g] obtinebunt. Nam vita principis censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur; nec tam imperio[t] nobis opus est, quam exemplo. Quippe infidelis recti[u] magister est metus. Melius

[d] *Quoniam vis explorare an munificentia tua plus quam censoria notatione anim nostri ad virtutem excitentur.*

[e] *Non tam malignam indolem a natura hausimus, ut, &c.*

[f] *Macte igitur, Cæsar, et tuum institutum, tuæ actiones eundem effectum habituræ sunt ac si censor esses.*

[g] *Actiones.*

potius, quam, &c. Porro, *qui bonos esse patiatur* cod. Schwarz. *quam qui cogat* Salisb. *quam qui tegit* Vat. 1.—5 Plurimi codd. et edd. vett. *speraverunt dissimiles;* Salisb. *speravert;* solus Paris. *speraverint;* et sic Bongars. Grut. Plant. 1622. Græv. Hearn. Cellar. et Gesn. *eosque obsequii c. prævenimus* cod. Patav.—6 '*Perge m. C. ut vim ... obtineant* cod. Venet. 2. sed melior est lectio vulgata.' *Schwarz.* Paulo post, *nobis opus, quam exemplo,* omisso *est,*

NOTÆ

que cum reipsa implerit, neutrum pro singulari sua modestia admiserit. Censorii autem erat muneris locare publica, senatum legere, populum censere, inquirere in omnium mores, alios senatu movere, aliis equum publicum adimere, alios in Cæritum, id est, in censorias tabulas referre, &c.

[q] *Ut ita dicam*] Ita Tullius docet emolliendas voces, quæ paulo duriores sunt, neque satis usu receptæ, ut ista *sequaces*, quæ poëticum quiddam olet.

[r] *Speraverint* [*speraverunt*] Malim *speraverint*, ut post Bongarsium Grutero placet, id est, quod frustra sperent quicumque ipsi dissimiles, nempe mali.

[s] *Unius*] Id est, principis, quem omnes, ut ait ingeniose Lipsius, ut solem spectant, et ab eo quasi colorantur. 'Qualis princeps fuit, tales reliquos cives esse,' inquit Tullius ex Platone.

[t] *Nec tam imperio*] Imperium enim animos exasperat, allicit exemplum.

[u] *Infidelis recti*] Sumtum illud e Tullio Philip. II. 36. 'Timor non diuturnus magister officii.'

homines [v] exemplis docentur; quæ inprimis hoc in se boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt, fieri posse.[h]

CAP. XLVI. 1. Et quis terror valuisset efficere quod reverentia tui effecit? Obtinuit aliquis,[a] ut spectaculum pantomimorum populus Romanus tolli pateretur; sed non obtinuit, ut vellet.[b] 2. Rogatus es tu, quod cogebat alius, cœpitque esse beneficium, quod necessitas fuerat. Neque enim a te minore concentu, ut tolleres pantomimos; quam a patre tuo, ut restitueret, exactum est. 3. Utrumque recte:[c] nam et restitui oportebat, quos sustulerat malus princeps, et tolli restitutos. In his enim, quæ a malis bene

[h] *Quod re ostendunt fieri posse, quæ imperant.*

codd. Vatt. Venet. 2. et Guelph. *homines exemplis docent* Patav. Denique, *quæ præcipiuntur* conj. Aug. Heumann.

CAP. XLVI. 1 *Et his terror* Cellar. *voluisset efficere* Guelph. *reverentia tua* Venet. 2. *reverentia effecit* Guelph. *efficitur* Schwarzian. Mox, plerique codd. et edd. *P. R.* aut *Po. Ro.* unde H. Steph. Elzevir. Rivin. et Kirchmaier. effinxerunt *Populi Romani;* aliæ, ut R. Steph. Junt. Gryph. et Sichard. *Populo Romano;* codd. Vat. 4. Guelph. edd. Cuspin. et recentt. *Populus Romanus.*—2 Codd. Patav. et Voss. *cœperit esse beneficium.* Pro *concentu*, Lat. Latinius conj. *contentu;* et sic legitur in codd. Patav. Schwarzian. et Exc. Voss.—3 ' Quædam edd. ut Puteol. Beroald. Catan. Ald. Junt. Cuspin.

NOTÆ

[v] *Melius homines*] Cui non auditum illud Senecæ, 'Longum iter per præcepta, breve et efficax per exempla?'

[a] *Obtinuit aliquis*] Tiberius quidem 'abegit histriones Italia,' Tacit. An. IV. Nero 'pantomimorum factiones una cum ipsis relegavit,' Sueton. cap. 16. Domitianus vero 'interdixit histrionibus scenam, intra domum quidem exercendi artem jure concesso,' Sueton. cap. 7. Locum hunc de isto intelligendum tum interpretes consentiunt, tum demonstrant ea quæ mox consequuntur: *pantomimi* autem dicti ἀπὸ τοῦ πάντα μιμεῖσθαι, quod in scenis, gestu, saltatione, motuque corporis omnia exprimerent et imitarentur.

[b] *Non obtinuit ut vellet*] Tiberio quidem et Neroni populus assensus est, sed non ex animo. Tu vero usque eo apud populum potens fuisti, ut non tantum id ex animo voluerit, sed etiam idipsum a te beneficii loco tam enixe petierit, quam ægre illud antea passus erat.

[c] *Utrumque recte*] Ingeniosus si quis est alius in toto panegyrico locus: sic enim laudat Trajanum, quod pantomimos aboleverit, ut simul laudet Nervam a quo paulo ante restituti erant.

fiunt, hic tenendus est modus, ut appareat, auctorem [d] displicuisse, non factum. 4. Idem ergo populus ille aliquando scenici imperatoris [e] spectator et applausor, nunc in pantomimis quoque aversatur, et damnat effœminatas artes, et indecora sæculo studia. 5. Ex quo manifestum est, principum disciplinam capere etiam vulgus; cum rem, si ab uno fiat, severissimam fecerint omnes.[a] Macte [f] hac gravitatis gloria, Cæsar, qua consecutus es,[g] ut, quod antea vis et imperium, nunc mores vocarentur. 6. Castigaverunt vitia sua ipsi, qui castigari merebantur; iidemque emendatores, qui emendandi fuerunt. Itaque nemo de severitate tua queritur; et liberum est queri. 7. Sed, cum ita comparatum sit, ut de nullo minus principe querantur homines, quam de quo maxime licet; *tum tuo* [h] in sæculo nihil est,

[a] *Unde patet etiam plebem principum mores sequi posse, cum id in re gravissima omnes præstiterint.*

Rhenan. Philomus. Plant. Berneg. ita transposuerunt hæc verba: *auctorem, non displicuisse factum.* Sed præfero ordinem, quem aliæ edd. referunt, quem et confirmant codd.' *Schwarz.* Patav. *auctorem, non displicuisse factum;* Exc. Voss. *at displicuisse non factum.*—4 *Idem ergo populus aliquando* cod. Patav. *spectator et plausor* codd. Vatt. Salisb. Guelph. et Venet. 2. Mox, codd. Vatt. Patav. Salisb. Venett. 1. 2. Guelph. et Schwarzian. item edd. Puteol. Catan. Ald. Junt. Philomus. Rhenan. R. et H. Steph. Gryph. Sichard. Grut. Elzevir. Boxhorn. et Patarol. *adversatur et damnat;* unde Ceva, *nunc pantomimis quoque adversatur.*—5 Codd. Vatt. et Salisb. *quod antea jus et imperium.*—6 Codd. Vatt. Venett. Patav. et Schwarzian. *qui castigare merebantur.* Mox, *de servitute tua* ed. Cevæ. *ut liberum est queri* cod. Patav. et Exc. Voss.—7 Behrius conj. *ut de nullo magis principe querantur homines.* '*Tum tuo in sæculo*] Pro

NOTÆ

[d] *Auctorem*] Ut Lacedæmonii, qui bonam sententiam, ab improbo homine in senatu dictam, jusserunt a bono iterum dici, eique inscribi, ut sic bona sententia maneret, turpis auctor mutaretur. Ita ex A. Gell. XVIII. 3. refert Lipsius.

[e] *Scenici imperatoris*] Neronis ea re plus satis noti.

[f] *Macte*] Id est, magis aucte. Sic victima, in quam infusum erat vinum aut thus, macta vino aut thure dicebatur. Hinc vocem illam ad alia translatam putat Servius. Modo cum secundo, modo cum sexto casu jungitur. 'Macte nova virtute puer,' Æneid. IX. 641. 'Macte animi,' Martial. XII. 6. Interdum adverbium est: 'Macte amare,' id est, maxime, Plautus in Milite Glor. 'Macte scribere,' id est, mature, Cicero ad Att. VI. 9.

[g] *Consecutus es*] Effecisti ut quod initio nonnisi vi, et imperio adhibito, idipsum nunc sua sponte, atque consuetudine faciant.

[h] *Tum tuo* [*tamen*] Lege cum Livineio *tum*, vel *tu*, vel utrumque.

quo non omne hominum genus lætetur et gaudeat. Boni provehuntur; mali, qui est tranquillissimus status civitatis, nec timent,[i] nec timentur. 8. Mederis erroribus, sed implorantibus; omnibusque,[j] quos bonos facis, hanc astruis laudem, ne coëgisse videaris.

CAP. XLVII. 1. Quid? vitam, quid? mores juventutis,[k] quam principaliter[b] formas! Quem honorem dicendi ma-

[b] *Ut principem decet.*

particula *tum*, ubique antehac evulgatum erat *tamen*. Livineius in vetere codice invenerat scriptum *tum*; hinc effinxerat per conjecturam, *tum tuo sæculo*. Lipsius malebat pro *tum* duntaxat *tuo*: cui conjecturæ calculum addit codex Ms. Guelpherbytanus, ubi loco *tum*, vel *tamen*, diserte positum est *tuo*: quam lectionem etiam observarunt Is. Vossius et Gudius. In codice nostro ambigue scriptum *tū*; ut vel *tum*, vel fortasse *tuo*, legere possis. Opportune vero pronomen hoc restituitur loco proposito. Particula *cum*, vel *quum*, quæ sub initium hujus periodi legitur, hic significat *quoniam*, et conjungitur cum verbo conjunctivo, uti apud Cic. Off. I. 3. 'Cum Athenas,' &c. Non adeo hæc necessario requirit, ut sibi respondeat altera particula *tum*; sed simpliciter cum Lipsio legere possumus, *tuo in sæculo nihil est*: quamvis nec penitus repugnet genio linguæ Latinæ, si quis ex mente Livineii scribere velit, *tum tuo in sæculo*, h. e. tuo in principatu.' *Schwarz*. Vide Nott. Varr. *tamen in sæculo nihil est* cod. Patav. *tamen in sæculo nihil est, quo omne hominum, &c.* Elz. *et gaudent boni: provehuntur mali* cod. Patav. Paulo post, cod. Paris. *nec timent.*—8 *Vitiorum pœnitentiam expectas; mederis erroribus* Cuspin. Grut. Parisienses, Baun. et Patarol. *Vitiorum pœnitentiam expectans*, et *Vitiorum emendationem expectas* annotavit Gudius ad H. Stephani editionem. 'Utcumque vero est, haud ægro animo dimittimus hunc panniculum, purpuræ Plinianæ aliunde assutum, et fortasse ex glossa contextum; quem neque alii codices Mss. agnoscunt. Contra vero, nisi audaciæ nomen incurramus, etiam sine astipulatione librorum, quos inspeximus, pro *implorantibus* malimus reponere *implorantium*. Nescio enim, quam καταχρηστικῶς *errores* hic dicantur *implorantes*? Luculentius dici crediderim, *mederis erroribus, sed implorantium*, i. e. 'cupientium sanari.' Casus vero dandi forte irrepsit ex inertia librariorum, qui hoc participium vel ad præcedens nomen *erroribus*, vel ad sequens vocabulum *omnibus*, (quod in Guelpherbytano codice sine particula ἐγκλιτικῇ *que* scriptum est,) referendum esse, opinati sunt.' *Schwarz*. 'Ego sententiæ convenientius existimaram, si ἀπὸ κοινοῦ verbum revocaretur, *mederis erroribus, sed mederis implorantibus*, sc. iis qui talibus erroribus laborabant.' *Arntz*. Vide Nott. Varr.

CAP. XLVII. 1 Vulgo interpungunt, *Quid vitam? quid m. juventutis? quam*

NOTÆ

[i] *Nec timent*] Timent quidem, sed non plusquam satis est, neque ita, ut desperatione inducti ad nefaria molienda se convertant. Trajanus enim in malos animadvertebat, sed, quod prudentis imperatoris erat, non nimis aspere.

[j] *Omnibusque*] Et eos omnes quos ad meliorem frugem aut monitis tuis aut exemplo reducis, laudas protinus, quasi suæ illos nequitiæ pœnituisset, et id sponte fecissent potius, quam a te coacti.

[k] *Mores juventutis*] Dio Trajanum

gistris;[l] quam dignationem sapientiæ doctoribus, habes![c] Ut sub te spiritum,[m] et sanguinem, et patriam, receperunt studia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat;[d] cum sibi vitiorum omnium conscius princeps, inimicas vitiis artes, non odio magis, quam reverentia,[n] relegaret! 2. At tu easdem artes in complexu,[o] oculis, auribus, habes. Præstas enim, quæcumque præcipiunt; tantumque eas diligis, quantum ab illis probaris. 3. An quisquam studia humanitatis professus, non cum omnia tua, tum vel inprimis laudibus ferat admissionum[p] tuarum facilitatem?[e]

[c] *Quam facis magni!*
[d] *Docti quos superioribus temporibus barbari principes exilio multabant.*
[e] *Hanc nullus qui vel tantillum humanus sit, cum omnia quæ in te sunt, tum inprimis non laudet comitatem qua omnes admittis.*

principaliter formas? Mox etiam vulgo legitur, *quam dignitatem.* 'Pro vocabulo *dignitatem* habet codex Guelpherbytanus, habet et noster, *dignationem.* Invenit et Gudius in Mss. Idem jam publicarunt Cuspinianus, Lipsius, Gruterus, Frischmannus, sive Berneggerus, Hackius, de la Baune. Hearn. Patarol. Ceva. Sic et Plinius infra cap. LXXVII. 3. 'Tantum dignationis in ipso honore ponebat,' &c.' *Schwarz.* '*Dignitatem* tamen ex vulgatis edd. retinuit Marklandus ad Statium Silv. II. in præf. ubi phrasin hanc, 'habere honorem,' et similia illustrat.' *Arntz.* Mox, Exc. Voss. *at patria;* cod. Patav. *et patria receperint studia.* Cod. Paris. *studia nostra, quæ priorum immanitas, &c.* Exc. Voss. et cod. Patav. *exilii puniebat.*—2 *At tu e. a. in sinu, complexu* cod. Paris.—3 *An q. s. h. p. n. cum omnia studia* cod. Patav.—4 Cod. Patav.

NOTÆ

refert, simul Romam advenit, multa civitatibus Italiæ ad puerorum et victum et educationem concessisse.

[l] *Dicendi magistris*] Victor de Trajano: 'Eruditissimos, quamvis ipse parcæ esset scientiæ, moderateque eloquens, diligebat.'

[m] *Sub te spiritum*] Oblique notat Domitiani tempora, cum philosophi simul et mathematici edicto ex Urbe ejecti, partim in Hispaniam, partim in Libyæ Scythiæve deserta confugerunt. Tumque Demetrius philosophus ab Urbe expulsus, instituta cum Apollonio Tyaneo sermocinatione, 'Cicadis,' inquit, 'licet impune canere, nobis ne quidem mutire fas est.'

[n] *Quam reverentia*] Pudore: quasi si immanitatem suam sibi exprobrarent.

[o] *In complexu*] Complecteris, foves.

[p] *Admissionum*] 'Ab admissionibus,' vel 'admissionales' dicebantur qui ad salutandum principem ex officio eos admittebant, quibus eo convento opus erat. His qui præerat 'magister admissionum' vocabatur. Quod Palatinum officium Claudii et Neronis temporibus institutum erat. Hi autem sub aliis principibus duri et feroces, sub Trajano mirum quam faciles et comes.

4. Magno quidem animo parens tuus[q] hanc ante vos principes arcem[r] publicarum ædium nomine inscripserat; frustra tamen, nisi adoptasset, qui habitare ut in publicis posset. Quam bene cum titulo isto moribus tuis convenit; quamque omnia sic facis, tanquam non alius[s] inscripserit! 5. Quod enim forum, quæ templa tam reserata? non Capitolium, ipsaque illa adoptionis tuæ[t] sedes, magis publica, magis omnium. Nullæ obices, nulli contumeliarum gradus;[u] superatisque jam mille liminibus, ultra semper aliqua dura et obstantia. 6. Magna ante te, magna post te, juxta te tamen maxima quies; tantum ubique silentium, tam altus pudor, ut ad parvos penates,[v] et larem angustum, ex domo principis modestiæ et tranquillitatis exempla referantur.

hanc ante hos principes artem. Exc. Voss. edd. Puteol. Beroald. Ald. Cuspin. Rhenan. Philomus. Steph. Gryph. Sichard. Livin. et Boxhorn. *hos.* Guelph. *artem.* Mox, *quanquam omnia sic* edd. Puteol. Ald. Cuspin. Gryph. Boxhorn. et Cellar. *non alius transcripserat* Guelph.—5 *Quod tum forum, quæ templa tam reserta* Exc. Voss. *Quod cum forum, quæ templa tam reserta* Patav. Mox, *Nulli obices* codd. Guelph. Patav. Vatt. Exc. Voss. et ed. Arntz. ceteri omnes codd. et edd. habent *Nullæ obices.* Schwarzian. *nullus c. gradus.* Cod. Patav. *jam mille hominibus;* Vat. 4. *jam m. limitibus;* Vat. 3. *jam m. luminibus.*—6 *Nisi ante magna,* omisso pronomine *te,* unicus cod. Paris. *juxta tamen,* omisso pronomine *te,* Puteol. Catan. Ald. Junt. Rhenan. Philomus. H. et R. Steph. Plant. Elz. Berneg. Græv. Cev. Gesn. et Arntz. Mox, pro *tam altus pudor,* codd. Vatt. et Guelph. *tantus pudor.* Denique, *exemplar referatur* Schwarzian. *exemplar referantur* codd. Paris. Salisb. Venet. 2. et ed. Grævii.

NOTÆ

[q] *Parens tuus*] Nerva, priusquam tu vel etiam ille imperio potiretur.

[r] *Arcem*] Albanam, ut putat Baudius. Imperatores Romanos quatenus pontifices maximos in publica domo habitare oportebat. Quamobrem Dio in Augusto l. LXV. in actis an. U. C. 741. refert Augustum, cum ei tanquam pontifici maximo publica domus a senatu offerretur, recusasse illam quidem, sed suarum ædium partem publicam esse jussisse. Demum, ut idem addit libro sequenti, illam, cum incendio conflagrasset, refectam ab Augusto, et totam esse publicam factam. Fortasse titulum hunc a ceteris imperatoribus erasum restituerat Nerva, quod factum Plinius hoc loco exaggerat.

[s] *Tanquam non alius*] Quasi tu ipse, non Nerva, id in palatii vestibulo inscripsisset.

[t] *Ipsaque illa adoptionis tuæ*] Artem nota; nihil enim suavius Trajani auribus esse poterat, quam ejus adoptionis mentio maxime cum præter expectationem fieret, ut hoc loco.

[u] *Contumeliarum gradus*] Quia enim aliæ ex aliis fores, alii ex aliis superbi janitores sub aliis principibus erant expugnandi, iterum erant iterumque contumeliæ devorandæ: sed nihil tale in Trajani palatio.

[v] *Ad parvos penates*] Id est, ad te-

CAP XLVIII. 1. Ipse autem, ut excipis omnes! ut expectas! ut magnam partem dierum inter tot imperii curas; quasi per otium,[a] transigis! Itaque non, ut alias, attoniti,[b] nec, ut periculum capitis adituri tarditate,[c] sed securi et hilares, cum commodum est, convenimus. 2. Et, admittente principe,[a] interdum est aliquid, quod nos domi quasi magis necessarium teneat.[b] Excusati semper tibi, nec unquam excusandi, sumus.[d] Scis enim, sibi quemque præ-

[a] *Vel cum imperator copiam sui facit.* [b] *Retineat.*

CAP. XLVIII. 1 *Itaque non alii ut attoniti* Patav. *Itaque non alii et attoniti* Exc. Voss. 'Nihil in his movendum arbitror, quanquam in codice Ms. Parisiensi et nostro priora verba aliquantum variata deprehendamus, *Itaque, non alii et attoniti, nec ut periculum, &c.* Quam lectionem etiam Is. Vossius, et in margine editionis suæ, Livineius ac Gryphius, animadverterunt. In quam cum etiam inciderit Lipsius, eam magis probavit, et sic interpretatus est: 'Itaque non colore vultuque alio, et a prioribus demutantes, prout est facies metus.' Immo, pro *tarditate,* maluit *tarde ad te,* i. e. non cunctanter et trepide te adimus; sed hilares et secure. Verum, plana est sententia vulgatæ lectionis, cui nec scriptorum nec cusorum librorum deest auctoritas. Ait vero Plinius: Trajano imperante, cives, non, ut alias sive alio tempore, scilicet sub malis principibus, trepidos et attonitos, nec tarditatis causa periclitaturos, id est, si quando tardiores venerint, moræ culpam capite luituros; sed securos et hilares, ac cum commodum esset, Cæsarem adire posse? *Tarditate* hic valet idem ac propter tarditatem. Unde omnia sana et perspicua apparent, neque indigent medica manu. Recte ergo Baudius de tentata horum verborum mutatione: 'Quid opus fuit,' inquit, 'convellere sententiam, optime positam? Non est ea medicina, cum sanæ parti corporis atque integræ scalpellum adhibetur: carnificina est ista et crudelitas.'' *Schwarz.* '*Itaque nos alii nec att.* Guelph. *non alii ut* Puteolani editio et Veneta; *non alii et* in margine etiam videtur prætulisse Perizonius. Et ad eam scripturam facit Virg. Georg. IV. 254. 'Continuo est ægris alius color; ubi Servius, 'id est, pallidus.' Alteram tamen scripturam prætulerim, solet enim ubique Plinius seculi Trajani felicitatem componere cum reliquis præcedentium temporum calamitatibus.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—2 *Scis*

NOTÆ

nuiorum domos; penates autem et larem sumi sæpissime, ut hoc loco, pro domo ipsa, nemini notum non est. De Diis penatibus adiri potest Macrob. Saturn. lib. III. De illorum sede et forma, Dionys. Halicarnass.

[a] *Quasi per otium*] Amœnissimis sermonibus, quasi multum tibi a magnis imperii negotiis esset otii.

[b] *Non, ut alias, attoniti*] In aliis est *non alii et attoniti;* id est, non alio vultu et colore, ut iis accidit qui metu perculsi sunt. Vel si manet ista scriptura, id est, non ut quos olim Domitianus Albanam in arcem 'traxerat attonitos, et festinare coactos,' Juvenal. Sat. IV. 145.

[c] *Tarditate*] Capite plectendi, si tardiores veniremus, ut de Pegaso refert Juvenal. Sat. IV. 77.

[d] *Excusandi sumus*] In Viennensi editione additum est *magis.*

stare,[c] quod te videat, quod te frequentet: ac tanto liberalius[e] ac diutius voluptatis hujus copiam præbes. 3. Nec salutationes tuas fuga et vastitas[f] sequitur.[d] Remoramur, resistimus, ut in communi domo, quam nuper illa immanissima bellua[g] plurimo terrore munierat; cum velut quodam specu inclusa, nunc propinquorum[h] sanguinem lamberet; nunc se ad clarissimorum civium[i] strages cædesque proferret. 4. Obversabantur foribus horror[j] et minæ, et par metus admissis et exclusis.[k] Ad hæc ipse occursu

[c] *Neque enim ignoras sua quemque causa facere, &c.*
[d] *Nec postquam te salutavimus, recedimus statim, ita ut in palatio sit magna solitudo.*

enim,... quod te videat, quod frequentet, omisso altero *te,* codd. Vatt. Paris. Schwarzian. et Salisb. a m. pr. Mox *et tanto l. ac diutius* codd. Vatt.—3 *Remoramur, restitimus* cod. Patav. et Exc. Voss. Mox, pronomen *illa* deest in multis codd. at illud tuentur codd. Vatt. Venett. 1. 2. Guelph. Schwarzian. edd. Puteol. 1476. Venet. 1498. Cuspin. Philomus. Gryph. Sichard. Grut. Putean. Baun. Patarol. et Cev.—4 *Observabantur* Ascens. et sic notavit Juretus in ed. Gryph. 1551. *Ad hoc ipse* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venett. 1. 2. et Guelph. Pro *occursu* Vatt. et Guelph. habent *concursu.* Paulo post,

NOTÆ

[e] *Tanto liberalius*] Atque eo liberalius et diutius nobiscum versaris, quod nostra causa id facis, non tua.

[f] *Fuga et vastitas*] Ut e latronum et sicariorum domicilio, unde cum primum dicet pes effertur.

[g] *Bellua*] Domitianus, quem toto hoc loco comparat cum bellua, quæ ex vasto et interiore quodam specu ad cædes interdum prorumpit, et, quemadmodum Virgilius de Cyclope dicit, 'visceribus miserorum, et sanguine vescitur atro,' Æneid. III. 622.

[h] *Propinquorum*] Nempe, ut ait Eutropius, Flavios Clementem et Arretinum patrueles suos interfecit; ac, si Plutarcho fides est, Titum fratrem, dato ei in cibum lepore marino, qui piscis quosdam humores occultos ac mortiferos habere dicitur; vel, ut a nonnullis Græcis proditum, eo, dum spiraret adhuc, in arcam ligneam nivis plenam, per causam medicinæ faciendæ conjecto, ibique interfecto; seu demum, quod Zonaras et Dio narrant, prinsquam efflaret animam pro mortuo efferri jusserit. Omnino ferunt Titum olim ab Apollonio nescio quo monitum, ut sibi a propinquissimis caveret.

[i] *Clarissimorum civium*] Puta multos consulares, ut Julium Agricolam Taciti socerum, plures senatores, Ælium Lamiam, Salvium Coccianum, Mitium Pomposianum, &c. Videri possunt Tacitus de Vita Julii Agricolæ, et Suetonius in Domitiano.

[j] *Foribus horror*] Mihi videor Acherontis ingressum intueri. 'Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus orci Luctus et ultrices posuere cubilia curæ,' &c. Æneid. VI. 273.

[k] *Admissis et exclusis*] Quos enim blandiori vultu admiserat, nihil minus timebant quam qui ab superbia ejus

quoque visuque terribilis: superbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore[l] suffusa. 5. Non adire quisquam, non alloqui, audebat, tenebras semper[m] secretumque captantem; nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem[n] faceret.

CAP. XLIX. 1. Ille tamen, quibus sibi parietibus[o] et muris salutem suam tueri videbatur, dolum secum,[p] et insidias, et ultorem scelerum, Deum,[q] inclusit. Dimovit perfregitque custodias pœna, angustosque[r] per aditus et obstructos, non secus, ac per apertas fores, et invitantia limina, irrupit: longeque tunc illi[s] divinitas sua, longe arcana

pallor in corpore, imprudentia Patav. *imprudentia* est etiam in Exc. Voss. Porro, Rittershus. conj. *nullo rubore suffusa;* Behrius, *frustra rubore suffusa.* Vide Nott. Varr.—5 '*Ut solitudinem faceret*] Lipsius pro voce *solitudinem* maluit legere *solicitudinem;* sed neque idonea quadam ratione, neque ullius libri suffragio nixus.' *Schwarz.*

CAP. XLIX. 1 Cod. Patav. et Exc. Voss. *nec secus ac per apertas.* Paulo

NOTÆ

satellitibus exclusi fuerant. Erat enim perfide crudelis. Sic Clementem et Arretinum amicissime, ut videbatur, in palatium accersitos, morte per summam perfidiam postero die damnavit.

[l] *Multo rubore*] Impudens rubor. Annon hæc pugnant? Neutiquam. 'Rubore se contra pudorem muniebat,' Tacitus de Domitiano in Agricolæ Vita; et Seneca Ep. XI. 'Quidam nunquam magis, quam cum erubuerint, timendi sunt; quasi omnem verecundiam effuderint.'

[m] *Tenebras semper*] At, si Suetonio credimus, 'inter initia principatus, quotidie secretum sibi horarium (id est, unius horæ) sumere solebat,' c. 3. Si ergo initio tantum principatus, si per horam unam tantum in secretum se abdebat, cur Plinius dicit *semper?* Solvit hunc nodum Casaubonus in hunc locum, quem tu consule.

[n] *Solitudinem*] Nisi ut quotidianis cædibus civium domos desolaret.

[o] *Parietibus*] Quos scelerum suorum conscius imperator, 'phengite' (lapis est duritia et candore marmor referens, aliquantisper translucens ac fulvus) 'distinxit, ut, quicquid a tergo fieret, videret.' Suet. in Domit. c. 13.

[p] *Dolum secum*] Nam a domesticis et cubiculariis suis, etiam Domitia uxore conscia, dolo est oppressus. Sueton.

[q] *Deum*] Opinor, Jovem intelligit. Sic enim Dio et Suetonius referunt Palladem, quam Domitianus peculiari religione colebat, in somnis ei astitisse, armis ab Jove spoliatam, atque e curru quem nigri equi trahebant in barathrum labentem; quasi pro eo stare amplius contra Jovem non posset.

[r] *Angustosque*] Quia obstructi erant custodum frequentia.

[s] *Longeque tunc illi*] Tum sua eum

illa cubilia, sævique secessus,[t] in quos timore, et superbia, et odio hominum, agebatur. 2. Quanto nunc tutior, quanto securior, eadem domus; postquam[u] non crudelitatis, sed amoris excubiis;[v] non solitudine et claustris,[w] sed civium

post, pro *divinitas* Guelph. a m. sec. et Exc. Voss. habent *diversitas*. Nonnullæ quoque edd. *illa* expellunt, quod tamen omnes codd. et edd. antiq. vindicant.—2 *Quantunc tutior* cod. Patav. Mox, in eodem cod. *post ejus non crudelitatis*. 'Eleganter codex noster posteriora hujus periodi verba ita complet: *postquam ejus non crudelitatis, sed amoris, excubiis; non solitudine et claustris, sed civium celebritate, defenditur*. Quod complementum utique desiderat concinnitas orationis, qua contraria contrariis opponuntur. Civium autem *celebritas* hic pro 'frequentia' dicitur, atque opponitur *solitudini*, haud secus ac apud Cic. ad Attic. XII. 13. 'Me hæc solitudo minus stimulat, quam ista celebritas.' Atque sic hanc lectionem recte receperunt Cuspin. Gryph. Lips. Grut. Frischman. Hack. Patarol. Ceva. Quod vero ad pronomen *ejus* attinet, quod in eodem loco particulæ *postquam* subjicitur; dudum animadvertit Livineius, in vitio esse ea verba, quamlibet consentiant libri. At parum feliciter per additam vocem *aditus* explere voluit. Lipsius etiam hæsitabundus: 'Legendum,' inquit, '*postquam ea;* aut vocula deest, *dominus ejus*, talisve.' Candide de his emendandi rationibus Baudius: 'Ut JCti,' inquit, 'sine lege; ita nos sine auctoritate erubescimus loqui.' Codex noster, tantum abest ut nos hic juvet, ut pro *postquam ejus*, corrupte referat *post ejus:* nisi eo ipso suspicionem firmet, excidisse nonnihil ex isto loco. At alterum exemplar Gudianum pro *postquam*, in margine habet *quum*, pronomine *ejus* plane omisso, hunc in modum: *Quanto nunc tutior, quanto securior, eadem domus; quum non crudelitatis, sed amoris excubiis, &c.* Quæ emendatio, si antiquioris codicis auctoritate se tueatur, bene recteque se habet.' *Schwarz.* 'Hic tibi subscribo, nisi quod pro *ejus* rescribere *tuis* gestio.' *Heuman.* '*Aditus ejus* explebat quoque Abramus ad Cic. Phil. II. 44. *postquam ea* expressit Erud. Gesnerus. *Quum non* Guelph. non male id quidem, sed sine ulla necessitate. VV. DD. offensioni fuit innocua vocula *ejus*, et in perplexiori, ut patet, constructione hæsitarunt. Ipsissima hæc est Plinii manus, tu modo *ejus* construe cum *crudelitatis*, et Domitianum intellige.' *Arntz.* Vide Nott. Varr. Mox, hæc tria verba, *sed civium celebritate*, desunt in cod. Patav. et edd. Beroald. Ald. Rhenan. Philomus. Nav. Livin. Steph. Cellar. et Boxhorn. quæ tamen servant omnes alii codd. cum edd. Cuspin.

NOTÆ

nihil juvit divinitas. Simile illud Æneid. XII. 52. 'Longe illi Dea mater erit.' Nihil enim juvant, quæ longe a nobis et procul posita sunt; contra vero adesse, idem ac juvare. Florus II. 2. de primo bello Punico, 'Longe illis nauticæ artes,' &c. id est, nihil illis profuerunt.

[t] *Sævique secessus*] Ubi Domitianus viros principes, quasi ad familiare colloquium evocatos, ut supra diximus cap. XLVIII. not. [k] per dolum occidebat. Tacitus.

[u] *Postquam* [*ejus*] Addit Livin. *aditus:* Lips. *dominus*; vel pro *ejus* restituit *ea* aut *servus*. Certe aliqua est mutatione opus.

[v] *Excubiis*] 'Vigiliæ' nocturnæ sunt tantum; 'excubiæ' vero sumuntur pro militibus sive die seu nocte in statione positis.

[w] *Non solitudine et claustris*] Non recessibus et claustris populos a principis limine arcentibus.

celebritate, defenditur! 3. Ecquid ergo? discimus experimento, fidissimam esse custodiam principis, ipsius innocentiam.[x] Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate[y] non fuerit: arma enim armis irritantur. 4. Num autem serias tantum partes[z] dierum in oculis nostris cœtuque consumis? Non remissionibus tuis eadem frequentia, eademque illa socialitas, interest?[*] 5. Non tibi semper in medio[a] cibus, semperque mensa communis? non ex convictu nostro[b] mutua voluptas? non provocas[c] reddisque sermones? non ipsum tempus epularum tuarum, cum frugalitas contrahat, extendit humanitas? 6. Non enim, ante medium diem[d] distentus[e] solitaria cœna,[f]

[*] *An non relaxationibus tuis eadem multitudo, eademque sodalitas adest?*

Gryph. Lips. Grut. Berneg. Græv. Patarol. Cev. et recentt.—3 *Etquid ergo* cod. Patav. *Et quid ergo* codd. alii ap. Schwarz. et quædam edd. antt. Mox, *fidelissimam esse* cod. Patav. Exc. Voss. edd. Ascens. H. Steph. Elz. Rivin. Kirch. et Cellar. Pro *custodiam* Guelph. *discordiam.* Porro, *Hæc arx inaccessibilis* ed. Patarol.—4 *Num autem,* et superscriptum *Non,* cod. Patav. Mox Baudius edidit *cœtusque consumis.* Deinde, edd. Catan. Ald. Cuspin. Sichard. et aliæ quædam, *Num remissionibus, &c.* Cod. Patav. *eademque socialitas.*—5 *Num tibi ... num ex convictu ... num provocas ... num ipsum, &c.* edd. Catan. Ald. Cus-

NOTÆ

[x] *Innocentiam*] Notum illud Horatii I. Od. 22. 'Integer vitæ scelerisque purus, Non eget Mauri jaculis, nec arcu,' &c.

[y] *Septus caritate*] Tale illud Tullii Philipp. II. 'Caritate septum esse oportet, non armis.'

[z] *Serias ... partes*] Partes dierum reipublicæ administrationi datas.

[a] *In medio*] Id est, in propatulo, sub omnium oculis, ut ex Lycurgi lege cautum erat apud Lacedæmonios, ne scilicet frugalitatis leges transilirent. Plutarchus in Problem. c. 31. Idque etiam apud priscos Romanos in more fuisse, notant Valer. Maxim. II. 3. Macrob. Saturn. III. 17. Unde Juvenalis taxat ætatis suæ luxuriam, quod contra priscam illam consuetudinem privatim splendidius, quam par esset epularentur, Sat. I. 94. 'Quis fercula septem Secreto cœnavit avus?'

[b] *Ex convictu nostro*] Romani solebant plures simul cibum capere, Græci vero, si Athenæo credimus, μονοφαγεῖν. Aliqui *cœnam* dictum putant a κοινὴ, ob κοινωνίαν, seu *communionem* vescentium, ut putat Plutarchus Symp. VIII. probl. 6.

[c] *Provocas*] Sueton. de Augusto c. 4. 'Cœnam præbebat, ut non nimio sumtu, ita summa comitate. Nam et ad communionem sermonis tacentes, vel submissim loquentes provocabat.'

[d] *Ante medium diem*] Id est, ante horam sextam, quæ nobis meridies

spectator annotatorque[g] convivis tuis immines; nec jejunis et inanibus plenus ipse, *et* ructans, non tam apponis, quam objicis, cibos, quos dedigneris attingere: ægreque perpessus superbam illam convictus simulationem, rursus te ad clandestinam ganeam,[h] occultumque luxum, refers. 7. Ergo non aurum, nec argentum, nec exquisita ingenia cœnarum;[b] sed suavitatem tuam jucunditatemque[i] miramur, quibus nulla satietas adest; quando sincera omnia, et vera, et ornata gravitate. 8. Neque enim aut peregrinæ supersti-

[b] *Neque artem mensæ delicatioribus cibis instruendæ.*

pin. Sichard. et al.—6 Cod. Patav. *spectator ac notatorque*. Mox, omnes codd. et edd. ante Schwarz. *plenus ipse eructans*. '.Non piget etiam tenues maculas e tam pulchro orationis corpore, si fieri possit, eluere. Lipsio, pro voce *eructans*, aptior videbatur *irructans*, quasi in os iis ructans. Sed quid necesse est fingere insolens verbum? Nobis potius videntur duæ voces in unum participium, *eructans*, vitio describentium coaluisse, nempe, *et ructans*, aut forte, *et eructans;* quæ voces postliminio secernendæ distincteque scribendæ sunt; neque enim decet, duo ejusmodi ἐπίθετα, *plenus ipse eructans*, sine copula ponere.' *Schwarz. et ructans* primus conj. Livin. probante Perizonio; neque aliter hunc locum laudavit Casaub. ad Sueton. Aug. cap. 77. Deinde, pro *superbam*, cod. Patav. habet *superbium*.—7 Nonnulli codd. ap. Schwarz.

NOTÆ

est; nam horas diei naturalis ab exortu solis numerabant, quæ cum duodenæ semper essent diebus singulis, pro dierum modo inæquales erant; nunc longiores, nunc breviores. Cœnæ autem tempus apud Romanos hora nona. Martialis IV. 8. 'Imperat exstructos frangere nona toros.' Hominis autem erat luxuriosi et intemperantis tempus illud prævertere. Quare Juvenalis Marium carpit Sat. I. 49. quod 'ab octava' biberet. Quem locum intelligendum puto de horis diei, non naturalis, sed civilis; cujus initium a media nocte duceretur. Alioqui non ita damnandus videretur Marius, qui hora una citius cibum sumeret.

[e] *Distentus*] Satur, plenus. Domitianum suo more tangit, qui, ut ait Suetonius, cum cibis se privatim ingurgitasset, tum vero in cœna mire sobrius videri volebat. Ibidem Neronis, Claudii, et Vitellii notatur haud absimilis intemperantia.

[f] *Solitaria cœna*] Quam solus, clam et remotis arbitris sumseris. Festus lib. III. 'Cœna apud antiquos dicebatur quod nunc est prandium, vesperna quam nunc cœnam appellamus.'

[g] *Annotatorque*] Quid edant alii, bibant, dicant.

[h] *Ganeam*] Gulosorum diversorium. Sumitur etiam pro libidinis diversorio. Item pro ipsa ingluvie et cibariis. Dicitur 'ganea, æ,' vel 'ganeum, i.'

[i] *Jucunditatemque*] 'Adhibebamur quotidie cœnæ: interdum jucundissimis sermonibus nox ducebatur,' Plinius de Trajani adversus se comitate, ep. VI. 31.

tionis[j] mysteria, aut obscœna[k] petulantia mensis principis oberrat; sed benigna invitatio,[l] et liberales joci, et studiorum honor. Inde tibi parcus et brevis somnus, nullumque amore nostri tempus angustius, quam quod sine nobis agis.

CAP. L. 1. Sed cum rebus tuis, ut participes, perfruamur;[e] quæ habemus ipsi, quam propria, quam nostra sunt! Non enim, exturbatis prioribus dominis, omne stagnum,[a] omnem lacum, omnem etiam saltum, immensa possessione circumvenis; nec unius oculis flumina, fontes, maria, deserviunt. 2. Est, quod[b] Cæsar non suum videat; tandemque imperium principis, quam patrimonium,[c] majus

[e] *Verum cum bonis tuis utamur, quasi sint etiam nostra.*

qn. sincera omnia.—8 Pro voce *mysteria*, Arntz. conj. *ministeria*. Paulo post, *angustius tempus* vulgg. ante Schwarz. qui ex consensu omnium codd. et antiquorum quatuor edd. has voces transposuit. Behrius conj. *tempus magis anxium*.

CAP. L. 1 'Vocabulum *rebus* in tribus primis edd. Catanæi est omissum; quod vero ceteri libri recte tuentur.' *Schwarz.* *Cum rebus tuis participes perfruamur* cod. Patav. *quam propria, tam nostra sunt* Guelph. *quasi propria, quas nostra sunt* Exc. Voss. et cod. Patav. Paulo post, *fontes, maria, destruuntur* cod. Patav. et Exc. Voss. Solus Cuspin. pro voce *fontes* edidit *montes*.—2 *Et quod Cæsar suum non videat* codd. Vat. 1. Venet. 1. Salisb. Guelph. et Schwarzian. *Et quid Cæsar non suum videat* codd. Paris. Patav. Venet. 2. edd. Puteol. 1476. et Beroald. Lectionem nostram confirmant codd. Vatt. 2. 3. 4. *quasi patrimonium* cod. Patav. Mox, Behrius conj. *refers in imperium;* Patav.

NOTÆ

[j] *Peregrinæ superstitionis*] Intellige juxta Livineii mentem institutos a Domitiano sacerdotes in Albano ex peregrino fortasse more, vel, cum Lipsio, Isiacos, Bellonarios, &c. qui ad exhilarandos convivarum animos sub mensæ finem inducebantur.

[k] *Obscœna*] Scurras, moriones, in convivii locum post epulas induci solitos notat ipse Plinius Ep. IX. 17. Sic Lucianus in Symposio Aristænetum quendam refert inductum, qui alios dictis vellicaret, alios percuteret, omnes gestu, saltatione, jocis, et motu corporis oblectaret.

[l] *Invitatio*] Apprime illud Trajano convenit, quem vini amantiorem fuisse apud Dionem legimus.

[a] *Omne stagnum*] Pace Lipsii dixerim: locus hic de Neronis palatio intelligi debet, in quo stagna, lacus, saltus videbatur conclusisse; ita amplum erat. Et de illius quidem luxuria noti illi versus: 'Roma domus fiet, Veios migrate Quirites, Si non et Veios occupat ista domus.' Suet. in Nerone c. 39.

[b] *Est, quod*] Multo ante dixerat Ovid. Fast. I. 85. 'Jupiter arce sua cum totum spectet in orbem, Nil nisi Romanum quod tueatur habet.'

[c] *Quam patrimonium*] Ita enim imperii agros omnes invaserant tyranni, ut non minus essent eorum patrimonium, quam imperium.

est: multa enim ex patrimonio refert in imperium, quæ priores principes occupabant, non ut ipsi fruerentur, sed ne quis alius. 3. Ergo in vestigia sedesque nobilium immigrant pares domini; nec jam clarissimorum virorum receptacula habitatore servo teruntur, aut fœda vastitate procumbunt.[d] 4. Datur intueri pulcherrimas ædes, deterso situ, auctas ac vigentes. Magnum hoc tuum, non erga homines modo, sed erga tecta ipsa, meritum: sistere ruinas, solitudinem pellere, ingentia opera eodem, quo exstructa sunt, animo ab interitu vindicare. Muta quidem illa et anima carentia; sentire tamen et lætari videntur,[d] quod niteant, quod frequententur, quod aliquando cœperint esse domini scientis.[e] 5. Circumfertur sub nomine Cæsaris tabula ingens rerum venalium; quod sit detestanda avaritia illius, qui[e] tam multa concupiscebat, cum haberet supervacua tam multa. 6. Tum[f] exitialis erat apud principem, huic laxior domus, illi amœnior villa. Nunc princeps in hæc eadem dominos quærit, ipse inducit. Ipsos illos magni

[d] *Redeunt nobiles domini, neque amplius nobilium virorum domus a servis habitantur, aut turpiter desertæ corruunt.*
[e] *Ut proponatur omnibus execranda Domitiani avaritia, qui, &c.*

refert imperium.—3 Guelph. et Gud. *immigrant pares nobiles domini.* Cod. Patav. *habitatore suo teruntur.*—4 Cod. Guelph. *detruso situ.* Mox, pro *auctas ac vigentes*, cod. Vat. 1. Salisb. et Exc. Voss. habent *avectas et ingentes;* cod. Patav. *auctas ac ingentes.* Paulo post, ed. Patarol. *sistere minas.* Deinde, Vat. 4. et Guelph. *quo instructa sunt.* Porro, in fine sectionis, pro *domini scientis* edd. vett. habent *donum scientis;* Lips. conj. *domini fruentis;* plurimæ edd. *domini non servientis.* Vide Obss. Schwarzii.—5 *Confertur sub nomine* Vat. 4. *Cæsaris cubula ingens* Patav. *tabula ingens rerum venalium; quæ testis est, quam sit detestandaa varitia, &c.* conjectabat Behrius. *quod fit detestanda* edd. Boxhorn. Kirch. et Cellar. *quo sit, &c.* Livin. Lips. Berneg. Grævius, Baun. Patarol. Cev. et Gesn. *quod sit, &c.* omnes codd. ap. Schwarz. Hæc verba, *concupiscebat, cum haberet supervacua tam multa*, per saltum omissa sunt in cod. Patav. et in Exc. Voss. punctis subnotata.—6 *Tum erat exitiale* codd. Salisb. et Guelph. *Tamen exitialis erat* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venet. Guelph. et Schwarzian. *huic amœnior villa* cod. Patav. Mox, adverbium *aliquando* deest

NOTÆ

[d] *Lætari videntur*] Nihil frequentius etiam apud oratores, quam sensum rebus inanimis tribuere. Tullius pro Marcello c. 10. 'Parietes, medius fidius, Cæsar, ut mihi videtur, hujus curiæ tibi gratias agere gestiunt.'

[e] *Domini scientis* [*non servientis*] Alii legunt, *domini scientis.*

[f] *Tum* [*tamen*] Lege *tum*, ut Livineius suspicatur.

aliquando imperatoris[g] hortos, illud nunquam nisi Cæsaris suburbanum,[h] licemur, emimus, implemus. 7. Tanta benignitas principis, tanta securitas temporum est, ut ille nos principalibus rebus[i] existimet dignos; nos non timeamus, quod digni esse videmur. Nec vero emendi tantum civibus tuis copiam præbes; sed amœnissima quæque largiris, et donas; ita,[j] inquam, donas, in quæ electus, in quæ adoptatus es. Transfers, quod judicio[k] accepisti; ac nihil magis tuum credis, quam quod per amicos[l] habes.

CAP. LI. 1. Idem tam parcus in ædificando,[a] quam diligens in tuendo. Itaque non, ut ante,[b] immanium transvectione saxorum Urbis tecta quatiuntur. 2. Stant securæ domus, nec jam templa nutantia.[c] Satis est tibi, nimiumque, cum successeris frugalissimo principi: mavis *magnum*

in codd. Salisb. et Schwarzian. *hortos* omittit cod. Patav. *illud n. n. C. suburbanur* in eodem cod.—7 Cod. Patav. *ut nos principalibus*, omisso pronomine *ille*, pro quo in ed. Schwarz. perperam excusum est *illa*. Mox, in aliquot edd. *Nunc vero emendi tantum, &c.* Paulo post, Lipsii conj. *ista, inquam, &c.* prob. Gesn. recepit Gierig.

CAP. LI. 1 '*Idem tam parcus, &c.*] Mirabar nuper, Plinium hic omisisse *privatim*. Schæfer. excidisse putat *tibi*.' Gierig. Mox, cod. Patav. *inanium transvectione saxorum*.—2 Parisiensis codex et ed. Catan. *jam templa mutantia*. '*Satis est tibi, nimiumque. Cum, &c.*] Hac interpunctione consuluisse huic loco mihi videor; nam ceteri post *nimiumque* minimum distinctionis signum habent. Mox, pro *magis* ex codd. omnibus atque edd. Cuspin. et Arntz. elegi *magnum*, quoniam Noster passim sic loquitur; quanquam præterea possis *est* addere, ut Epist. XVI. 56. Gesn. et Schwarz. e Bongarsii conj. de-

NOTÆ

[g] *Magni aliquando imp.*] Luculli fortasse. Potius tamen de Domitiano id accipiam, quem *magnum* hoc loco εἰρωνικῶς appellat.

[h] *Suburbanum*] Albanam villam.

[i] *Principalibus rebus*] Villa, quæ huc usque principis fuerit.

[j] *Ita*] *Ista*, ut est ad oram editionis Livineianæ, id est, ea donas, quæ ad te, ut Nervæ hæredem, juxta successionis jura pertinent.

[k] *Judicio*] Cum te imperio dignum Nerva judicavit.

[l] *Per amicos*] Quam quod amicis donatum, in eorum manu sic tanquam depositum habes.

[a] *In ædificando*] Tam parcus in erigendis tibi ædificiis, quam in publicis reficiendis diligens.

[b] *Ut ante*] Sub Caligula, Claudio, et Domitiano, cum magno per Urbem incedentium incommodo, columnæ immanes ad eorum palatium advehebantur. Juven. Sat. III. 254. 'Longa coruscat Sarraco veniente abies, atque altera pinum Plaustra vehunt, nutant alte, populoque minantur,' &c.

[c] *Nutantia*] Casum minitantia, propter enorme pondus.

rejicere[d] aliquid, et amputare, ex his, quæ princeps tanquam necessaria reliquit. Præterea pater tuus usibus suis detrahebat, quæ fortuna imperii dederat; tu tuis, *quæ* pater.[e] 3. At quam magnificus in publicum es! Hinc porticus,[f] inde delubra,[g] occulta celeritate properantur, ut non

derunt *mavis*.' Gierig. Vulgg. *principi; magnum rejicere, &c.* 'Codices Mss. quos contulimus, nihil mutant in his verbis, nisi quod pro adverbio *magis* exhibeant adjectivum *magnum;* sed satis incommode. Ingeniose Bongarsius, teste Gronovio, hæc verba post vocabulum *principi:* interpunxit, et pro *magis* reposuit *mavis*. Præterea Gronovius, pro verbo *rejicere*, asciscendum existimavit *recidere*. Qua emendatione sic rescribendus foret hic locus: *Stant securæ domus, nec jam templa nutantia. Satis est tibi, nimiumque, cum successeris frugalissimo principi: mavis recidere aliquid et amputare ex iis, quæ princeps tanquam necessaria reliquit.* De verbo *recidere*, Gronovius Obss. IV. 16. Certe Bongarsii emendationem et interpunctionem ipsa exigit sententiæ necessitas. Quomodo enim, si accuratius rem expendas, apte conveniant, cohæreantque ista: *satis tibi, et nimium est, rejicere aliquid?* Potius Plinius dicere voluit, Trajanum non solum bonis suis contentum esse, sed et abundare sibi videri, etiamsi successerit Nervæ frugalissimo, qui multa jam ex antiqua largaque imperatorum possessione, quasi non necessaria demserit, restrinxeritque: immo, ipsum Trajanum hanc Nervæ moderationem superare, cum etiam ex iis, quæ frugalissimo principi necessaria visa fuerant, adhuc aliquid resecare malit. Supervacuum vero videtur, multis docere, quomodo fieri potuerit, ut pro *mavis* irrepserit *magis*, et hinc adhuc inquinatius, *magnum*. Quod ad verbum *rejicere* attinet, concedimus quidem, pro eo verbum *recidere* elegantius poni, et cum sequenti verbo, *amputare*, aptius conjungi posse; negamus autem, necessario debere, cum Plinius verba *rejicere* et *amputare* æque connectere potuerit, ac supra, cap. XXXIX. 5. 'abruptum,' 'amputatumque,' conjunxerat. Sed, si adhuc respiciam prima hujus loci verba, *Stant securæ domus, nec jam templa nutantia*, nescio, quomodo mihi primum in mentem venerit, forte scribendum esse, *nec jam templa nutant;* nunc tamen participium *nutantia* loco suo exturbare non ausim.' *Schwarz.* Vide Nott. Varr. *magnum rejicere aliquid* cod. Patav. 'Mox, pro verbo *reliquit*, in cod. Vat. 4. scriptum est *omisit;* quæ varietas audaculo librario debetur.' *Schwarz.* Paulo post, pro *tu tuis, quæ pater*, codd. Patav. Vat. Venet. 2. edd. Puteol. 1476. et Venet. 1498. *tutiusque pater;* ed. Cuspin. *potius, quæ pater;* Salisb. *tutius hoc pater;* Schwarzian. *tutius, quæ pater;* Ceva conj. *tu jus, quod pater;* Livin. et Lips. *tu tuis, quod pater;* et sic Bernegg. Græv. Baun. Cellar. Hearn. Arntz. et Gesn. *tu tuis que pater* Exc. Voss. codd. Paris. et Guelph.—3 *Hinc portans* cod. Patav.

NOTÆ

[d] *Rejicere*] Alii *recidere*. Nerva ex veteri imperatorum possessione distraxerat quicquid sibi non admodum necessarium videbatur. Plinius vero hic laudat Trajanum quod hanc ipsam temperantiam vicerit, etiam ex iis, quæ frugalissimo principi necessaria videbantur, aliquid abradendo atque imputando.

[e] *Tu tuis, quæ* [*quod*] *pater*] Ita restitui cum Livineio pro *tutius quod pater*. Sensus est: Nerva sibi detraxit quæ sibi ab imperio data fuerunt: tu vero tibi detrahis, quæ magis sunt tua, id est, quæ pater tibi reliquit.

[f] *Hinc porticus*] Quas circa Trajani forum excitavit. *Cassiod.* Catanæus *portus* legit, non *porticus:* forte quia

consummata, sed tantum commutata, videantur.[a] Hinc immensum latus circi[h] templorum pulchritudinem provocat: digna populo victore gentium sedes, nec minus ipsa visenda, quam quæ ex illa spectabuntur;[i] visenda autem, cum cetera specie, tum, quod æquatus[j] plebis ac principis locus. 4. Siquidem per omne spatium una facies, omnia continua et paria; nec magis proprius *spectanti Cæsari* suggestus, quam propria, quæ spectet. 5. Licebit ergo civibus tuis invicem contueri. Dabitur non cubiculum principis, sed ipsum principem, cernere in publico, in populo sedentem; populo, cui locorum quinque millia[k] adjecisti.

[a] *Ut non tam structa a fundamentis, quam reparata videantur.*

Hinc portus conjectabat Catan. Mox, Exc. Voss. et cod. Patav. *sed tamen commutata.* Paulo post, duo codd. Vatt. *Circi t. magnitudinem.*—4 'Omnes codd. omnes etiam edd. præter Schwarz. *spectandi Cæsaris.* Sed Schwarz. recepit, quod jam Behrio et Gesnero in mentem venerat, *spectanti Cæsari;* idque et nos in ed. sup. secuti sumus. Nunc vero non dubitavimus *spectandi Cæsari* exhibere, cum vidissemus idem etiam Schæfero placuisse.' *Gierig.* Vide Nott. Varr.—5 *Licebit ergo te civibus tuis* codd. Vatt. Patav. Paris. Vett. 1. 2. Saliab. Schwarzian. Exc. Voss. edd. Cuspin. et Livin. Pro *te*, Guelph. habet *et.* 'Mss. plurimi addunt *te;* non male: potest tamen et abesse. Vid. Burm. ad Phædr. III. 7. 3.' *Gierig.* Paulo post, cod. Patav. et Exc. Voss. *locorum quinque millia dixisti.* 'Hic quoque eundem, quem cap. XXVIII. dixi, numerum restituendum arbitror. Cæsaris Circus habebat 260.

NOTÆ

Dio 'portus' ait 'ab Trajano exstructos, non porticus.' Non addit vero quinam illi sint. Portum certe Anconæ instauravit.

[g] *Delubra*] Jani templum auxit, amplificavitque. Unde Martial. x. 28. 'Pervius exiguos habitabas ante penates, Plurima qua medium Roma terebat iter. Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis, Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris,' &c.

[h] *Latus circi*] Suet. in Domitiano, 'Naumachiam,' ait, 'ab eo excitatam: e cujus postea lapide maximus circus densis utrimque lateribus, exstructus est.' Sed a quo quæso? A Trajano, inquit Casaubonus in hunc Suetonii locum, idque ex Plinio, Dione, et veteribus nummis patet. Quid sit autem circus, et quot fuerint Romæ, dicemus alio loco.

[i] *Spectabuntur*] Gladiatores, venationes, et alia id genus spectacula.

[j] *Æquatus*] Julius Cæsar 'suggestum' sibi, seu, ut alii vocant, 'pegma' erigi in orchestra jussit. Sueton. in Julio, cap. 76. Nero illud in cubiculi formam cooperuit, unde ab cœli inclementia tutus spectacula prospectaret. Trajanus utroque modestior æquavit omnia, neque hujusmodi suggestum habere voluit.

[k] *Quinque millia*] Totidem loca circo Trajanus adjecit, quot ingenuos ab eo educatos fuisse supra dictum est cap. 28. Sed si Cæsaris circus,

Auxeras enim numerum ejus congiarii facilitate, majoremque in posterum suscipi liberalitatis tuæ fide jusseras.

CAP. LII. 1. Horum unum si præstitisset alius, illi jamdudum radiatum[a] caput, et media inter Deos sedes[b] auro[c] staret, aut ebore,[b] augustioribusque aris, et grandioribus victimis[d] invocaretur. Tu delubra non nisi adoraturus[e] intras: tibi maximus honor excubare[f] pro templis, postibusque prætexi. Sic fit, ut Dei summum inter homines fastigium servent, cum Deorum ipse non sis adeptus.[g] 2. Itaque tuam

[b] *Medius inter Deos sederet in auro vel ebore.*

millia locorum, quibus postea pæne duplum additum. Trajanus inscripserat, restituto Circo, se perfecisse, ut hic populo sufficeret. Dio lib. LVIII. p. 772.' *Gierig.*

CAP. LII. 1 Omnes codd. ap. Schwarz. *jamdudum illi.* Pro *illi* Beroald. dedit *idem;* Catan. *eidem.* Mox, codd. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. edd. Ald. Nav. Elz. Kirch. et Cellar. *angustioribusque aris.* Paulo post, cod. Patav. *fastigium serves.* 'Schwarz. Arntzen. et ex parte etiam Gesner. expresserunt lectionem multorum codd. *ut Dei summum inter homines fastigium servent, cum Deorum ipse non sis adeptus.* Equidem delevi *Dei,* deinde *serves* recepi e cod. Patav. e margine Rhenan. e conj. Lipsii, et ex edd. quibusdam. Denique adoptavi *appetas* e conj. Livin. quam etiam Gesn. expressit. Idem nunc dicit Plin. quod cap. 7. ' Videaris licet,' &c.' *Gierig.* Vide Nott. Varr.—

NOTÆ

ut ait Plinius, ducenta sexaginta, et postea, ut ait Victor, trecenta octoginta quinque locorum millia complectebatur; quam minutus, ut Lipsius notat, ille locorum adjectorum numerus! ut tantopere laudetur Trajani magnificentia. Eo fit ut *quinquaginta millia* legendum putet pro *quinque millia.* Bene, an secus, alii viderint.

[a] *Radiatum*] Radiis cinctum, quomodo nunc cœlites pingimus. Sic enim vetera numismata nobis consecratos imperatores exhibent.

[b] *Sedes*] Jupiter enim itidem, et alii majorum gentium Dii interdum exhibebantur sedentes, ad majorem populorum venerationem conciliandam.

[c] *Auro*] Alludit fortasse ad Domitianum qui ' statuas sibi in Capitolio non nisi aureas et argenteas poni permisit, ac certi ponderis.' Suet. in Domit. cap. 13.

[d] *Grandioribus victimis*] Majores victimæ dicebantur, quæ majoribus Diis consecrabantur; minores, quæ Diis minoribus. ' Majores autem victimæ erant boves albi auratis cornibus.' Athenæus lib. IX.

[e] *Adoraturus*] Nunquam adorandus, ut Caligula et Domitianus.

[f] *Excubare*] Priores imperatores statuas suas superbe in templis collocabant: Trajanus vero, pro sua in Deos reverentia, in templorum tantum vestibulo, vel ante postes.

[g] *Adeptus*] Lipsius, *adoptes;* Livineius, *adeptus,* vel etiam *affectes.* Ut ut est, sensus erit: Quo fit ut Dii majori sint apud homines in loco, id est, longe cum majori religione co-

statuam in vestibulo Jovis Optimi Maximi unam alteramve,[h] et hanc æream, cernimus. At paulo ante, aditus omnes, omnes gradus,[i] totaque area, hinc auro, hinc argento, relucebat, seu potius polluebatur; cum incesti[j] principis statuis permixta Deorum simulacra sorderent. 3. Ergo istæ quidem æreæ et paucæ manent, manebuntque, quamdiu templum ipsum:[k] illæ autem aureæ et innumerabiles[l] strage et ruina publico gaudio litaverunt. Juvabat[m] illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sævire securibus, ut si singulos ictus sanguis dolorque sequeretur.[e] 4. Nemo tam temperans gaudii seræque lætitiæ, quin instar ultionis videretur, cernere laceros artus, truncata membra, postremo, truces horrendasque imagines *objectas* excoctasque

[e] *Quasi ex singulis ictibus sanguis emanaret.*

2 Codex Schwarzian. *aditus omnis, omnis gradus.* Mox, codd. Paris. Venet. 1. edd. Ald. Junt. Nav. et R. Steph. *statuis permista.*—3 Vocabulum *aureæ* desideratur in codd. Vatt. Paris. Patav. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Schwarzian. edd. Puteol. 1476. et Beroald. Pro *instare ferro*, cod. Patav. habet *lustrare foro.*—4 Cod. Salisb. *veræque lætitiæ;* Schwarz. conj. *seriæque lætitiæ;* Lips. ad Tacit. Ann. VI. Excurs. A. *serusque;* quod etiam in mentem venit Gierigio. Mox, vulgg. *imagines abjectas.* 'Lipsius jam notaverat,

NOTÆ

lantur; quod tu ipse quantus quantus es, necdum tamen videris tibi dignus, qui te iis admisceas.

[h] *Unam alteramve*] Trajanus erat ejusmodi honorum parcissimus, atque admodum ægre Plinius ab eo impetravit, ut ei statuam cum bene multis, quas in æde a se exstructa locabat, erigeret.

[i] *Omnes gradus*] Magnam Deorum turbam in Capitolio fuisse oportet, siquidem in singulis ejus gradibus, qui centum erant, si Tacito credimus, totidem statuæ erant positæ.

[j] *Incesti*] Domitiani. Hoc notat Suetonius cap. 22.

[k] *Templum ipsum*] Quia enim Romani erant in ea opinione Capitolium suum æternum fore. Hinc fit ut ad alicujus rei perennitatem ostendendam, nulla re magis uterentur quam Capitolio: unde Virg. Æn. IX. 448. 'Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.'

[l] *Innumerabiles*] Neque enim Domitianus Capitolium tantum, Urbemve, sed orbem, si Dioni credimus, universum statuis implevit post subactos, ut falso aiebat, Dacos. Quas quidem simul ut obiit, a senatu eversas esse idem testatur, ut earum eversione et ruina publicum gaudium impetraretur. Id enim 'litare' significat, ut annotat Macrobius in illud Æn. II. 119. 'animaque litandum Argolica.'

[m] *Juvabat*] Quis hæc legens, sibi non videtur coram intueri senatorum alacritatem Domitiani statuas certatim disturbantium?

flammis, ut ex illo terrore et minis [d] in usum hominum ac voluptates ignibus mutarentur. 5. Simili reverentia,[n] Cæsar, non apud genium tuum [o] bonitati tuæ gratias agi, sed apud numen Jovis Optimi Maximi, pateris: illi debere nos, quicquid *tibi* debeamus; illius, quod bene facias, muneris esse, qui te dedit. 6. Ante quidem ingentes hostiarum greges per Capitolinum iter magna sui parte velut intercepti divertere [p] via cogebantur, cum sævissimi domini atrocissima effigies tanto victimarum cruore coleretur, quantum ipse humani sanguinis profundebat.

Cap. LIII. 1. Omnia, Patres Conscripti, quæ de aliis principibus a me aut dicuntur aut dicta sunt, eo pertinent, ut os-

[d] *Ut statuæ quæ antea terrebant et minabantur.*

pro voce *abjectas* etiam legi posse *objectas*. Atque sic nunc legimus in codicibus Mss. Parisiensi, Guelpherbytano, Vossiano, et nostro. Omnes vero impressi habent *abjectas*, et nescio, an illud *objectas* oporteat recipi.' *Schwarz.* 'Suamque emendationem Lipsius repetit ad Tacitum laud. loco, eaque placuit nob. Heinsio, cum suo exemplari apposuerit. Neque 'abjiciebantur' simpliciter, verum etiam statuta in noxios pœna flammis et ignibus 'objiciebantur.' Val. Max. III. 3. 6. 'Modo flammis sine ullo gemitu objicientes.' Neque statim improbandum, quod profert Voss. *voluptatibus*, solent enim sic conjunctivæ particulæ diversos casus connectere, uti vidimus ad Aurelium Epit. x. 4.' *Arntz.* Codex Schwarzian. *truces horribilesque, &c.* Cod. Patav. *in usum h. a voluptatibus.*—5 *Fateris enim illi debere nos* conj. Behrius; *Illi debere nos vis* Heuman. Mox, *tibi* deest in cod. Patav. edd. Gryph. Sich. et Cev. Vide Nott. Varr.—6 *Capitolium inter magna sui, &c.* Rhenan. *Capitolium iter* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Schwarzian. edd. Puteol. 1476. Venet. 1489. Puteol. Beroald. Ald. Gryph. Cratander, Sichard. Nav. et Livin. *Capitolinum* cod. Paris. edd. Catan. Cuspin. et recentt. *iter gentes magna* Exc. Gud. *iter agentes magna* codd. Vatt. Guelph. Exc. Voss. et pro v. l. Exc. Gud. *magna sui parte intercepti* cod. Patav. 'Forte legendum, *inter Capitolinum iter, &c.* Hoc dictum foret, ut 'inter cœnam,' 'inter diem,' 'inter vias,' &c.' *Gierig.*

Cap. LIII. 1 Cod. Patav. *a me dicuntur.* Mox, codd. Vatt. Guelph.

NOTÆ

[n] *Simili reverentia*] Qua noluisti statuam tuam in Capitolio collocari.

[o] *Apud genium tuum*] Apud veteres nihil frequentius, quam statuæ, aræ, et templa genio Augusti consecrata. Extant hodieque nummi bene multi cum hac inscriptione. Sed et juramentum per Augusti genium erat religiosissimum. Mox, 'apud numen Jovis,' id est, in Capitolio.

[p] *Divertere*] Hostiarum greges qui in Capitolium ducebantur, deflectere de via oportebat, quoties ad Domitiani statuam in equestri foro positam victimæ immolabantur, adeo harum multitudine hoc Urbis iter impediebatur.

tendam, quam longa consuetudine corruptos depravatosque mores principatus parens noster [a] reformet et corrigat. *Et* alioquin nihil non parum grate sine comparatione laudatur. 2. Præterea hoc primum erga optimum imperatorem piorum civium officium est, insequi dissimiles.[e] Neque enim satis amarint bonos principes, qui malos satis non oderint. 3. Adjice, quod imperatoris nostri non aliud amplius ac diffusius meritum est, quam quod insectari malos principes tutum est. 4. An excidit dolori nostro [b] modo vindicatus Nero? Permitteret, credo,[c] famam vitamque ejus carpi, qui mortem ulciscebatur: nec ut in se dicta interpretaretur, quæ de simillimo dicerentur. 5. Quare ego, Cæsar, muneribus [d] tuis omnibus comparo, multis antepono, quod

[e] *Insectari malos.*

Schwarzian. et Exc. Voss. *corruptos damnatosque mores.* Deinde omnes codd. *Alioquin nihil, &c.* omissa particula *Et.*—2 'Codd. quidam Vatt. et Salisb. pro *erga* habent *apud;* sed retinenda est lectio vulgata. Ita et in verbis insequentibus, a Cuspin. et Rhenan. atque, teste Hearn. in Exc. Scal. pro *piorum civium*, inquinate proditur *priorum civium.*' Schwarz. Mox, codd. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Schwarzian. edd. Puteol. 1476. Venet. 1489. Ald. Junt. Rhenan. Philomus. Cratand. Sichard. Nav. et Livin. *amarit .... oderit.* Voc. *principes* deest in Paris.—3 *Addite, quod* cod. Salisb. *imperatoris* Paris. *imperator* cod. Schwarzian.—4 *Permitteret, c. formam vitamque* cod. Patav. et Exc. Voss. Mox, hæc verba, *nec ut in se dicta i. q. de s. dicerentur*, omissa sunt in cod. Patav. Pro *dicta*, cod. Venet. 2. habet *ducta.* Præterea in Exc. Voss. legitur, *de se dicta;* in Schwarzian. *dein se dicta.* In antecedentibus verbis, Salisb. pro *ulciscebatur* habet *ulcisceretur.* —5 *Quare ergo te, Cæsar, m. omnibus tuis omnibus comparo* cod. Patav. 'Dudum vidit Lipsius, in his verbis pronomen *te* abundare, tanquam ex glossa, sive nota, *Tr.* i. e. *Trajane*, ortum; sed non vidit, itidem vocabulum *omnibus* semel supervacuum videri. Certe, hoc recte omittunt codices Mss. Guelpherbytanus et noster; in quibus legimus, *muneribus tuis omnibus comparo.* Idem expunxit etiam Gudius in altero libro. Livineius præterea ascripserat margini, 'dele.' Solus Ceva adhuc pronomen *te* in sua editione prætermisit. Duo autem beneficia Trajani sui Plinius comparat et æquat omnibus ejus aliis beneficiis ac muneribus, imo illa ipsa multis ejus beneficiis anteponit.' *Schwarz.* 'Proposuisti, *quare ego, Trajane Cæsar, muneribus omnibus tuis comparo, quod licet, &c.* Vulgatam lectionem utcumque ita interpretabar:

NOTÆ

[a] *Parens noster*] Trajanus, qui nos ut filios adhibet.

[b] *Dolori nostro*] Id est, an non adhuc cum dolore meminimus, quomodo improbum Neronem Domitianus ipso improbior vindicarit? Sueton. in Domit. cap. 14.

[c] *Permitteret, credo*] Εἰρωνικῶς; id est, non permitteret, quamvis ejus mortem ulcisceretur.

[d] *Ego, Cæsar,* [*ego te, C.*] *muneribus*] Lipsius delet *te* tanquam superfluum;

licet nobis et in præteritum de malis imperatoribus quotidie vindicari, et futuros sub exemplo præmonere, nullum locum, nullum esse tempus, quo funestorum principum manes a posterorum execrationibus conquiescant. 6. Quo constantius, P. C. et dolores nostros, et gaudia proferamus. *Lætemur his, quibus fruimur;* ingemiscamus illis, quæ patiebamur. Simul utrumque faciendum est sub bono principe. 7. Hoc secreta nostra, hoc sermones, hoc ipsæ gratiarum actiones, agant; meminerintque, sic maxime laudari incolumem imperatorem, si priores, secus meriti,[e] repre-

Te [in] muneribus tuis omnibus comparo omnibus principibus, multis principibus antepono.' *Gesn.* 'Crederes et *Trajane* placuisse cl. Perizonio, qui margini ascripserat: mihi videtur contrarium postulare ordo sententiæ, neque quicquam minus quam superfluere. *Quare ergo* Voss. et Guelph. De quo supra dictum v. 8. Τῷ *omnibus* non difficulter carerem, sed cum tantum per conjecturam id deleverit Livineius, duorum codicum auctoritas nondum subvertit reliquorum omnium consensum, ubi utraque lectio haud incommode feratur.' *Arntz.* Vide Nott. Varr. Mox, cod. Patav. *nullus locum nullum tempus.* Deinde, in Exc. Voss. *functorum principum.*—6 Edd. Plant. Berneg. et Cev. *et gaudia perferamus.* 'Locum hunc jam Beroaldus, Aldus, Junta, et alii, mancum protulere; quem vero optime supplet Cuspinianus, qui eum integritati suæ sic restituit: *Quo constantius, P. C. et dolores nostros, et gaudia, proferamus. Lætemur his, quibus fruimur; ingemiscamus illis, quæ patiebamur.* Quæ verba recte adoptata sunt a Grutero, Parisiensibus, Patarolio; et quamvis codex noster nobis in his nullam opem ferat; convenientia tamen stylo Pliniano, ac digna omnino sunt, quæ in posterum in omnia exempla hujus panegyrici recipiantur; propterea, quod alias hiat illa oratio, nec subsequens vocabulum, *utrumque,* habet, quo apte referatur.' *Schwarz.* 'Quod placuit et Heumanno in Pœcile tom. III. lib. IV. ita edidit Sichardus. Statim *patiebantur* et *sub uno principe* Guelph. et *agunt* Voss. Puteol. Venet. Aldus.' *Arntz.* Verba, *Lætemur his, quibus fruimur,* desunt in cod. Patav. Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venet. 2. Salisb. a m. pr. et Schwarzian. etiam, *sub uno principe.* Vide Nott. Varr.—7 Codd. Vatt. *hoc sermones nostri.* Mox, cod. Patav. et Salisb. a m. pr. item edd. Puteol. 1476. Venet. 1489. Beroald. Ald. Rhenan. R. Steph. et Sichard. *agunt.* Schwarzian. *memineritque.* Paulo post, codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Patav. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Schwarzian. et Exc. Voss. *secum meriti;* edd. vero Puteol. 1476. Venet. 1489. Beroald.

NOTÆ

Livineius vero expungit vocem *omnibus;* sed tamen servatis his vocibus, quæ in omnibus editionibus sunt, sensus esse potest: Te, o Trajane, confero cum beneficiis tuis omnibus, omnibus inquam, nam te multis antepono.

[e] *Secus meriti*] In veteri scriptura Rittershusius ait esse, *sequi usquam velles;* ex quo conficiendum putat, *sequius quam velles;* aut, minore cum mutatione, *sequius meriti.* Ac fortasse hic locus unus est ex iis, in quibus librarios hanc vocem *sequius* expunxisse queritur Muretus, 'quasi,' inquit, 'in ejus necem conjurassent.'

hendantur. Nam, cum de malo principe posteri tacent, manifestum est, eadem facere præsentem.

CAP. LIV. 1. Et quis jam locus miseræ adulationis manebat *ignarus;* cum laudes imperatorum ludis etiam et comissationibus celebrarentur, saltarentur, atque in omne ludibrium effœminatis vocibus, modis, gestibus, frangerentur? Sed illud indignum, quod eodem tempore, in senatu et in scena, ab histrione et a consule,[f] laudabantur. 2. Tu

Catan. et recentt. *secus meriti.* Deinde, cod. Patav. *cum malo principe.*

CAP. LIV. 1 *Ecquis* cod. Livin. cum edd. Cuspin. Junt. et Arntz. '*Manebat gnarus*] Cui non suboleat defectus quidam in his verbis, quem tamen non facile adhuc animadverterunt critici. Vestigia ejus quomodocumque indicat Beroaldus, qui hæc verba ita obscure edidit: *Et quis jam locus miseræ adulationis manebat? gnarus cum laudes imperatorum, &c.* Neque aliter primum ediderat Cuspinianus, nisi quod hic demum inter errata typographica monet legendum esse *manebat ignarus?* Hinc forte Rhenanus huic lectioni locum dedit; quam nunc plenius corroborat testimonium codicis nostri, utpote in quo hæc diserte legimus: *Et quis jam locus miseræ adulationis manebat ignarus? cum laudes imperatoris* [*cum*] *ludis etiam et comessationibus celebrarentur, saltarentur, atque in omne ludibrium effœminatis vocibus, modis, gestibus, frangerentur.* Consentit alterum exemplar Gudianum de voce prima. *Ignarus* hoc loco ποιητικώτερον idem valet quod 'vacuus,' 'immunis.' Deinde vero, in codice nostro copula *que* post verbum *saltarentur* tempestive omittitur; haud secus ac paulo post, *vocibus, modis, gestibus,* ἀσυνδέτως dicuntur. Ad fractam enim adulationem exprimendam oratione etiam quasi fracta solutaque opus erat. Præpositionem autem *cum* ante vocabulum *ludis* librario facile condonare possimus. At nomen *imperatoris* singulari nomine positum ratam esse jubet conjecturam Lipsii, qui singulariter *imperatoris* scribendum suasit. Cum vero præterea pro *commissionibus* codex noster exhibeat *comessationibus*, dubites fere, utram vocem amplectaris, cum utralibet locum habere possit? Sed posteriorem jam vulgarunt omnes, qui nobis cogniti sunt, editores Panegyrici Pliniani, præter Cellarium et Patarolium, quibus Lipsii et Casauboni conjectura arrisit. Satis tamen modeste Lipsius. Retineamus ergo vocabulum *comessationibus*, cui nunc etiam succurrit codicis nostri auctoritas, et velificatur subsequentis loci varians lectio.' *Schwarz.* Vide Nott. Varr. 'Mss. conspirant quidem in *comessationibus*, sed parum credibile est, Trajanum curasse quæ in privatis conviviis cantarentur. Sed *commissiones*, cum ostentationi componerentur, non fidei veritatique, poterant sane signa esse *miseræ adulationis.* Itaque secundum Sueton. c. 89. etiam Augustus 'componi aliquid de se, nisi et serio, et a præstantissimis, offendebatur: admonebatque prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri.' Itaque prætuli nunc *commissionibus*, quod profectum est e conj. Livin. probatumque Lipsio, Casaub. J. A. Ernestio.' *Gierig.* Cod. Patav. *cum imperatorum laudes etiam essationibus celebrarentur, salutarenturque.* In Exc. Voss. etiam annotatur *salutarenturque.* Mox, τὸ *effœminatis* deest in cod. Patav. Paulo post, Heuman. voluit, *eodem tempore, et in scena ab histrione, et in senatu a consule, lauda-*

NOTÆ

[f] *A consule*] Hinc nota, e re et officio consulis fuisse, solennem gratiarum actionem agere principi, qualem agit in hac oratione Plinius.

pocula a tui cultu, *tu* ludicras artes, removisti.[f] Seria ergo te carmina, honorque æternus annalium,[g] non hæc brevis et pudenda prædicatio colit.[g] Quin etiam tanto majore consensu in venerationem tui theatra ipsa consurgent,[h h] quanto magis de te scenæ silebunt. 3. Sed quid ego istud admiror? cum eos quoque honores, qui tibi a nobis offeruntur, aut delibare[i] parcissime, aut omnino soleas recusare. Nihil ante tam vulgare, tam parvum, in senatu agebatur, ut non laudibus principum immorarentur,[i] quibuscumque censendi[j] necessitas accidisset. 4. De ampliando numero[k] gladiatorum, aut de instituendo collegio fabrorum, consulebamur, et, quasi prolatis imperii finibus, nunc ingentes

[f] *Tu artes histrionicas longe repulisti a te laudando.*
[g] *Non cito interitura illa et imperatore indigna laus commendat.*
[h] *Qui in theatris sedent, assurgent ut te venerentur.*
[i] *Quin partem temporis consumerent in laudandis principibus.*

bantur. Cod. Patav. *laudabatur.*—2 Vulgg. *Tu procul a tui cultu, &c.* cod. Patav. *Tu procul a tuo cultu, &c.* Lectionem nostram ex tribus codd. dedit Schwarzius. Vide Nott. Varr. *Seria erga te* cod. Patav. et Exc. Voss.—3 Venet. 1. *illud miror;* Salisb. *istud admirer.* Mox, Guelph. *a nobis efferuntur.* Paulo post, cod. Patav. *laudibus p. honoraretur;* Exc. Voss. *l. p. honorarentur;* edd. vett. et Cuspin. *l. p. immoraretur;* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. edd. Livin. Grut. Lips. Putean. Berneg. Græv. Baun. Hearn. Cev. Gesn. *l. p. immorarentur.*—4 *De amplitudine vero gladiatorum* cod.

NOTÆ

[g] *Annalium*] Annales res plurium annorum, servato cujusque anni ordine, complectuntur, historia non item: sæpe tamen apud auctores confunduntur hæc duo. Aul. Gell. v. 18.

[h] *Consurgent*] Hic honor primum viris tantum principibus habebatur. Unde Augustus, Caio et Lucio filiis 'adhuc prætextatis, assurrectum ab universis in theatro, et a stantibus plausum gravissime questus est.' Tacit. Quia juvenes erant, inquit Lipsius, et quia nimius ille honor habebatur.

[i] *Delibare*] Trajanus enim imperium accepit, consulatum tertium, et censuram a senatu oblatam recusavit.

[j] *Censendi*] Id est, dicendi sententiam. Vox forensis: 'Senatus id censuit.'

[k] *De ampliando numero*] Juxta legem ab Augusto an. U. C. 732. factam, 'gladiatores non nisi semel atque iterum singulis annis, neque ultra paria sexaginta' dari poterant. Dio. Ut nimirum luxui modus esset aliquis. Jam vero in Urbe varia erant fabrorum collegia pro ratione temporum modo instituta, modo sublata: ut fabri ferrarii, argentarii, tignarii, automatarii, qui machinas sua sponte versatiles conficiebant.

arcus, excessurosque templorum fastigium titulos, nunc menses[1] etiam, nec hos singulos, nomini Cæsarum dicabamus. Patiebantur illi, et, quasi meruissent, lætabantur. 5. At nunc quis nostrum, tanquam oblitus ejus, de quo refertur, censendi officium principis honore consumit? Tuæ moderationis *laus*, *hæc* constantia nostra;[k] et tibi obsequimur, quod in curiam, non ad certamen adulationum,[l] sed ad usum munusque justitiæ, convenimus, hanc simplicitati[m] tuæ veritatique gratiam relaturi, ut te, quæ vis, velle; quæ non vis, nolle, credamus. 6. Incipimus inde,[n] desinimus ibi, a quo incipi, in quo desini, sub alio principe non posset. Nam plerosque ex decretis honoribus et alii[o] non receperunt: nemo ante tantus fuit, ut crederetur noluisse decerni.[m]

[k] *In laudando principe impendit? Quod nos constantes simus, tuæ præcognitæ modestiæ debetur.*
[l] *Non ut certatim tibi adulemur.*
[m] *Ut putaretur ægre tulisse, quod sibi decreti essent.*

Patav. et Exc. Voss. Mox, cod. Vat. 4. *necessariosque;* Salisb. *accersurosque;* et a m. sec. *excessurosque;* edd. Boxhorn. Kirchm. Cellar. et al. *accessurosque.* Deinde, in codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Patav. Salisb. a m. pr. Paris. Guelph. Exc. Voss. et Schwarzian. item in edd. Junt. Livin. Grut. Putean. et Cev. *n. Cæsarum dicebamus.*—5 *At ... tanquam oblitus eo* cod. Patav. et Exc. Voss. Mox, cod. Patav. *principis consumit;* edd. Beroald. Catan. Ald. Junt. Philomus. Cratand. Steph. Gryph. Ascens. Sichard. Nav. et Elz. *consumunt.* Deinde, in vulgg. *Tuæ m. hæc laus, constantia, &c.* et sic in Patav. aliisque codd. *Tuæ m. hæc laus: constantiæ nostræ, et tibi, obsequimur* ed. Catan. *Tuæ m. hæc laus, non constantiæ nostræ* Lipsius. Vide Nott. Varr. Tum, *gratiarum relaturi* cod. Patav.—6 *Incipiemus, unde desivimus: ibi, &c.* cod. Patav. Mox, *plerosque decretis et honoribus* idem codex.

NOTÆ

Quod si Domitianus de nugis hujusmodi senatum convocasset, innovassetque aliquid, tum vero quasi fines imperii extendisset, arcus titulis, &c.

[1] *Menses*] 'Septembrem et Octobrem ex appellationibus suis Germanicum Domitianumque transnominavit, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.' Suet. in Domit. cap. 13. *Nec hos singulos*] Id est, neque unum tantum, sed duos.

[m] *Simplicitati*] Candori.

[n] *Inde*] Id est, a rebus, de quibus deliberandum est.

[o] *Alii*] Principes: ut Tiberius, 'qui patris patriæ appellationem,' Suet. cap. 27. Claudius, qui nimios honores recusavit. Vespasianus, qui tribunitiam potestatem, et patris patriæ nomen, non nisi sero recepit. Sueton.

Cap. LV. 1. Quod *ergo* titulis omnibus speciosius reor; quando non trabibus,[p] aut saxis, nomen tuum, sed monumentis æternæ laudis, inciditur; ibit in sæcula, fuisse principem, cui florenti et incolumi, nunquam nisi modici honores, sæpius nulli, decernerentur. 2. Et sane,[a] si velimus cum priorum temporum necessitate certare, vincemur. Ingeniosior enim est ad excogitandum simulatio veritate, servitus libertate, metus amore. 3. Simul cum jampridem novitas omnis adulatione consumta sit, non alius erga te novus honor superest, quam si aliquando de te tacere audeamus. 4. Age, si quando pietas nostra silentium rupit, et verecundiam tuam vicit, quæ qualiaque decernimus nos, tu non recusas; ut appareat, non superbia, et fastidio te amplissimos honores [b] repudiare, qui minores non dedigne-

Cap. LV. 1 *Quod ego* plerique codd. et vulgg. edd. *Quod ergo* cod. Paris. et ed. Cuspin. *spatiosius reor* ed. Catan. Pro *inciditur*, cod. Vat. 4. habet *excidi-tur;* Schwarzian. *sed monumentum æternæ laudis incidere*. Patav. *ineunt. Ibi in sæcula*. Exc. Scal. et ed. Cusp. *sæpius nudi*. Cod. Guelph. *decernentur*.—2 *Et sane, si vellemus* edd. P. Steph. an. 1601. et Chouet, an. 1643. et mox in iisdem *vinceremur*. Patav. *necessitate vinceremur certare, vincemur. Ingeniosior .... ad excogitandum veritatem simulatio*.—3 *Simul cum jam primum* cod. Patav. et Exc. Voss. *Sed cum jam pridem* Catan. Pro *novitas*, in cod. Guelph. legitur *veritas;* Schwarzian. *novitas omnis adulationis consumta est*. Mox, *novus h. supersit* cod. Patav. et Exc. Voss.—4 *Age vero* conj. Schwarz. *quæ qualisque d. nos, aut tu non recusas* cod. Patav. *quæ qualia quidem, aut decernimus nos, aut tu non recusas* Venet. 1. *quæ qualiaque aut decernimus nos, aut tu non recusas* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venet. 2. Salisb. Guelph. et Schwarzian. item edd. Sichard. et Gryph. an. 1531. Vide Nott. Varr. Cod. Patav. et Exc. Voss. *aut appareat*. Pro *fastidio*, Vat. 4. habet *fastigio*. Deinde, Schwarzian.

NOTÆ

[p] *Trabibus*] Id est, ædificiis. *Monumentis æternæ laudis*] Id est, annalibus, et clarorum virorum scriptis. Hunc autem locum ita emendat, atque interpungit Gruterus ex editione Cuspiniani: *Quod ergo titulis omnibus speciosius reor, quando non trabibus aut saxis nomen tuum, sed monumentis æternæ laudis inciditur, ibit in sæcula, &c.*

[a] *Et sane*] Et vero si voluerimus æque Trajanum laudare, atque olim Domitianum necesse erat, vincemur. Primum, quia veritate ingeniosior est adulatio. Qui enim adulatur majorem artem adhibet, et quasi ingenium intendit, ut eximium aliquid promat. Veritas autem, quæ simplicior est, ornari ambitiosius negat. Juxta illud Horatii de Arte Poët. 431. 'Ut quæ conductæ plorant in funere, dicunt, Et faciunt prope plura dolentibus ex animo.' Deinde quia adulatores jam novitatis gratiam præceperant.

[b] *Amplissimos honores*] Consulatum

ris. 5. Pulchrius hoc, Cæsar, quam si recusares omnes. Nam recusare omnes, ambitionis; moderationis est, eligere parcissimos. Quo temperamento, et nobis,[c] et ærario, *consulis : nobis quidem, quos omni liberas suspicione ; ærario autem,* quod sumtibus ejus adhibes modum, ut qui exhaustum non

---

non dedignaris.—5 'Hæc verba, *Nam recusare omnes*, perperam omissa sunt in meo codice, in quo post verba, *quam si recusares omnes*, mox sequitur *ambitionis moderatio est, eligere parcissimos.* Sed etiam in ceteris codd. male se habent hæc verba : *Nam recusare omnes, ambitionis ; moderatio est, eligere parcissimos.* At in omnibus excusis, et in solo codice Venet. 1. lectio extat verior.' *Schwarz.* *moderatio est* cod. Patav. et Exc. Voss. '*Quo temperamento*] Laudat Plinius moderationem, quam Trajanus in admittendis honoribus a senatu sibi decretis adhibeat. Poteramus hac lectione acquiescere ; cum jam Catanæus ostenderit, Trajanum sic profuisse primum senatui et populo, dum non repleverit ærarium e bonis innocentium ; deinde *ærario*, dum sumtibus ejus modum adhibuerit. Sed vide, quale posteriorum verborum supplementum suggerat codex noster ! . . . *Quo temperamento, et nobis, et ærario, consulis : nobis quidem, quod* [f. *quos*] *omni liberas suspicione ; ærario autem, quod sumtibus tuis adhibes modum, ut qui exhaustum non sis innocentium bonis repleturus.* Expendant, quæso, alii, an supplementum hoc, (quod etiam alter Gudii liber ex alio codice Ms. annotatum refert,) stylo Pliniano sit indignum, sententiæque propositæ non congruat ? Sic vero Trajanus, cum non omnes honores sibi publice decretos recusarit liberasse dicitur senatum suspicione, quasi hic principem suum plane nullo honore dignum haberet. Sic etiam idem Trajanus, cum honores saltem parcissimos admiserit, nec voluerit ingentes arcus, templa, statuas aureas, de publica pecunia sibi exstrui ; recte dicitur adhibuisse sumtibus modum, ne ærarium alioquin amplioribus honoribus exhaustum necesse habuerit innocentium bonis replere. Ceterum, etsi supplementum hoc omnes libri impressi et commentatores adhuc ignorarunt ; attamen, cum vocabulum *ærario* in eodem verborum ambitu bis occurrat, haud ægre intelligimus, quomodo fieri potuerit, ut librarii in aliis codicibus prono lapsu ab uno ad alterum transierint, iis quidem verbis, quæ interjecta erant, oscitanter neglectis, et aliis ad constituendam sententiam leviter immutatis.' *Schwarz.* 'Ut ex aliis, ita et hoc ex loco intelligo, codicem tuum venisse a manu scioli, Plinio adjicientis temerario ausu, quæ putabat excidisse. Vulgata scriptura nihil mihi videtur dici potuisse pulchrius.' *Heuman.* 'Ita hunc quoque locum bellissime supplevit Voss. et Guelph. codex, cujus scripturam merito approbavit Cortius, nisi cum legeret *quos omni.* Qui diligentius ad vulgatam attendit, non difficulter hic hiatum agnoscit. Et multo elegantiora sunt, quæ supplentur, quam ut a librariis possent expectari, qui raro talium rerum sibi habebant copiam, unde tutissimam semper viam eligimus, si ex priscis codicibus aliquid quasi postliminio reducimus, quam si reducta abjiciamus. Nihil sane magis excogitari posset Plinianum, si vel ipse orator ab Acheronte esset redimendus. Prius tamen *quod*, cum respondeat eidem voci mox sequenti, nullo modo mutari debet in *quos.* Superius *ambitio* idem Guelph. uti mox *et qui* veteres editi ; prave.' *Arntz.* Vide Nott. Varr. Hæc verba, *et ærario c. n. q. q. o. l. suspicione*, prætermissa sunt in cod.

NOTÆ

tertium, ut supra, et nomen patris patriæ, quod multis tantum post annis sibi decerni passus est.

[c] *Et nobis*] Quia exhausto ad statuarum impensas ærario, non sumus ad illud replendum bonis spoliandi.

sis innocentium bonis repleturus. 6. Stant igitur effigies tuæ, quales olim ob egregia in rempublicam merita privatis dicabantur. Visuntur eadem e materia Cæsaris statuæ, qua Brutorum,[d] qua Camillorum.[e] 7. Nec discrepat causa: illi enim reges hostemque victorem mœnibus depulerunt; hic regnum ipsum, quæque alia captivitas gignit,[a] arcet, ac summovet, sedemque obtinet principis, ne sit domino locus.[b] 8. Ac mihi intuenti sapientiam tuam, minus mirum videtur, quod mortales istos caducosque titulos, aut depreceris, aut temperes.[c] Scis enim, ubi vera principis, ubi sempiterna sit gloria; ubi sint honores, in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus, liceat.[d] 9. Arcus enim, et statuas, aras etiam, templaque, demolitur [f] et obscurat oblivio, negligit carpitque posteritas: contra, contemtor ambitionis, et infinitæ potestatis domitor ac frænator animus, ipsa vetustate florescit, nec ab ullis magis laudatur, quam quibus [g] minime necesse est. Præterea, ut quisque factus

[a] *Et cetera mala quæ servitus secum affert.*
[b] *Ne tyrannus hanc sedem occupet.*
[c] *Aut refugias, aut ex parte tantum admittas.*
[d] *Quos neque ignis, neque vetustas, neque posteri adimere possint.*

Patav. *sumtibus tuis* Schwarzian. Mox, *et qui* plurimæ edd. *qui* solum, omissa particula *ut*, ed. Catan.—6 *Stant igitur . . . dicabantur*] Hæc similiter omissa sunt in Patav. *dicebantur* codd. Paris. Guelph. et Schwarzian.—7 *Non discrepat* cod. Patav. Mox, *ne sit domini locus* cod. Patav. et Exc. Voss.—8 *At mihi* Gud. 1. *intuenti in s. tuam* edd. Ascens. H. Steph. Rivin. Boxhorn. et Cellar. *Scis enim, quod, ubi vera, &c.* codd. Vat. 4. et Schwarzian. Voc. *principis* deest in codd. Vatt. Venet. 2. et Salisb. a m. pr. *ii sunt honores* codd. Vatt. Venet. 2. et Salisb. *hi sint honores* Venet. 1. *ibi sint honores* ed. Sichard. et H. Steph. in marg. *hi sunt honores* codd. Paris. Sichard. Schwarzian. et Exc. Voss.—9 Cod. Patav. *et infinitæ p. dominator.* Mox, *nec*

NOTÆ

[d] *Brutorum*] Is est L. Junius Brutus qui Tarquinium Superbum ac una cum eo regium nomen e republica sustulit an. U. C. 245. ob quod factum primus Romanorum consul factus est, atque in singulari certamine cum Arunte Tarquinii filio congressus cum cecidisset, libertatis per eum restitutæ memor populus Rom. corpus ejus in foro posuit: quin et in Capitolio inter reges positus, dextra gladium tenens. Plutarchus in Bruto.

[e] *Camillorum*] De Camillis dictum est supra cap. XII. Huic qui Gallos expulit 'statua sine tunica in rostris posita est.' Plinius.

[f] *Demolitur*] Lipsius, *demolitur ætas, obscurat oblivio:* bene, si alicujus codicis accedat auctoritas.

est princeps, extemplo fama ejus, incertum bona an mala, ceterum æterna est. 10. Non ergo perpetua principi fama, quæ invitum manet, sed bona concupiscenda est. Ea porro non imaginibus et statuis, sed virtute ac meritis, prorogatur: cum etiam leviora hæc, formam principis, figuramque, non aurum [h] melius, vel argentum, quam favor hominum, exprimat, teneatque. 11. Quod quidem prolixe tibi cumulateque contingit, cujus lætissima facies, et amabilis vultus, in omnium civium ore, oculis, animo, sedet.

CAP. LVI. 1. Annotasse vos, credo, Patres Conscripti, jamdudum me non eligere [i] quæ referam. Propositum est enim mihi, principem laudare, non principis facta. Nam laudabilia multa etiam mali faciunt; ipse laudari, nisi optimus,[j] non potest. Quare non alia major, Imperator auguste, gloria tua, quam quod agentibus tibi gratias nihil velandum est,[e] nihil omittendum est. 2. Quid est enim in principatu tuo, quod cujusquam prædicatio vel transilire

[e] *Nihil obtegendum dissimulatione.*

ab illis magis. Hæc verba, *Præterea, ut quisque . . . concupiscenda est,* desunt in cod. Patav. aliisque. Vide Nott. Varr. Pro *extemplo* ed. Cuspin. habet *exemplo.*—10 Venet. 1. *quin etiam leniora hæc;* Patav. *quin etiam leviora hæc;* et sic Vatt. 1. 2. 3. aliique codd. ap. Schwarz. *cum etiam leviora hæc* solus Vat. 4.—11 Cod. Patav. *cujus lectissima facies.* Paulo post, in edd. Beroald. Catan. et al. antiq. legitur *oculis, animo. Sed annotasse vos, &c.* in ed. Venet. an. 1519. *oculis, animo. Sed et annotasse, &c.* Vide Nott. Varr.

CAP. LVI. 1 *Annotasse nos* cod. Patav. *Id notasse vos* cod. Salisb. Mox, *mihi* deest in cod. Vat. 4. pro quo in ed. Beroald. legitur *nihil.* Paulo post, *nihil omittendum,* omisso τῷ *est,* Venet. 1. et Salisb.—2 Vulgg. *quod cujusque*

NOTÆ

[g] *Quam quibus*] Quam ab iis, qui non ex servili quadam necessitate id facere coguntur.

[h] *Non aurum*] Id intelligebat Agesilaus, qui cum moriens vetaret ne ulla sui imago fieret, Si quod, inquiebat, præclarum facinus gessi, hoc erit mihi monumentum.

[i] *Non eligere*] Elegans artificium hujus loci; nam primo nihil æque fugit, quam ut videatur argutius conquisivisse, quæ ad Trajani laudem huc usque attulit. Deinde quia de biennio tantum loquitur, ac pauca habet præclare facta quæ sigillatim persequi possit, probat majus esse quidpiam ad principis laudem, si in genere laudetur.

[j] *Nisi optimus*] Id est, nisi omni laude cumulatus. Forte etiam alludit ad Trajani nomen, qui *optimus* appellatus est, ut supra dictum cap. II.

vel prætervehi debeat? Quod momentum, quod immo temporis punctum, aut beneficio sterile,[k] aut vacuum laude? Non omnia ejusmodi, ut is optime te laudasse videatur, qui narraverit fidelissime? Quo fit, ut prope in immensum diffundatur oratio mea; et necdum de biennio loquor.[l] 3. Quam multa dixi de moderatione, et quanto plura adhuc restant? ut illud, quod secundum consulatum[m] recepisti, quia princeps et pater deferebat. At, postquam ad te imperii summam, et cum omnium rerum, tum etiam tui potestatem, Dii *transtulerunt*, tertium consulatum recusasti, cum agere tam bonum consulem posses. 4. Magnum est,[n] differre honorem; gloriam, majus. Gestum consulatum mirer, an non receptum?[f] Gestus non in hoc Urbis otio, et inti-

[f] *Utrumne mirari debeo, consulatum quem gessisti, an quem recusasti?*

prædicatio; omnes vero codd. et optt. edd. *quod cujusquam, &c.* et sic Gesn. Arntz. et Gierig. *vel transire* ed. P. Steph. *quod cujusque prædicatione, vel transiliri, vel prætervehi, debeat* Venet. 1. Mox, *quod modo temporis punctum* cod. Patav. et Exc. Voss. Deinde, pro *Non omnia*, quod servant codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venett. 1. 2. Patav. Salisb. Guelph. Schwarzian. et edd. plurimæ, *Num omnia* legitur in edd. Ald. Junt. Steph. Boxhorn. Kirch. et Cellar. Tum, *diffundatur oratio; et nedum, &c.* cod. Patav.—3 Vatt. 3. 4. *ut, quod secundum*, omisso pronomine *illud*. Mox, in cod. Salisb. *differebat*, pro *deferebat*. 'Hæc lectio, *Dii transtulerunt*, exprimitur in codd. Paris. Salisb. et Venet. 2. in excusis vero libris duntaxat Rhenan. et Gesn. eandem exhibuerunt. Ceteri omnes habent *transtulerint;* at fere insolens est, adverbium *postquam* sic construi cum conjunctivo.' *Schwarz.* Paulo post, cod. Paris. *consulem non posses.* '*Cum agere*] Melius, me judice, hæc cum sequenti periodo continuari: *recusasti. Cum agere tam bonum consulem posses, magnum est;* nam hoc laudat, jam experimentum tui ceperas et dederas, in duplici consulatu: cum ergo sic pro spe, aut supra spem fuerit, quid renuis tertium, parata nova segete gloriæ?' *Lips.* 'Cujus sententiæ accedit Perizonius, neque mihi displicet, quamvis putem parum interesse.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—4 *Gestum non in hoc* codd. Vatt. Guelph. Schwarzian. et ed. Gesn.—

NOTÆ

[k] *Beneficio sterile*] Eam diem perdidisse se aiebat Titus, quo nullum in quenquam beneficium contulisset. Multo vero munificentior fuit Trajanus, qui ne momentum quidem sibi elabi patiebatur, quin alicui commodaret.

[l] *De biennio loquor*] Hinc patet habitam hanc orationem tertio Trajani imperii anno. Sed hoc fusius initio demonstravimus in Plinii Vita.

[m] *Secundum consulatum*] Trajanus annum agens 44. ab imperatore Nerva secundum consul factus est. Vide supra in Trajani Vita.

[n] *Magnum est*] Magnum est differre magistratum, majus vero quidpiam dilatam velle gloriam, quæ ex

mo sinu pacis; sed juxta barbaras gentes: [o] ut illi solebant, quibus erat moris, paludamento [p] mutare prætextam, ignotasque terras victoria sequi. 5. Pulchrum imperio, gloriosum tibi, cum te socii [q] atque amici sua in patria, suis in sedibus, adierunt. Decora facies: consulis, multa post sæcula, tribunal viridi cespite [r] exstructum, nec fascium [s] tantum, sed pilorum [t] signorumque honore circumdatum. 6. Augebant majestatem præsidentis diversi postulantium habitus, ac dissonæ voces, raraque sine interprete oratio. 7. Magnificum est, civibus jura, quid? hostibus, [u] reddere. Speciosum, certam fori partem, [v] quid? immanes campos

5 *De quo facies* codd. Vatt. 1. 3. 4. Venet. 2. Guelph. Schwarzian. et Salisb. a m. pr. In quibusdam codd. hæ voces ita interpunguntur, ut nomen *consulis* ad antecedens nomen *facies* referatur. Immo Cuspin. illud nomen *consulis*, hoc loco omissum, reposuit ante voc. *tribunal*. Paulo post, pro *honore*, Lipsius vellet *horrore*.—6 Perizonius legit, *variaque sine interprete*.—7 Cod. Patav. *certam fori pacem*. 'Alii libri, *pacem*. Ego cum verba video, *partem* verius pronuntiabo; nam exigua fori parte jus dicere, confert cum magnis vastisque illis campis; qui pro foro. Si *pacem* tamen vis, tum sententia: Pulchrum est in toga Romæ, et togatis jus dicere: quid inter ipsa arma et hostes?' *Lips.* 'Pro voce *pacem*, P. Faber substituit *partem*; quod nomen

NOTÆ

magistratu bene gesto reditura est.

[o] *Barbaras gentes*] In Germania ubi toto primi et secundi consulatus tempore exercitui præfuit.

[p] *Paludamento*] Sensus est, ut erat mos eorum qui prætexta, quæ vestis magistratuum erat, deposita, paludamentum induebant. 'Paludamentum' autem fuit chlamys coccinei coloris: Plin. lib. XXII. interdum et albi, ut ait Valerius Max. I. 6. 11. ab humeris ad pedes dependens, ut ex nummis patet. Vestis erat imperatoris ad expeditionem aliquam proficiscentis, vel, ut ait Festus, cujusvis militis. Videri potest Lipsius de Militia Rom. lib. II. Dial. ultimo.

[q] *Socii*] Fortasse Germani, qui socii potius populi Romani, quam ei subditi.

[r] *Tribunal viridi cespite*] Tacitus An. I. 18. 'Simul congerunt cespites, exstruunt tribunal.' In quem locum Lipsius variorum scriptorum loca congerit, quibus antiquum hunc morem probet in castris tribunal e cespite imperatori educendi.

[s] *Fascium*] Qui a lictoribus ante consulem duodeni præferebantur.

[t] *Sed pilorum*] Hastæ, pila, vexilla defixa in terram erant, dum Trajanus consul milites alloquebatur. Ita exhibetur in Trajani columna: ita in sexcentis nummis quorum subscriptio est, 'adlocutio.' Mox, pro *honore*, Lipsius legit *horrore*.

[u] *Quid? hostibus*] Quanto vero majus quiddam est populis recens imperio Romano subjectis, proindeque obsequio nondum assuetis, jus dicere?

[v] *Fori partem* [*pacem*] Alii *partem*.

sella curuli,[w] victorisque vestigio, premere. Imminere[x] minacibus ripis, tutum quietumque; quid? spernere barbaros fremitus, hostilemque terrorem, non armorum magis, quam togarum[y] ostentatione, compescere. 8. Itaque non te apud imagines,[z] sed ipsum præsentem audientemque consalutabant imperatorem, nomenque, quod alii domitis hostibus, tu contemtis merebare.

CAP. LVII. 1. Hæc laus acti consulatus; illa dilati, quod adhuc initio principatus, ut jam excusatus[a] honoribus, et expletus, consulatum recusasti,[b] quem novi imperatores[c] destinatum aliis in se transferebant. 2. Fuit

in contextum recepit Lipsius; quem deinceps secuti sunt Berneggerus, Hackius, Kirchmaierus, Ceva. Mirum est, nos suffragiis omnium librorum destitui.' *Schwarz.* 'Solæ editiones, quæ Lipsii auctoritatem sequuntur, *partem*, reliquæ omnes *pacem:* egregie; nam altera vox plane absona, et usui Romano repugnans.' *Arntz.* Vide Nott. Varr. Paulo post, *quietumque; spernere, &c.* omisso *quid*, in Patav. omnibusque aliis codd. ap. Schwarz. Deinde, pro verbo *compescere*, cod. Salisb. a m. pr. habet *comprimere.*—8 Codd. Patav. Schwarzian. Exc. Voss. edd. Puteol. Rhenan. et Plant. *consultabant imperatorem.*

CAP. LVII. 1 Cod. Patav. *acri consulatus.* Mox, Cuspin. et Barthius ad Claudian. p. 477. *exsatiatus honoribus.* Vide Nott. Varr. *quem novi impera-*

NOTÆ

[w] *Sella curuli*] Sella curulis erat eburnea, et posita in eo curru, quo in curiam vehi, honoris causa, non tantum consules solebant, sed et quicumque curulem, id est, majorem magistratum gessissent. Videri potest Aul. Gell. III. 18.

[x] *Imminere*] Magnum est hoc, Rheni vel Danubii ripis placidum et securum imminere.

[y] *Togarum*] Quas in jurisdictione sumebant, saltem advocati, et causidici, et id genus. *Lipsius.*

[z] *Apud imagines*] Notat Lipsius imperatoris imaginem in castris poni solitam, ad quam venerandam exteri adducerentur.

[a] *Ut jam excusatus*] Aliqui libri habent *exsatiatus.* Gruterus.

[b] *Consulatum recusasti*] Mos erat ut novi imperatores proximis post imperii auspicia Kalendis Januarii consulatum ederent, quod fasti omnes ostendunt; et Apollinaris Sidonius de Avito Carmine 7. 'Principis interior, nunc consulis iste coruscat Annus, et emerita trabeis diademata crescunt.' Hic autem Plinius Trajani moderationem laudat, quod tertium consulatum, qui sibi pro imperatoris jure debebatur, privatis hominibus cedere voluerit.

[c] *Novi imperatores*] Utrum Nero, qui 'consules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus iniit consulatum?' Suet. Nerone cap. 43. an Vitellius, 'qui se in perpetuum consulem fecit?' Suet. cap. 11. an, quod crediderim magis, Otho, qui, Galba per insidias occiso, rerum potitus, 'cum Titiano fratre consulem in Kal. Martias se fecit;

etiam,[d] qui in principatus sui fine consulatum, quem dederat, ipse magna ex parte jam gestum extorqueret et raperet. Hoc ergo honore, quem et incipientes principes, et desinentes, adeo concupiscunt, ut auferant; tu, otioso ac vacante,[e] privatis cessisti. 3. Invidiosusne erat, aut tibi tertius[f] consulatus, aut principi primus? Nam secundum imperator quidem, sub imperatore tamen, iniisti: nihilque imputari in eo vel honori potest, vel exemplo,[g] nisi obsequium. 4. Ita vero, quæ civitas quinquies, atque etiam sexies,[h] consules vidit, non illos,[i] qui expirante jam libertate per vim ac tumultum creabantur, sed quibus sepositis et absentibus, in rura sua consulatus ferebantur; in hac civitate tertium consulatum princeps generis humani, ut *prægravem*, recusasti? 5. Tantone Papyriis etiam et Quintiis moderatior Augustus, et Cæsar, et pater patriæ? At illos[j] respublica ciebat. Quid? te non eadem respublica,

toris cod. Patav.—2 *Hoc ergo honorem* Exc. Voss. et cod. Patav. Mox, *privatus cessisti* cod. Patav.—3 *Nam s. imperatorem quidem, sub i. tum iniisti* cod. Patav. *Nam s. imperator q. s. i. tenuisti* tres codd. Vatt. Guelph. et Schwarzian. *sub i. cum inisti* Venet. 2.—4 Pro *sexies*, Arntz. conj. *septies*. Mox, Exc. Voss. cod. Patav. et plurimæ edd. *ut pergravem recusasti*. 'Livineius conjecerat *prægravem* legendum esse, ubi nunc vulgo legimus *pergravem*. Atque, en! istam conjecturam firmant codices Mss. Parisiensis, Guelpherbytanus, et noster, itemque alter Gudii liber. Sic et Lipsius et quidam alii jam ediderunt.' *Schwarz.* '*Prægravem* Ascens. et Gesnerus.' *Arntz.*—5 *Papyrius etiam et Quintius* edd. Puteol. Beroald. Catan. Ald. Cuspin. Rhenan. Steph. Gryph. Sichard. et Boxhorn. item codd. Vatt. 1. Paris. Venett. 1. 2. et Salisb. *Tanto ne patrius, &c.* cod. Patav. *Tanto ne parius* Exc. Voss. *moderator Augustus* cod. Patav. Mox, *Ad illos* in eodem codice; *et pater pa-*

NOTÆ

ceteros autem consulatus, ex destinatione Neronis aut Galbæ instituit?' Tacit. Hist. I. 77.

[d] *Fuit etiam*] Catanæus id accipiendum putat de Domitiano, qui Acilium Glabrionem, Trajani in consulatu collegam, interfecit. Ita Dio.

[e] *Vacante*] Extincto Nerva imperatore cum penes te unum esset tota auctoritas.

[f] *Tertius*] Si numerentur consulatus quos privatus gessit: sin minus, primus censeri potest.

[g] *Vel exemplo*] Unde posteri principes exemplum petere possint sæpius consulatum ineundi.

[h] *Quinquies, atque etiam sexies*] Intelligit haud dubie L. Papirium Cursorem, qui quinquies, et T. Quintium Barbatum Capitolinum, qui sexies consul fuit. Utrumque enim mox appellat.

[i] *Non illos*] Non C. Marium septies, non C. Cæsarem quinquies consulem factum.

[j] *At illos*] Haud dubie C. Attilium Regulum, cui Serrano cognomen.

non senatus, non consulatus ipse? qui sibi tuis humeris attolli et augescere videtur.

CAP. LVIII. 1. Non te [k] ad exemplar ejus voco, qui continuis consulatibus fecerat longum quendam et sine discrimine [l] annum: his te confero, quos certum est, quoties consules fuerunt, non sibi [m] præstitisse. 2. Erat in senatu [n] ter consul, cum tu tertium consulatum recusabas. Onerosum, nescio quid,[o] verecundiæ tuæ consensus noster indixerat, ut princeps toties consul esses quoties senator tuus. Nimia modestia istud, etiam privatus,[s] recusasses. 3. An consularis viri triumphalisque filius, cum tertio con-

[s] *Nimium modestus fuisses, si vel privatus.*

triæ, ad illos respiciebat Venet. 2. *At illos respublica, non senatus, non consulatus ipse, &c.* codd. Vat. 3. et Venet. 1. In fine, codd. Vat. 4. et Guelph. *et augescere videretur.*

CAP. LVIII. 1 *Nunc te* Vat. 3. *Num te* codd. Vat. 1. Paris. Venett. 1. 2. et Patav. Mox, Exc. Voss. et cod. Patav. *sine discrimine animum;* codex vero Patav. in margine habet *annum.* Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Guelph. et Schwarzian. *iis te confero;* et sic ed. H. Steph. in margine. *quos certum est, consules fuerint* cod. Schwarzian. *consules fuerint* etiam codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. et Guelph.—2 Pro *indixerat,* Philomus. edidit *induxerat.* ' Ante vocabulum *Nimia,* excidisse particulam *cum* jam observavit P. Faber; idemque, teste Hearn. in suo libro annotavit Jos. Scaliger; neque negamus, hic perquam commodum locum isti particulæ esse; at silent hucusque omnes codices Mss. librique impressi. Ac forte non omnino hic necessaria est illa particula.' *Schwarz.*—3 Cod. Patav. *cum tertio c. creator ascendit;* cod. Paris.

NOTÆ

[k] *Non te*] Quanquam nolim te Domitiano similem, qui septemdecim consulatus omnibus execrandos gessit. Fasti Rom.

[l] *Sine discrimine*] Annorum enim discrimen ab variis consulibus petebatur.

[m] *Non sibi*] Non utilitatis suæ causa, sed publicæ consulatus gessisse.

[n] *Erat in senatu*] An C. Silius Italicus poëta, triplici consulatu clarus, qui tum exulabat quidem in Campania, ut apparet ex Plinii Epist. III. 7. sed tamen eo sensu in senatu tum fuisse dici potest, quod inter senatores censeretur. Errant vero qui de Virginio Rufo locum hunc intelligunt. Is enim obierat Nerva tertium consule, ejusque in locum Cornelius Tacitus historicus insignis suffectus est. Ita Onufr. Panvin.

[o] *Onerosum, nescio quid*] Εἰρωνικῶς· neque enim magnum onus afferebatur principi quantumvis verecundo, cum communibus omnium votis ab eo postulabatur, ut quem tertium consulatum unus e senatorum numero, nempe Virginius gessisset, ipse princeps non recusaret.

sul creatur, ascendit? Non debitum hoc illi; non vel sola generis claritate promeritum? 4. Contigit ergo privatis,[p] aperire annum,[q] fastosque reserare: et hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, quod consul alius, quam Cæsar, esset. Sic, exactis regibus, cœpit liber annus: sic olim servitus pulsa privata fastis nomina induxit.[h] 5. Miseros ambitionis,[r] qui ita consules semper, ut semper principes erant: quanquam non ambitio magis, quam livor et malignitas, videri potest, omnes annos possidere, summumque illud purpuræ decus non nisi præcerptum præfloratumque[s] transmittere. 6. Tuam vero magnanimitatem, an modestiam, an benignitatem, prius mirer? Magnanimitas fuit, expetito semper honore abstinere; modestia, cedere; benignitas, per alios[t] frui.

CAP. LIX. 1. Sed jam tempus est, te ipsi consulatui præstare,[i] ut majorem eum suscipiendo gerendoque facias.

[h] *Sic quondam servitute depulsa privatorum nomina fastis inscripta sunt.*
[i] *Ut te impendis consulatui gerendo.*

adscendat. Mox, codd. Patav. Livin. Venett. 1. 2. Exc. Voss. item edd. Puteol. et Cuspin. *claritate præmeritum.*—4 Codd. Paris. et Venet. 1. item edd. Puteol. Beroald. Cuspin. et Philomus. *libertatis judicium fuit.* Vox *regibus* omissa est in cod. Patav. *nomina indixit* cod. Schwarzian.—5 Cod. Patav. et Exc. Voss. *non tam ambitio, quam, &c.* Voc. *magis* deest etiam in codd. Livin. Paris. et Venett. 1. 2. *omnes annos obsidere* codex Gronovii. Mox, codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Schwarzian. et ed. Beroald. *præceptum,* Vat. 3. et Venet. 2. *defloratum;* Vat. 1. *perflexatum;* Putean. *perfloratum;* cod. Patav. et Voss. *præceptum præfloratum.*—6 Cod. Patav. *modestiæ cedere;* codd. quidam Vatt. Paris. Salisb. Guelph. et Schwarzian. *modestiæ, c. benignitatis.* Behrius conj. *semper ab aliis honore, &c.*

CAP. LIX. 1 Ed. Catan. *te ipsum.* 'Codex Parisiensis, sed sine ullius

NOTÆ

[p] *Privatis*] Sosio Senecioni et A. Cornelio Palmæ.

[q] *Aperire annum*] Consules aperire annum dicebantur, quia primo anni die, et inibant consulatum, et eorum nomina fastis inscribebantur.

[r] *Miseros ambitionis*] Usus loquendi usitatus Horat. 'Felix cerebri.' 'Integer vitæ,' 'animi,' 'mentis.' 'Amens animi.' 'Egregius animi.' 'Vagus animi.' 'Fortunatus laborum.' 'Seri studiorum.' 'Somni benignus.' 'Fessus operum,' &c.

[s] *Præfloratumque*] Prælibatum. In rerum initiis inest novitatis nitor quidam, ac veluti flos, quem si præcerpseris ac prælibaris, quod reliquum fuerit, nihili aut certe flocci fiat.

[t] *Per alios*] Non placet Lipsii emendatio, qui legi vult, *pati alios frui.*

Nam, sæpius recusare, ambiguam, ac potius illam interpretationem habet, tanquam minorem putes. Tu quidem ut maximum recusasti; sed hoc persuadere nemini poteris, nisi aliquando et non recusaveris. 2. Cum arcus,[a] cum tropæa,[b] cum statuas, deprecaris; tribuenda est verecundiæ tuæ venia: illa enim sane tibi dicantur.[c] Cum vero postulamus, [*ut suscipias gerasque consulatum; postulamus,*] ut futuros principes doceas, inertiæ renuntiare, paulisper delicias differre, paulisper, et saltem ad brevissimum tempus,

libri alterius consensu, posteriora verba sic scripta exhibet: *ut majorem eum suscipiendo, gerendo augustiorem, facias.*' Schwarz. 'Non quidem me fugit, *augustum* epitheton proprie non esse, quod consulatui addatur, tamen mirifice blanditur scriptura codicis Parisini, et alia res est, si de principe consule agatur, qui consulatum reddere poterat *augustiorem.*' Arntz. *majorem eos, &c.* Guelph. *Nam s. r. ambiguam an potius* Vatt. 2. 4. Mox, *minoris eum* conj. Barth. ad Claud. Laud. Stil. II. 220.—2 *Cum circus, cum tropæa* Exc. Voss. *cum statuas deprecaberis* cod. Patav. *Cum vero postulamus* omnes codd. et plurimæ edd. 'Textus requirit, *Nunc vero.*' Lips. '*Nunc* edidit Cell. Hearn. Gesn. nec displicuisse crederes Perizonio, qui margine ascripserat. Mollissima hæc est mutatio, neque necesse erat, ut Baudius suum ingenium intenderet, et tandem proferret *jam.* Sed (utor verbis Dukeri nostri ad Florum IV. 6. 2.) quia videbam doctos non idem sentire de voce *cum,* malui exhibere corruptam veterum librorum scripturam. Præsertim quia hic conspirant omnes codices, nec satis certum sit, an non potius damno quarundam vocum truncata sit oratio, quales lacunas cl. Schwarzius et ego plures in hoc corpusculo supplevimus. Pro *somno* prior manus in Voss. scripserat *anno,* perperam. Vide Cortium ad Sallust. Catil. II. 8.' *Arntz.* Hæc uncis inclusa, *ut suscipias g. c. postulamus,* desunt in cod. Patav. Vide Nott. Varr. Hæc, *paulisper d. differre* desunt in Vat. 3. et Salisb. a m. sec. *p. d. auferre*

NOTÆ

[a] *Arcus*] Exterarum gentium victoribus erigi solitos, quique lateritii primum, ut Romuli temporibus; tum ex lapide quadrato, ut Camilli ætate. Demum, aucta majestate Rom. nominis, facti sunt marmorei. Georg. Fabricius in sua vetere Roma cap. 15.

[b] *Tropæa*] Tropæum vox Græca est a τρόπη, *fuga.* Monumentum est a victore erectum in eo loco, ubi hostes vicit. Fiebant primum ex trunco arboris, cui, ut ait Virgilius Æn. XI. 5. 'decisi essent undique rami.' Hunc autem, ut speciem humani corporis referret, armis vestiebant, aut aliis ornabant hostium spoliis. Neque pro spoliorum strue illa, ac victoriæ signo apud bonos scriptores sumitur tantum, sed et pro victoria ipsa. Horat. II. Od. 9. 'Et potius nova cantemus Augusti tropæa.' Aliqui legi malunt *trophæa* quam *tropæa,* quibus non dissentio, etsi Græce τρόπαιον· nam 'Ρίπαια ὄρη, *Riphæi montes,* et Βόσπορον Latine *Bosphorum* dicitur.

[c] *Tibi dicantur*] Tibi uni, tuæ gloriæ dantur, neque ulla inde ad nos manat utilitas.

ex illo felicitatis somno velut excitatos induere prætextam,[d] quam, cum dare possent, occuparint; ascendere curulem, quam detineant; esse denique quod[e] concupierunt, nec ideo tantum velle consules fieri, ut fuerint. 3. Gessisti alterum consulatum, scio: illum exercitibus, illum provinciis, illum etiam exteris gentibus,[f] poteris imputare;[g] non poteris nobis. Audimus quidem, te omne munus consulis obiisse; sed audimus. Diceris justissimus, humanissimus, patientissimus fuisse; sed diceris. Æquum est, aliquando nos judicio nostro, oculis nostris, non famæ semper et rumoribus, credere. 4. Quousque absentes de absente gaudebimus? Liceat experiri, an aliquid superbiæ tibi ille ipse secundus consulatus attulerit. Multum in commutandis moribus hominum medius annus[h] valet, in principum plus. 5. Didicimus[i] quidem, cui virtus aliqua contingat, omnes inesse:

habet Vat. 4. *ex illo felicitatis anno velut excitati* cod. Patav. et in margine *año*, pro *anno;* ed. Puteol. *sono.* Vox *excitati* legitur etiam in codd. Paris. Venett. 1. 2. et Salisb. item in edd. Puteol. Beroald. Cuspin. et Philomus. *excitari* conj. Livin. et Grut. quod recepit Cellar. *cum dari possint* cod. Patav. *cum dare possint* cod. Schwarzian. *esse denique* cod. Vat. 1. *quod concupierint* Schwarzian. *ne ideo tantum consules velle fieri; fuerint* cod. Patav.—3 Pro *exteris gentibus,* quam lect. exhibent tres Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. et Schwarzian. cum edd. Cuspin. et Gryph. vulgo legitur *ceteris gentibus;* et sic cod. Patav. mox in eodem cod. *non potes nobis.* Edd. Gryph. H. Steph. Rivin. Elz. Boxhorn. Hack. Cellar. Cev. Gesn. et Arntz. *Audivimus ... sed audivimus;* cod. Patav. *Audimus q. te o. m. c. odisse; sed audimus.* Mox, vulgg. *nostris oculis,* contra omnes codd. Deinde, vox *semper* deest in cod. Patav.—4 Hæc verba, *an aliquid, &c.* usque ad *tamen experiri,* desunt in codd. Vat. 3. et Venet. 1. Pro *secundus consulatus,* cod. Schwarzian. habet *serus consulatus.*—5 *Dicimus quidem* multi codd. et edd. etiam cod. Patav. et

NOTÆ

[d] *Induere prætextam*] Consularem.

[e] *Esse denique quod*] Id est, reipsa officium consulis fungi.

[f] *Exteris* [*ceteris*] *gentibus*] In Cuspiniani editione, item et in Lugdunensi, est *exteris gentibus*, quod magis placet.

[g] *Imputare*] Afferre excusationis loco.

[h] *Medius annus*] Inieras consulatum Kal. Jan. eumque ad sex circiter menses gestum honorariis consulibus cessisti. Quis scit autem, an ab eo tempore quo te consulem non sentimus, hoc est, a medio anno, nulla in te facta sit morum mutatio? Sensus etiam esse potest: Liceat experiri, an medius annus, (rotundat numerum,) quo cum Nerva vixisti consul simul et imperator, mores tuos non immutarit.

[i] *Didicimus*] Nempe a Stoicis statuentibus, ita virtutes communi quodam vinculo conjunctas esse, ut in

cupimus tamen experiri, an nunc quoque una eademque res sit, bonus consul, et bonus princeps. 6. Nam præter id, quod est arduum, duas, easque simul, capere potestates summas; tum inest utrique non nulla diversitas, cum principem quam simillimum esse privato, consulem quam dissimillimum, deceat.[j]

CAP. LX. 1. Atque ego video, proximo anno[k] consulatus recusandi hanc præcipuam fuisse rationem, quod eum absens gerere non poteras: sed jam Urbi votisque publicis redditus, quid est, in quo magis sis approbaturus, quæ quantaque fuerint, quæ desiderabamus? Parum est, ut in curiam venias, nisi et convoces;[l] ut intersis senatui, nisi et præsideas; ut censentes audias, nisi et perroges. 2. Vis illud augustissimum consulum aliquando tribunal majestati suæ reddere? ascende. Vis, constare

Exc. Voss. *cupimus tum experiri* cod. Patav.—6 Quidam codd. et edd. *easque summas, simul capere potestates.* Mox, codd. Patav. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Guelph. Schwarzian. et Exc. Voss. item edd. Puteol. et Beroald. *cum principem quam dissimillimum deceat.* Vide Nott. Varr.

CAP. LX. 1 Cod. Patav. et Exc. Voss. *quæ quantaque fuerunt.* Mox, edd. vett. *convocas . . . præsides . . . perrogas;* cod. Patav. *convocas . . . præsides . . . perroges.* 'Codices Mss. Guelph. et noster, itemque quos Is. Vossius et Gudius videre, habent, *convoces, . . . præsideas, . . . perroges.* Iidem Mss. una cum codice Parisiensi, pro nominativo singulari *consul*, habent casum gignendi in numero multitudinis, scil. *consulum;* prout jam Livineius, Lipsius, Gruterus, Berneggerus, Hackius, et Jac. de la Baune, recte jusserunt excudi. Non secus, in sequentibus verbis, comprobant omnes codices Mss. librique collati vocem *postulantibus,* pro qua non pauci ediderant *petulantibus.*' Schwarz. Vide Nott. Varr.—2 Quidam codd. Vatt. Schwarz. Venet. 1. et Guelph. *majestati tuæ.* Cod. Patav. *reddere, ascendere.* Mox, plurimæ

NOTÆ

quo virtus una sit, is ceteras complectatur.

[j] *Dissimillimum, deceat*] Principem enim decet inprimis humanitas: consul vero retinendæ dignitati magis studere debet.

[k] *Proximo anno*] Id est, an. Chr. 99. qui proxime eum præcessit, quo Trajanus, ut mox addit, cessit tandem reipublicæ precibus, 'non ut se privatis, sed ut privatos pares sibi faceret. Recepit enim tertium consulatum, ut daret.' Quæ verba oscitanter legisse Lipsium oportet, qui in panegyrici argumento 'proximum annum' intellexit de anno quartum Trajani consulatum proxime consequente.

[l] *Nisi et convoces*] Nisi consul venias. Consulis enim erat senatum, cum libitum erat, convocare, in sella curuli tanquam in tribunali præsidere, quid censerent senatores rogare et perrogare, quod postremum maxime ad eum pertinebat penes quem eo mense fasces erant.

reverentiam magistratibus, legibus auctoritatem, modestiam postulantibus? [m] adi. 3. Quod enim [n] interesset reipublicæ, si privatus esses, consulem te haberet tantum, an et senatorem; hoc nunc scito interesse, principem te habeat tantum, an et consulem. 4. His tot tantisque rationibus, quanquam multum reluctata verecundia principis nostri, tandem tamen cessit. At quemadmodum cessit? Non, se ut privatis, sed ut privatos pares sibi, faceret. 5. Recepit enim tertium consulatum, ut daret. Noverat moderationem hominum, noverat pudorem, qui non sustinerent tertio consules [o] esse, nisi cum ter consule.[p] Bellorum [q] istud sociis olim, periculorum consortibus, parce tamen, tribuebatur,

edd. *modestiam petulantibus;* et sic cod. Salisb. a m. pr. Pro *adi*, codd. Vatt. Patav. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. et Schwarzian. item edd. Puteol. Beroald. et Philomus. habent *adire.* Bebrius interpolationem hanc suggerere conatus est: *modestiam populo; stipatum te lictoribus ostende!*—3 *Quid enim* quidam codd. et edd. *interest reipublicæ* codd. Vatt. Paris. Patav. Venett. 1. 2. Guelph. et Exc. Voss. *consulem te haberi tantum* cod. Patav. *consulentem haberet* Livin. *habere* conj. Ritters. Mox, *hoc nunc scio* cod. Patav.—4 Cod. Patav. et Exc. Voss. *tandem cessit*, omissa voce *tamen.* Mox, *sibi pares* codd. Vatt.—5 Sex hæc vocabula, *Recepit enim tertium consulatum, ut daret*, desiderantur in codd. Vatt. 2. 4. Guelph. et Schwarzian. *Bellorum istud ocii* cod. Patav. et Exc. Voss. *B. i. otiis*, vel *ociis*, codd. Paris. Venett. 1. 2. Guelph. et Schwarzian. *B. istis otiis* in quibusdam Vatt. *Bellorum ocius* Salisb. et a m. sec. *onus.* Cod. Patav. *parce tam t. q. tu s. nostris ... sed præ-*

NOTÆ

[m] *Postulantibus*] An *petulantibus*, ut alii legunt; nam litigatores, et causidici, inquit Lipsius, immodestum sæpe genus et judicibus molestissimum.

[n] *Quod enim*] Sententia est: Quod enim priscis temporibus fuisset e bono reipublicæ, si privatus fuisses, ut te non consulem modo, sed et senatorem haberet; id puta plurimi nunc ejus interesse, ut te non principem tantum, verum et consulem habeat, ut et auctoritatis tuæ præsidio tuta sit, et administretur sapientia.

[o] *Tertio consules*] Fuit illud Ciceronis temporibus a viris doctissimis agitatum, utrum in æde, quam Pompeius Victoriæ dedicabat, inscribendum esset *Tertio*, vel *Tertium* consul. Quam controversiam dirimere ne ausus quidem est Tullius. Tres tantum, inquit, hujus vocis literæ incidantur, *Ter.* Sic et *Tertio*, et *Tertium* consul pro arbitrio legetur. Id ex Varrone et Tironis epistola fuse narrat Aulus Gellius x. 1.

[p] *Ter consule*] Utrum Plinii aut librarii cautio est, *Ter* pro *Tertium*, aut *Tertio*, juxta Tullii consilium scribentis, alii viderint; sed in alio Plinii loco 'iterum consul,' et apud alios 'bis consul' legitur.

[q] *Bellorum*] Ut Julius Cæsar Antonio.

quod tu singularibus viris,[r] ac de te quidem[s] bene ac fortiter, sed in toga meritis, præstitisti. 6. Utriusque cura, utriusque vigilantia obstrictus es, Cæsar. Sed in principe rarum, ac prope insolitum est, ut se putet obligatum, aut, si putet, amet. Debes ergo, Cæsar, et solvis. Sed, cum ter consules facis, non tibi magnus princeps, sed non ingratus amicus, videris. 7. Quin etiam perquam modica quædam civium merita, fortunæ tuæ viribus in majus extollis. Efficis enim, ut tantum tibi quisque præstitisse videatur, quantum a te recipit. Quid isti benignitati precer? nisi, ut semper obliges, obligeris; incertumque facias, utrum magis expediat[t] civibus tuis, debere tibi, an præstitisse?

Cap. LXI. 1. Equidem illum antiquum senatum contueri videbar, cum, ter consule assidente, tertio consulem[a] designatum rogari sententiam cernerem. Quanti tunc illi,

stitisti in toga meritis; Exc. Voss. etiam *singularibus nostris.* In codd. Paris. et Venet. 1. item in edd. Puteol. Beroald. Catan. Ald. Cuspin. Junt. Rhenan. Philomus. Cratand. R. H. et P. Steph. Gryph. Sichard. Nav. Livin. Plant. Elz. et Arntz. *ac de te quidem bene ac fortiter, præstitisti, sed in toga meritis;* codd. Vatt. Venet. 2. Salisb. Guelph. Schwarzian. et Exc. Voss. *ac de te quidem bene ac fortiter, sed præstitisti in toga meritis;* Boxhorn. Kirch. Cellar. et Gesn. *ac de te quidem bene ac fortiter meritis præstitisti, sed in toga meritis.*—6 *Utriusque vigilantia, cura* cod. Patav. et Exc. Voss. *adstrictus es, Cæsar, et solvis* Guelph. omissis decem et novem vocabulis. *Debet ergo Cæsar et solus* cod. Patav. sed in margine *solvis.*—7 Cod. Venet. 1. *in manus extollis.* Mox, *a te recepit* codd. Paris. Salisb. Exc. Voss. et Gryph. an. 1542. *semper obliges, semper obligeris* Vat. 3. *obliges obligerisque* Guelph. In edd. Berneg. Hack. et Gesn. omissum est verbum *obliges.* Paulo post, ed. Beroald. *habere tibi;* cod. Venet. 1. *debere,* omisso pronomine *tibi.*

Cap. LXI. 1 Cod. Patav. *tertium consulem.* Idem codex et Exc. Voss.

NOTÆ

[r] *Singularibus viris*] Puta M. Cornelium Frontonem oratorem, quem Trajanus consul tertio consulem secum fecit, et Sextum Pompeium, si Onufrio quidem credimus, in Kal. Martias tertium consulem designatum.

[s] *Ac de te quidem*] Obscura sententia, nisi restituatur ordo, qui est ad oram editionis Livineianæ: *Ac de te quidem bene ac fortiter, sed in toga meritis præstitisti.* Id est, id quidem eis dedisti, cum propter ea quæ in te contulere beneficia, tum propter egregie navatam in negotiis civilibus operam.

[t] *Utrum magis expediat*] Utrum utilius sit *debere tibi,* id est, accepisse a te beneficium, *an præstitisse,* id est, an dedisse. Quia nimirum, præsentem meritorum nostrorum fructum et remunerationem ferimus.

[a] *Tertio consulem*] Sext. Pompeium, de quo supra dictum est cap. VIII.

quantusque tu? 2. Accidit quidem, ut corpora, quamlibet ardua et excelsa, procerioribus admota, decrescant;[a] item ut altissimæ civium dignitates, collatione fastigii tui, quasi deprimantur;[b] quantoque propius ad magnitudinem tuam ascenderint, tantum etiam a sua descendisse[c] videantur. 3. Illos tamen tu, quanquam non potuisti tibi æquare, cum velles, adeo in edito collocasti, ut tantum super ceteros, quantum infra te, cernerentur. 4. Si unius[b] tertium consulatum eundem in annum, in quem tuum, contulisses; ingentis animi specimen haberetur. Ut enim felicitatis est, quantum velis, posse; sic magnitudinis, velle, quantum possis. 5. Laudandus quidem et ille, qui tertium consulatum meruit; sed magis, sub quo meruit: magnus memorandusque, qui tantum præmium cepit; sed major, qui capienti dedit. 6. Quid? quod duos pariter tertio consulatu, *duos* collegas [*tertii consulatus*] tui sanctitate, decorasti?

[a] *Cum altioribus comparata, minora videantur.*
[b] *Comparatione dignitatis tuæ quasi decrescant.*
[c] *Tanto plus amisisse de sua.*

Quanti tunc ille.—2 Codd. quidam Vatt. et Guelph. cum edd. Puteol. Beroald. et Philomus. *quælibet ardua;* Behrius, *sicut corpora, quamlibet ardua et excelsa, procerioribus admota, decrescunt; ut item, &c.* Gesnerus conj. etiam *decrescunt.* Cod. Patav. *quantoque proprius.* Mox, *tanto etiam* quatuordecim edd. ap. Schwarz. *tantum et* Salisb. *tantum etiam* omnes alii codd. cum edd. Puteol. Beroald. Ald. Cuspin. Rhenan. Philomus. Junt. Gryph. an. 1542. Nav. R. Steph. Livin. Sichard. Arntz. et Gesn.—3 Cod. Salisb. et ed. Gryph. ap. Arntz. *in edicto collocasti.* Codd. Guelph. Schwarzian. et ed. R. Steph. *ut t. supra ceteros.*—4 *Si unus* codd. Venet. 1. et Patav. *Sed unius* Schwarzian. *Si uni* Salisb. Mox, *ingentis anni specimen* cod. Patav. et Exc. Voss.—5 Cod. Patav. *sed majus, sub quo, &c.* Mox, cod. Guelph. *præmium recepit.* Ed. Gedanensis, *qui accipienti dedit.*—6 'Vexatus hic locus. Primum Lipsius, in commentario suo, tradidit, pro vocabulo *collegas*, melius, aut certe apertius, rescribi posse *collegii*, hunc in modum: *Quid? quod duos pariter tertio consulatu collegii tui sanctitate decorasti.* Hanc Lipsii conjecturam Panegyrico Plinii deinceps intulere Berneg. Hack. Kirch. Gottschlingius. Sed nondum inferre ausus erat ante Lipsius; neque nos auderemus. 'Collegium' enim proprie notat cœtum collegarum; quæ notio huc non quadrat. Neque nobis constat, ab ullo vetere probatæ Latinitatis scriptore 'collegium' dici pro munere et officio collegæ. Livineius aliam iniit viam, dum hæc commentatus est: 'Dubius ac suspectus locus, et quem non concoquam. Arbitror germanum: *Quid,*

NOTÆ

[b] *Si unius*] Sententia est: Si quo anno tertium consul factus es, eodem privatum hominem tertio consulem tecum esse voluisti.

ut sit nemini dubium, hanc tibi præcipuam causam fuisse extendendi consulatus tui, ut duorum consulatus amplecteretur, collegamque te *non* uni [c] daret. 7. Uterque nuper consulatum alterum [d] gesserat, a patre tuo, id est, quanto minus,[e] quam a te, datum: utriusque adhuc oculis paulo

quod duos pariter, duos collegas (habet nescio quam vim ac venustatem repetitio, *duos*,) *tertii consulatus tui sanctitate decorasti?*' Nihil hac verborum ordinatione possit ad perspicuitatem hujus loci esse accommodatius; dummodo huic emendationi succurrat veterum librorum auctoritas. Succurrit equidem ex parte, dum ista repetitio vocis *duos* revera extat in codicibus Mss. Parisiensi, Veneto, Guelph. Voss. et nostro; utpote in quibus singulis legimus: *Quid, quod duos pariter tertio consulatu, duos collegas, tui sanctitate decorasti?* Verum, nullum vestigium mutati casus, transpositarumque vocum, *consulatus tui*, vel scripti vel cusi libri produnt.' *Schwarz.* Vide Nott. Varr. Hæc verba, *tertii consulatus*, desunt in cod. Patav. *tui societate* Exc. Voss. *tui scitate* ed. Catan. Mediol. an. 1506. et Venet. 1510. Pro *extendendi* cod. Guelph. habet *excedendi.* 'Vitium latens, quod huc usque omnes libros impressos occupavit, certiore ratione detegere possumus, cum ea ita legenda esse videantur: *ut sit nemini dubium, hanc tibi præcipuam caussam fuisse extendendi consulatus tui, ut duorum consulatus amplecteretur, collegamque te non uni daret.* Primum, hanc lectionem requirit sententiæ constituendæ necessitas. Quomodo enim rationi convenienter dici potuisset, consulatum Trajani, qui in plures menses extensus, duorumque collegarum consulatus complexus fuit, ipsum hunc imperatorem uni saltem consuli dedisse collegam? Certe, Trajanus in tertio consulatu suo collegam habuit per duos priores menses M. Cornelium Frontonem; et per duos posteriores, Sextum Pomponium; utrumque pariter tertium consulem, quanquam alterum saltem suffectum. Deinde restituendæ veræ lectioni viam aperiunt muniuntque codices Mss. Sic enim scriptum est in Veneto, Guelpherbytano, Vossiano, ac nostro: *et collegam qui te non uni daret.* Ubi vox *qui* perperam posita est pro particula copulandi, *que*: quam particulam evidenter prodit Ms. Parisiensis. Particula vero *et*, quæ ob male scriptum *qui* irrepserat, rursus est removenda. Ergo in posterum locus hic sic est rescribendus: *hanc tibi præcipuam caussam fuisse extendendi consulatus tui, ut duorum consulatus amplecteretur, collegamque te non uni daret.* Ante hanc nostram emendationem omnes libri typis impressi habuerunt *et collegam te uni daret.* Lipsius in commentario suo ex officina Plantiniana prodito, ita interpretatus est vulgarem lectionem; 'Jam nunc daret uni, in te: nempe Frontoni; alteri daturus, cum is abiisset.' Sed vide, quam obscure, quamque contorte! Unde posteriore tempore rectius rescripsit, 'Imo, *non uni*, si quid ego video.'' *Schwarz.* 'Æstuant interpretes non immerito. Feliciter cl. Schwarz. restituta negatione legit, *Et collegam te non uni daret;* qua ratione nihil superest.' *Gesn.* 'Verum etiam sensum vidit Rupertus ad Pompon. de O. J. p. 171. cum restitueret, *nec collegam te uni daret.* De negatione frequenter omissa diximus cap. 8. fine. Tutius credidi *et* retinere cum editis et Mss. quam ex corrupta *qui* refingere

NOTÆ

[c] *Uni*] Id est, Frontoni. Neque enim Trajanus initio anni Pompeii collega fuit, si quidem Fronto in Kalendas tantum Martias fuit consul designatus.

[d] *Consulatum alterum*] Id est, secundum.

[e] *Quanto minus*] Quanto minus gloriosum est consulatum a Nerva, quam a te accepisse?

ante dimissi fasces oberrabant;[d] utriusque solennis ille lictorum et prænuntius clamor[f] auribus insederat; cum rursus curulis, rursusque purpura: ut olim, cum hostis in proximo, et in summum discrimen adducta respublica expertum honoribus virum posceret, non consulatus[g] hominibus iisdem, sed iidem homines consulatibus, reddebantur. 8. Tanta tibi benefaciendi vis, ut *indulgentia tua necessitates* æmuletur. Modo prætextas exuerant; resumant: modo lictores abire jusserant; revocent: modo gratulantes amici recesserant; revertantur. 9. Hominisne istud ingenium est, hominis potestas, renovare gaudia, redintegrare lætitiam, nullamque requiem *gratulationibus* dare, neque alia repetendis consulatibus intervalla permittere, nisi dum finiuntur?[h] 10. Facias ista semper, nec unquam in hoc opere, aut animus tuus, aut fortuna, lassetur. Des quam plurimis tertios consulatus, et, cum plurimis tertios

[d] *Etiam tunc ante oculos utriusque obversabantur fasces, quos paulo ante dimiserant.*

que, eoque modo priorem voculam extrudere.' *Arntz.*—7 Cod. Patav. *paullo ante dimisisse fasces.* Paulo post, *virum nosceret* ed. Livin. *virum poscebat* cod. Paris.—8 Cod. Patav. *ut indulgentiæ tuæ necessitas æmuletur.* Videndæ Nott. Varr. *Non prætextas exuerant* Beroald. Mox, hæc verba, *revocent: modo g. a. recesserant,* desunt in cod. Guelph.—9 Cod. Patav. et edd. vulgg. *requiem gratulationis.* 'In codicibus Mss. Parisiensi, Guelpherbytano, et nostro, non *gratulationis*, sed *gratulationibus*, exprimitur; præterea post vocem *nullam* omittitur particula ἐγκλιτικὴ *que.* Bene, casum dandi pluralem, *gratulationibus*, jam prodidere Gryphius et Quartius; quidam alii eundem tantum in margine annotavere.' *Schwarz.* '*Gratulationibus*, ut concinnius, placuit Gesnero: edidit Sichardus et apparet in margine cl. Minois, nec aliter conjecerat Livineius, neque mihi displiceret, si ita constanter legeretur: cum vero major pars receptæ scripturæ faveat, eam prætuli.' *Arntz.* Vide Nott. Varr. Paulo post, cod. Patav. *intervalla promittere.*—10 Cod. Schwarzian. *aut fortuna laxetur.* Mox, hæ quinque voces, *et, cum plurimis tertios consulatus,*

NOTÆ

[f] *Prænuntius clamor*] Populum pro more summoventium hoc solenni verbo 'animadverte,' ut adventanti consuli cederent, assurgentesque cum plausu illum exciperent. Sueton. in Julio cap. 80. 'Cum lictor ex more animadverti jussisset.'

[g] *Non consulatus*] Haud absimile illud Valerii Max. VII. 5. de repulsis: 'Non Catoni tunc prætura, sed præturæ Cato negatus est.' Seneca vero Consol. ad Helv. cap. 13. 'Quis M. Catonis ignominiam putat fuisse, duplicem in petitione præturæ, et consulatus repulsam? ignominia illa præturæ et consulatus fuit.'

[h] *Nisi dum finiuntur*] Nisi quantum necesse est, ut, finito uno consulatu, alter incipiat.

consulatus dederis, semper tamen plures, quibus debeas dare, supersint.

CAP. LXII. 1. Omnium quidem beneficiorum, quæ merentibus tribuuntur, non ad ipsos gaudium majus, quam ad similes, redundat: præcipue tamen ex horum consulatu, non ad partem aliquam senatus, sed ad totum senatum, tanta lætitia pervenit, ut eundem honorem omnes sibi, et dedisse, et accepisse, videantur. 2. Nempe enim hi sunt, quos senatus, cum publicis sumtibus minuendis[i] optimum quemque præficeret, elegit, *et quidem* primos. Hoc est igitur, hoc est, quod penitus illos animo Cæsaris insinuavit. 3. An parum sæpe experti sumus, hanc esse rerum conditionem, ut senatus favor apud principem aut prosit, aut noceat? Nonne paulo ante nihil magis exitiale erat, quam illa principis cogitatio: hunc senatus probat; hic senatui carus est? Oderat,[j] quos nos amaremus; sed et nos, quos ille. 4. Nunc inter principem senatumque dignissimi cujusque caritate certatur.[e] Demonstramus invicem; credimus invi-

[e] *Jam vero princeps et senatus dignissimos quosque certatim amant.*

desiderantur in codd. Vat. 4. Venet. 2. Salisb. a pr. m. et Schwarzian. Pro *tertios*, Guelph. habet *ternos*. Denique, cod. Patav. habet *quibus debes dare*.

CAP. LXII. 1 'Levis varietas occurrit in codicibus Mss. in Gudiano libro, item in Beroaldi ac Cuspiniani editione, ubi pro *magis* legitur *majus*. Neque insuper habenda videtur hæc lectio, cum pari fere modo Cic. in Orat. pro Marcello, cap. 11. dicat: 'Est vere fortunatus, cujus ex salute non minor pene ad omnes, quam ad illum, ventura sit, lætitia pervenerit.'' *Schwarz.* '*Majus* omnes antiquæ editiones Puteol. Veneta, Froben. et cum nostris duobus codex Livineii. Primus, quod sciam, *magis* dedit Aldus, et in margine Rhenanus.' *Arntz.*—2 Codd. Vatt. 4. et Schwarzian. *sumptibus muniendis*. Codd. Paris. et Schwarzian. *quem perficeret*; Vat. 4. *quemque perficeret*; Venett. 1. 2. *quem præficeret*; Exc. Voss. et cod. Patav. *quem præficere statuisset*. Mox, vulgg. *equidem primos*; et sic plurimi codd. etiam Patav. et Exc. Voss. *quidem primos* Salisb. *et quidem primos* duo codd. Vatt. Vide Nott. Varr.—3 Pro *experti sumus*, codd. Venett. 1. 2. Paris. et Salisb. habent *expertissimis*. Paulo post *Oderat* deest in cod. Patav. Codd. Venett. et Guelph. habent

NOTÆ

[i] *Sumtibus minuendis*] Exhausto per Domitianum ærario, Nerva, multis sacrificiis circensibus, et spectaculis sublatis, necesse habuit publicos sumtus, quantum potuit, minuere. Ita Dio.

[j] *Oderat*] Oderat Domitianus, quos amabamus, et vicissim, quos amabat ille, oderamus.

cem; quodque maximum amoris mutui signum est, eosdem amamus. 5. Proinde, Patres Conscripti, favete aperte,[k] diligite constanter: non jam dissimulandus est amor, ne noceat; non premendum odium, ne prosit. Eadem Cæsar, quæ senatus probat, improbatque. Vos ille præsentes, vos etiam absentes,[l] in consilio habet. Tertio consules fecit, quos vos elegeratis; et fecit hoc ordine, quo electi a vobis erant. 6. Magnus uterque[m] honor vester, sive eosdem maxime diligit quos scit vobis esse carissimos; sive illis neminem præfert, quamvis aliquem magis amet. 7. Proposita sunt senioribus præmia, juvenibus exempla: adeant, frequentent, securas tandem ac patentes domos. Quisquis probatos senatui viros suscipit; hic maxime principem pro-

quos non amaremus.—4 *Nunc inter primus invicem, quodque maximum amoris mutui signum est, &c.* intermediis omissis, Guelph.—5 Venet. 1. *diligenter constanter.* Vatt. et Schwarzian. *non promendum;* Patav. *ne premendum.* Ed. Catan. *ut prosit.*—6 '*Magnus uterque honor vester, &c.*] Proba hæc lectio est prioris membri; quam jam a Cuspiniano vulgatam probavit Livineius, et secuti sunt Parisienses, Gruterus, Th. Hearn. et Patarol.; nunc vero, literis integre exscriptis, confirmat auctoritas quatuor codicum Mss. Alias Beroaldus hæc minus complete ediderat, *magnus uterque vester;* at, loco pronominis *vester,* verbum *videtur* prodidere Aldus, Philomusus, et Sichardus: contra, Rhenanus, Plantinus, Tan. Faber, Berneggerus, Hackius, et Ceva, rescripsere, *Magnus uterque vestrum.* Denique, Catanæus, Junta, Gryphius, Stephanus, Claud. Minoë, Elzevirii, Boxhornius, Kirchmaierus, exhibuere *Magnum utrumque videtur.* Lipsius vero suspicatus est, scribi debuisse, *Magnus utique honor vester.* Facile autem apparet, istam varietatem, partim ex ingenio editorum, partim ex negligentia librariorum, qui vocabulum *honor* omisere; partim ex compendiosa scribendi ratione, extitisse. Bene enim animadvertit Livineius, in quibusdam codicibus scriptum fuisse *ur;* quemadmodum adhuc sic scriptum extat in codice Veneto: quod quidam per verbum *videtur* interpretati sunt; cum integris literis exscribi debuerit *vester.* Sicuti vero his ipsis verbis Plinius alloquitur senatum; ita in sequentibus, non pronomen primæ personæ, *nobis,* quod uti aliis, ita inprimis placuit Baudio; sed, quod nexus verborum, et suffragium quatuor codicum Mss. requirit, pronomen secundæ personæ, *vobis,* recte locum habet: id quod etiam a Beroaldo, Cuspiniano, Rhenano, Lipsio, Parisiensibus, Elzeviriis, et Patarolio, evulgatum est.' *Schwarz.* Vide Nott. Varr. *quos sit vobis* cod. Paris. *neminem præfecit* cod. Patav. et Exc. Voss.—7 Hack. *adeant, ac frequenter;* quædam aliæ edd. *adeant, frequenterque.* Cod. Patav. *Quisquis p. senatu.* Ed.

NOTÆ

[k] *Favete aperte*] Quibuscumque lubitum est.

[l] *Etiam absentes*] Quantum autem id Nervæ senatum devinxerit, vide apud Dionem.

[m] *Magnus uterque*] In Lugdunensi editione, *uterque honor vester.* Catanæus legit, *magnum utrumque videretur.* Melius hic quidem, modo codicis alicujus auctoritatem proferret.

meretur. 8. Sibi enim accrescere putat, quod cuique astruatur; nullamque in eo gloriam ponit, quod sit omnibus major, nisi maximi fuerint, quibus major est. 9. Persta, Cæsar, in ista ratione propositi, talesque [n] nos crede, qualis fama cujusque est. Huic aures,[o] huic oculos, intende: ne respexeris clandestinas existimationes, nullisque magis, quam audientibus, insidiantes susurros.[f] Melius omnibus, quam singulis, creditur: singuli enim decipere, et decipi, possunt; nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.

Cap. LXIII. 1. Revertor jam ad consulatum tuum, etsi sunt quædam ad consulatum quidem pertinentia, ante consulatum tamen: inprimis, quod comitiis[a] tuis interfuisti, candidatus,[b] non consulatus tantum, sed immortalitatis et gloriæ, et exempli, quod sequerentur boni principes, mali

[f] *Nemini magis noxios, quam iis a quibus audiuntur.*

Lips. *viros suspicit;* et sic conj. Livin. probantibus Ritters. Gesn. et Arntz.—8 *Sibi enim accersere putat* Exc. Voss. et cod. Patav. Paulo post, *quidem major est* in iisdem libris.—9 Edd. Hack. et Bernegg. *talesque crede*, omisso pronomine *nos*. Vat. 4. Guelph. et Schwarzian. *clandestinas æstimationes*. Mox, pro *creditur*, Schwarzian. habet *credatur*. Denique, pro *fefellerunt*, Schwarz. conj. *fefellerint*.

Cap. LXIII. 1 *Prævertor jam* codd. Livin. Paris. Venett. 1. 2. et Salisb. *pertinentia, an consulatum tuum* cod. Patav. *inprimis quasi comitiis* cod. Patav. et Exc. Voss. Mox, *non consulatus tamen* Venet. 2. *tantum* deest in Paris. Deinde, codd. Guelph. Vatt. et Schwarzian. habent, *sequerentur principes*

NOTÆ

[n] *Talesque*] Sententia est: Ut de nobis æquum judicium feras, famæ ac communi hominum opinioni, quæ, ut ait Aristoteles Pol. III. 7. raro fallitur, credendum est potius, quam malevolis nonnullorum susurris.

[o] *Huic aures*] *Huc aures* Livineius.

[a] *Comitiis*] Locum hic intelligit in quem ad creandos magistratus conveniebant, quicumque jus haberent suffragii. Is erat campus Martius. Comitia sumuntur sæpius pro conventu ipso.

[b] *Candidatus*] Dicebatur qui aliquem magistratum ambiebat, a 'toga candida' quam per id tempus induebat, sive ut colore illo, qui solus purus sincerusque est, integritatem suam testaretur, sive ut agnosci ab omnibus posset. Illi autem prima luce, in loco aperto, captatis auspiciis, ire per comitia, suffragatores rogare, prehensare illorum manus, et nudato etiam corpore cicatrices, si quas in bello accepissent, ostendere. Hoc loco metaphorice dicitur *candidatus immortalitatis et gloriæ:* quomodo apud Quintil. 'candidatus eloquentiæ.'

mirarentur. 2. Vidit te populus Romanus in illa vetere[c] potestatis suæ sede: perpessus es longum illud carmen[d] comitiorum, nec jam irridendam[e] moram; consulque sic factus es, ut unus ex nobis, quos facis consules.[f] 3. Quotusquisque principum antecedentium honorem istum, aut consulatui habuit, aut populo? Non alii marcidi somno, hesternaque cœna redundantes, comitiorum suorum nuntios operiebantur; alii sane pervigiles et insomnes, sed intra cubilia sua illis ipsis consulibus, a quibus consules renuntiabantur, exilia et cædem machinabantur? 4. O prava et inscia veræ majestatis ambitio, concupiscere honorem, quem dedigneris; dedignari, quem concupieris: cumque ex proximis hortis[g] campum et comitia prospectes, sic ab illis abesse, tanquam Danubio Rhenoque dirimare! 5. Aver-

boni. Pro *mirarentur*, Guelph. exhibet *minarentur.*—2 Cod. Patav. et Exc. Voss. *perpessus est.* Mox, *consulque es* edd Goetting. et Hack. *consulque si factus es* Cellar.—3 Cod. Patav. et Exc. Voss. *aut consulatum habuit a populo;* Schwarzian. *aut consulatum habuit, aut populo.* Mox, codd. Vatt. 2. 3. 4. Guelph. Schwarzian. Patav. et Exc. Voss. *Nam alii marcidi.* Cod. Patav. *hesternaque scena.* Deinde, hæc, *exilia et cædem machinabantur*, desunt in cod. Patav.—4 Nonnullæ edd. *quem concupiscas;* plurimæ vero, *quem concupieris.* Cod. Patav. *cumque et proximis.* Venet. 2. et Schwarzian. *comitia perspectes.* Patav. *Rhenoque derivare;* ed. Livin. *R. dirimere;* Livin. conj. *R. dirimerere;*

NOTÆ

[c] *Vetere*] Nempe quamdiu tum magistratus hic libere creati, tum latæ aut abrogatæ, ex populi placito leges fuerunt. Extremis vero temporibus quasi 'servitutis sedes.'

[d] *Carmen*] Hic pro solenni quadam eaque longa precationum formula sumitur, qua comitiorum præses, sive is consul, sive absente consule dictator aut interrex esset, a Diis petebat, ut quicquid decernendum esset, sibi, magistratui, senatui, populoque bene ac feliciter verteret.

[e] *Nec jam irridendam*] Quid enim ridendum magis quam mora illa, et ad exquirendam Deorum voluntatem accommodata precatio? siquidem nulla comitiorum, Deorumque ratione habita, eligendi erant, quos lubitum esset principibus.

[f] *Quos facis consules*] Jul. Cæsar jus creandi consulis a populo totum in se transtulit, donec comitiorum more revocato Caligula suum populo jus reddidit. Extremis vero reipublicæ temporibus, ut aliqua saltem priscæ libertatis umbra esset, consulem in comitiis imperator aut proponebat, aut, si abesset, proponi jubebat: populus suffragio rem totam comprobabat.

[g] *Hortis*] Agrippinæ, quos Caius, et alii subinde imperatores suo palatio adjunxere, unde patebat prospectus in campum Martium, ubi comitia habebantur.

seris[h] tu honori tuo sperata suffragia, renuntiarique te consulem jussisse contentus, liberæ *civitatis* ne simulationem quidem serves? Abstineas denique comitiis, abstrusus atque abditus, quasi illic tibi non consulatus detur, sed abrogetur imperium? 6. Hæc persuasio superbissimis dominis erat, ut sibi viderentur principes esse desinere, si quid facerent, tanquam senatores. Plerique tamen non tam superbia, quam metu quodam, summovebantur. 7. An stuprorum[i] sibi incestarumque noctium conscii, auspicia[j] polluere, sacratumque[k] campum nefario auderent contaminare vestigio? Non adeo Deos hominesque contemserant, ut in illa speciosissima[l] sede hominum Deorumque conjectos in se oculos ferre ac perpeti possent. 8. Tibi contra et moderatio tua suasit, et sanctitas, ut te, et religioni Deo-

Cuspin. *R. dirimente.*—5 Cod. Patav. *renuntiarique te consule j. c. liberæ civitati.* 'Cuspiniani ediderat, *liberæ civitati ne simulatione quidem servias.* Magis nobis placet ea lectio, quæ in codice Ms. Guelpherbytano, et altero Gudii libro, animadvertitur: *liberæ civitatis ne simulationem quidem serves?* Quo loco *simulatio* videtur notare *simulacrum*, seu *similitudinem;* prout hac voce usus Cicero de Fin. II. 22. 'Ita,' inquit, 'pro vera certaque justitia simulationem nobis justitiæ traditis.' Item et Plinius Hist. Nat. XI. 44. 'Simiarum genera perfectam hominis simulationem continent, facie, naribus, auribus, palpebris.' Quanquam hic nonnulli recentiores, nescio an satis idoneo testimonio antiquitatis, prodiderint 'imitationem.' Sic vero non necesse est, ut loco Pliniano, cum Christophoro Behrio, nimis libere rescribamus: *liberæ civitati ne simulationem quidem libertatis serves?*' Schwarz. '*Adverseris* Guelph. Pro *sperata* conjecerat Perizonius in ora codicis sui *parata.* Sed nulla causa apparet, cur receptum illud damnemus. *Civitatis* ex præcepto Schwarzii receperat jam Gesnerus.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—6 Venet. 1. *ut si viderentur principes, desiderent esse, si quid facerent, &c.*—7 Patav. *sacratumque campo.* Mox, in eodem cod. *ut illa spaciosissima sede.* Vide Nott. Varr.—8 Cod. Pa-

NOTÆ

[h] *Averseris*] Sententia est: Itane unus ex illis fores, qui dedignabantur ipsa suffragia, quibus sibi conferebatur consulatus, et contenti præcepisse ut consules renuntiarentur, ne id quidem pro accepto tanto honore populo senatuique rependebant, ut eorum adversus se studia non ingrata sibi esse simularent?

[i] *Stuprorum*] Caium et Domitianum notat, quorum referendis libidinibus abstineo, cum eas, ut et ceterorum imperatorum, satis prolixe referat Suetonius.

[j] *Auspicia*] Comitia, ut alia ferme alicujus momenti negotia, non nisi captatis prius auspiciis agebantur. Supra cap. I.

[k] *Sacratumque*] Marti, fortasse a Romulo.

[l] *Speciosissima* [*spatiosissima*] Hic enim et Deorum delubra et multorum illustrium virorum erant imagines. Quare campum illum, quod etiam ait

rum, et judiciis hominum, exhiberes. Alii consulatum ante, quam acciperent; tu et, dum accipis,[m] meruisti.

CAP. LXIV. 1. Peracta erant solennia comitiorum, si principem cogitares,[a] jamque se omnis turba commoverat,[b] cum tu, mirantibus cunctis, accedis ad consulis sellam; adigendum te præbes in verba principibus ignota,[c] nisi cum jurare cogerent alios. Vides, quam necessarium fuerit, consulatum non recusare! Non putassemus, istud facturum te fuisse, si recusasses. 2. Stupeo, Patres Conscripti, nec dum satis, aut oculis meis, aut auribus, credo; atque identidem me, an audierim, an viderim, interrogo. Imperator ergo, et Cæsar, et Augustus, pontifex maximus,[d] ste-

tav. *ut te religioni Deorum.* Mox in eodem, *tum et dum accipis, &c.*

CAP. LXIV. 1 Schwarz. conj. *et adigendum te præbes;* vel, *adigendum te præbens.* Mox, *quam necessarium fuit* cod. Patav. '*necessarium fuerit* ediderunt Cell. Hearn. Gesn. nescio qua auctoritate. Certe si eam prætulissent scripturam, tolli debuisset interrogationis signum post *recusare;* et sic *fuerit* prætulerim, si a Mss. esset.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—2 Nonnulli codd. et edd. *nec dumque.* Cod. Patav. *atque identidem: aut viderim interrogo;* Paris. Venet. 2. Guelph. et Exc. Voss. item edd. Sichard. et Gryph. 1531. habent etiam *aut viderim;* Salisb. *atque i. ne an audirem.* Mox, *et pontifex* Venet. 2. et paucæ

NOTÆ

Strabo, amplissimum fuisse oportet.

[m] *Dum accipis*] Quia non dedignaris inter candidatos videri.

[a] *Si principem cogitares*] Quæ enim præterea ad privati hominis electionem necessaria fuissent, ad principem eligendum in consulem non requirebantur. Haud absimili loquendi formula utitur Plinius Epist. VI. 31. de Trajani cœna: 'Modica' erat, 'si principem cogites.'

[b] *Commoverat*] Facta ab eo qui comitiis præerat abeundi potestate, hoc solenni verbo, 'Nihil moramur vos P. C.' Tumque, signo militari, quod initio comitiorum in Janiculo erectum fuerat, detracto, exercitum dimitti solitum refert Dio lib. XXXVII.

[c] *In verba principibus ignota*] Consules magistratus sui initio solenni se sacramento obstringere solitos, idque apud eum qui de consulatu abibat, tum ex hoc Plinii loco potest colligi, ex Tullii Orat. in Pisonem, cap. 7. et Orat. pro Muræna. Juramenti vero et rationem, et si non formulam integram, clausulam certe habes in sequentibus verbis: 'Si sciens fallo, tum Jupiter Diique omnes mihi meæque domui irati sunto.' Quod autem addit verba hæc principibus ignota, tamen ab Augusto factum hoc juramentum refert Dio initio lib. LIII.

[d] *Pontifex maximus*] Qui maximarum rerum, id est, sacrorum et religionis curam gereret. Julius Cæsar hanc supremam dignitatem imperatorum primus invasit, ceterique ab eo imperatores etiam Christiani, nomine saltem tenus; donec Gratianus, ut Zosimus ait, edicto vetuit, ne nomine illo donaretur.

tit ante gremium consulis, seditque consul, principe ante se stante; et sedit inturbatus, interritus, et tanquam ita fieri soleret. 3. Quinetiam sedens *stanti præivit* jusjurandum,[e] et ille juravit; expressit explanavitque verba, quibus caput suum, domum suam, si scienter fefellisset, Deorum iræ consecraret. Ingens, Cæsar, et par gloria tua, sive fecerint[f] istud postea principes, sive non fecerint. 4. Ullane satis digna prædicatio est, idem tertio consulem fecisse, quod primo? idem principem,[g] quod privatum? idem imperatorem, quod sub imperatore? Nescio jam, nescio, pulchriusne sit istud, quod, præeunte nullo,[h] an hoc, quod, alio præeunte, jurasti.

CAP. LXV. 1. In rostris[i] quoque simili religione ipse

edd. *et se inturbatus* Vat. 4.—3 *Qui etiam* nonnullæ edd. *Quin etiam præbuit jusjurandum* codd. Vat. 4. et Patav. Vide Nott. Varr. et Obss. iis subjectas. *juravit et expressit* Salisb. *juravit. Expressit* alii quidam codd. ap. Schwarz.—4 *Ullane s. prædicatio digna est* codd. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. et Schwarzian. Paulo post, codd. Venett. 1. 2. et Guelph. *pulchriusne sit illud.* Pro *nullo,* Paris. habet *illo;* Deinde, Salisb. *in hoc q. a. p. vitasti,* et a m. sec. *jurasti.*

CAP. LXV. 1 *In rostris quoque fere simili* codd. Patav. et Exc. Voss. Mox,

NOTÆ

[e] *Præivit* [*præbuit*] *jusjurandum*] Est in editione Lugdunensi, *stanti præbuit jusjurandum,* id est, obtulit de scripto juramenti formulam, quam stans Trajanus pronuntiaret. Mavult Lipsius *præivit jusjurandum.* Moris enim erat, ut mox addit Plinius, 'alio verba præeunte,' solenne jusjurandum emittere, ne quid aut præteriretur, aut præposterum diceretur, ut ait Plin. XXVIII. 2. et Plinius noster Epist. X. 60. 'Præivimus et commilitonibus jusjurandum more solenni præstantibus, et provincialibus,' &c.

[f] *Sive fecerint*] Illud quidem ipsum fecit trecentis post annis Gothorum rex Athalaricus, 'idque ut Trajani clarum sæculis repararet exemplum.' Cassiod. VIII. 3.

[g] *Idem principem*] Haud valde mirum quod Trajanus privatus adhuc jurejurando se obstrinxerit: at id ipsum eundem fecisse tertio consulem cum imperator esset, hoc vero mirificum.

[h] *Præeunte nullo*] Equidem affirmare non possum, inquit Plinius, plusne laudis tibi debeatur, quod nullo principum exemplo inductus, fidem tuam jurejurando firmasti, an quod consule verba præeunte, et tanquam jubente.

[i] *In rostris*] Designatus consul conceptis verbis jurabat primum in comitiis, iterum in rostris cum inibat magistratum, se leges servaturum. Denique cum abibat magistratu, ut ex Cicerone, Dione, et Plutarcho manifestum est. Neque id ad solos consules, sed et ad ceteros magistratus et senatores pertinebat; qui aliter magistratu non plures, quam

te legibus subjecisti; legibus, Cæsar, quas nemo principi scripsit. Sed tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis: sic fit, ut nos tibi plus velimus.[j] 2. *Quid ergo* nunc primum audio, nunc primum disco? non est princeps supra leges, sed leges supra principem; idem*que* Cæsari consuli, quod ceteris, non licet. Jurat in legem, attendentibus Diis; nam cui magis, quam Cæsari, attendant? Jurat, observantibus his, quibus idem jurandum est: non ignarus alioqui, nemini religiosius, quod juraverit, custodiendum, quam cujus maxime interest, non pejerare. Itaque et abiturus consulatu jurasti, te nihil contra leges fecisse. 3. Magnum hoc erat, cum promitteres; majus, postquam præstitisti.

nos plus velimus codd. Paris. et Guelph.—2 *Quod ego nunc* vulgg. ''Vegeta magis oratio,' inquit Lipsius, 'si *Quid ego* legas, et interrogando acuas post *disco*.' Jam vero in nostro codice Ms. legimus, *Quid ergo nunc primum audio, quod nunc primum disco.* Pronomen *quod* in alterius membri initio inutiliter positum est, aut suspicionem afferre potest, in antiquiore codice etiam ab initio primi membri scriptum fuisse *Quod.* Non aversarer quidem hic pronomen interrogativum *Quid?* sed, dubia codicum Mss. auctoritate, id non necessarium puto, cum jam satis vegeta sit oratio, tum ex figura παθητικῇ, quæ latet in verbis *audio, disco;* tum ex figura ἁρμονικῇ, quæ repetitione harum vocularum, *nunc primum*, continetur. Particulam vero *ergo*, quæ et alibi non raro cum pronomine *ego* commutatur, lubentius admitto, cum non solum in nostro, sed et in Parisiensi codice Ms. extet, et vim consectarii, quo hic utitur Orator, complectatur. Postquam enim is paulo ante memorarat, Trajanum imperatorem legibus congruenter jurasse, et se subjecisse legibus; tum concludit hanc narrationem quasi per ratiocinationem, subjecta γνώμῃ. In codice Ms. Guelpherbytano, et altero Gudii libro, item in Berneggeriana et Hackiana editione, hæc verba primi membri, *nunc primum audio*, contra suffragia omnium aliorum codicum Mss. librorumque impressorum, male omissa sunt. Sed et in omnibus codicibus Mss. reliquis, atque in Cuspiniani et Gryphii editione, sequens membrum per copulam *que* cum superioribus recte connectitur. Unde sic ea verba collocanda et interpungenda censeo: *Quod ergo nunc primum audio, nunc primum disco: non est princeps super leges, sed leges super principem; idemque Cæsari consuli, quod ceteris, non licet. Jurat, &c.*' Schwarz. Vid. Nott. Varr. Mox, *idem jusjurandum est* codd. Vatt. Venett. 2. Salisb. Schwarzian. et Exc. Voss. *maxima interest* Beroald. et Catan. *non pejerari* edd. Lips. Berneg. Hack. Cev. et Gesn. Deinde, codd. Vat. 4. et Salisb. a m. pr. *Itaque et habiturus, &c.*—3 Codd. Salisb. et Schwarzian. *majus erat, dum præstitisti.* Mox, codd. Vatt. Venet. 2. Salisb. et Guelph.

NOTÆ

quinque dies fungi poterant. Liv. lib. LI. Quare bene addit principis multum interesse, ut juramenti fides, qua et ipsius et reipublicæ salus nititur, stet incolumis.

[j] *Plus velimus*] Addunt aliqui *licere.* Sed si nihil omissum est, ut satis mihi verisimile fit, sensus erit: Sic fit ut plus te amemus. 'Velle' enim 'alicui,' id significat.

Jam toties procedere in rostra, inascensumque illum superbiæ principum locum terere:[a] hic suscipere, hic ponere magistratus; quam dignum te, quamque diversum consuetudine illorum, qui pauculis diebus[k] gestum consulatum, immo non gestum,[l] abjiciebant per edictum. 4. Hoc pro concione,[m] pro rostris, pro jurejurando; scilicet ut primis extrema congruerent, utque hoc solo intelligerentur ipsi consules fuisse, quod alii non fuissent.

CAP. LXVI. 1. Non transilivi,[n] Patres Conscripti, principis nostri consulatum; sed eundem in locum contuli quicquid de jurejurando dicendum erat. Neque enim, ut in sterili jejunaque materia, eandem speciem laudis diducere ac spargere, atque identidem tractare, debemus. 2 Illuxerat primus consulatus tui dies, quo tu curiam ingressus,[o]

[a] *Locum in quem antea superbi principes non ascenderant.*

inadscensum illum; Schwarzian. *inaccensum illum;* Patav. Exc. Voss. et edd. Puteol. Beroald. Ald. Rhenan. et Nav. *inassensumque illum;* al. *in ascensumque illum.* Vide Nott. Varr. *locum tenere* Venet. 1. *locum terre* ed. Beroald. *quam dignitate quamque d. consuetudini* cod. Schwarz. *consuetudini* habet etiam Salisb. *alii ciebant per edictum* Schwarzian.—4 *Hoc pro his concione* ed. Cuspin. *Hoc iis pro concione* Exc. Scal. *Hoc pro concione, hoc pro rostris, &c.* codd. Vat. 4. et Guelph. Mox, *intelligerent* edd. Salmur. et Ultraj. *quod alii fuissent* edd. Berneg. et Hack. *quod ipsis consulibus alii consules fuissent* conj. Behr. et sic ed. Gedan.

CAP. LXVI. 1 *Non transilui* codd. Venet. 1. 2. Salisb. et Schwarzian. *Non transilii* Guelph. et quidam Vatt. Mox, *dicendum fuerat* cod. Paris. *deducere ac spargere* plurimi codd. et edd. *atque i. spectare debemus* cod. Paris.—2 Ve-

NOTÆ

[k] *Pauculis diebus*] Domitianum carpit, qui, ut refert Sueton. 'omnes consulatus pæne titulo tenus gessit, nec quenquam ultra Kal. Maias, plures ad Idus usque Januarias.'

[l] *Immo non gestum*] Quia nihil plane dignum consulatu gessisset.

[m] *Hoc pro concione*] Edictum illud per superbiam latum, quo significabat se abire magistratu, erat ei instar omnium, id est, instar concionis et juramenti, quod alii consules in hujusmodi discessu religiose emittebant.

[n] *Non transilivi*] Atenim, inquiet aliquis, satis multa de jurejurando, quod Trajanus et iniens consulatum, et eo excedens præstitit. Nihilne de interjecto inter utrumque tempore, id est, de ipso ejus consulatu dicturus es? Nihil prætermittam, inquit Plinius, sed eo loci conferendum mihi visum est, quicquid ad jusjurandum pertinebat.

[o] *Curiam ingressus*] Consul primo magistratus sui die, id est, Kal. Jan. habebat in curia orationem ad senatum. 'Curia' autem 'locus erat,'

nunc singulos, nunc universos, adhortatus es, resumere libertatem, capessere quasi communis imperii curas, invigilare publicis utilitatibus, et insurgere.[p] 3. Omnes ante[q] te eadem ista dixerunt; nemini tamen ante te creditum est. Erant sub oculis naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo perculerat. Quod enim tam infidum mare, quam blanditiæ principum illorum, quibus tanta levitas, tanta fraus, ut facilius[r] esset iratos, quam propitios, habere? 4. Te vero securi et alacres, quo vocas, sequimur. Jubes esse liberos; erimus. Jubes, quæ sentimus, promere in medium; proferemus. Neque enim adhuc ignavia quadam et insito torpore cessavimus.[b] Terror, et metus, et misera illa ex periculis facta prudentia monebat, ut a republica, (erat autem omnino nulla respublica,) oculos, aures, animos, averteremus. 5. At nunc tua dextera[s] tuisque promissis freti et innixi, obsepta diu-

[b] *Non enim huc usque nihil egimus in republica, propter inertiam quandam et innatam pigritiam, sed præ metu.*

net. 2. *libertatem, quasi, &c.* omissa voce *capessere;* Schwarzian. *libertatem capessereque*, omissa particula *quasi.*—3 Codd. Venet. 1. Salisb. et Patav. *ante creditum est*, omisso pronomine *te*. Mox, *quos invidiosa* non paucæ edd. Verbum *provectos* omittunt Puteol. Beroald. et Philomus. pro quo Cuspin. edidit *profectos*. Puteol. Beroald. et Philomus. *improvisos turbo perculerat.* Deinde, *Quid enim* Puteol. Catan. Ald. Cuspin. Philomus. R. Steph. Gryph. an. 1531. Nav. et Sichard. *tanta lenitas* cod. Vat. 4. Catan. Ald. Philomus. Nav. et Gryph. 1542. *ut felicius esset* conj. Lipsius; et sic legitur in Exc. Voss.—4 *Jubes e. l. cernimus* Vat. 4. *Jubes e. l. criminis* Venet. 2. et Schwarzian. *Jubes e. l. crimis* Salisb. a m. pr. et corr. *credimus*. Mox, verba *in medium* desunt in Venet. 1. *proferimus* Guelph. et Rhenan. an. 1520. *promemus* conj. Ritters. *Neque adhuc*, omissa particula *enim*, Guelph. *adhuc* deest in codd. Salisb. et Schwarzian. *et miseria illa* codd. Vat. 4. et Venet. 1. *prudentia movebat* edd. Puteol. Beroald. prima Catan. Ald. Philomus. et Nav. *p. monebant* Salisb. *erat autem R. P. omnino* Schwarzian. *erat autem omnino respublica* codd. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. et Patav. *nulla autem omnino erat respublica* codd.

NOTÆ

ubi publicæ curæ gerebantur.' Ita Festus.

[p] *Insurgere*] Animos erigere, quos superiorum principum superbia et crudelitas depresserat.

[q] *Omnes ante*] Vel ipse Nero, ut ait Tacit. Annal. XIII. initio.

[r] *Facilius*] Longe venustior erit sententia, si cum Lipsio substituas *felicius*. Domitianum hic tangit, ac Tiberium, quorum insidiosas blanditias et callidam sævitiam vide apud Suetonium.

[s] *Dextera*] Id est, auxilio tuo. Quia enim dextra validior est sinistra, vel quia supplicantes dextra erigere so-

tina servitute ora reseramus, frænatamque tot malis linguam resolvimus. 6. Vis enim tales esse nos, quales jubes; nihilque exhortationibus tuis fucatum,[t] nihil subdolum, denique *nihil*, quod credentem fallere paret, non sine periculo fallentis. Neque enim unquam deceptus est princeps, nisi qui prius ipse decepit.

CAP. LXVII. 1. Equidem hunc parentis publici sensum, cum *ex oratione*[a] ejus, tum pronuntiatione ipsa, perspexisse videor. Quæ enim illa gravitas sententiarum? quam inaffectata veritas verborum? quæ asseveratio in voce? quæ affirmatio in vultu? quanta in oculis, habitu, gestu, toto denique corpore, fides? 2. Tenebit ergo[b] semper, *quid* suaserit; scietque, nos, quoties libertatem, quam dedit, experiemur, sibi parere. 3. Nec verendum est, ne incautos putet, si fidelitate temporum constanter utamur,[c] quos me-

[c] *Si confidenter temporum libertate utimur.*

Guelph. et Vat.—5 Heinsius conj. *obsuta diutina servitute ora*, nosque remittit ad Virg. Georg. IV. 301.—6 Gesner. *nihil subdolum denique, quod credentem fallere paret;* vulgg. *nihil subdolum, denique quod, &c.* Vatt. Guelph. et Exc. Voss. habent *denique nihil, &c.*

CAP. LXVII. 1 Vulgg. *cum exhortatione ejus;* Lipsius conj. *cum ex oratione ejus*, et sic legitur in codice Schwarzian. Vide Nott. Varr. Mox, pronomen *ipsa* deest in edd. Puteol. Beroald. Catan. Junt. Ald. Rhenan. Philomus. Cratand. Ascens. an. 1533. Nav. et Livin. illud tamen primus edidit Cuspin. quem R. Steph. aliique sunt secuti. Pro *perspexisse*, codd. habent *respexisse*. Mox, quidam codd. *quam inaffectata veritas verborum rerumque;* codd. Venett. 1. 2. pro *verborum*, habent *verbo rerumque;* Vatt. Salisb. Guelph. et Schwarzian. *veritas verborum rerumque asservatio in voce.*—2 Vulgg. *quod suaserit;* Venet. 1. Salisb. Patav. et Schwarzian. *quid suaserit;* Vatt. Guelph. et al. *quicquid suaserit.*—3 Behrius conj. *felicitate temporum.* Edd. Puteol. Beroald. Cuspin. Ald. Rhenan. Philomus. et Junt. *quos memini.*

NOTÆ

-lemus, hinc factum, ut 'dextram dare alicui' dictum sit pro eo quod est, auxilium alicui præstare. Æn. VI. 370. 'Da dextram misero.' Sumitur etiam pro 'fide.' Numa Pompilius dextram fidei consecravit. Unde et porrecta dextra antiqui se invicem consalutabant; idque etiam hodie apud nos in usu est. Per dextram fidei obsidem jurabant.

[t] *Fucatum*] Dissimulatum. Fucus proprie pigmentum est, quod fœminæ adhibere solent, ut formæ vel vitium emendent, vel pulchritudinem augeant. Hic per translationem sumitur quomodo 'fucum facere alicui' dicitur, qui aliquem decipit.

[a] *Ex oratione* [*exhortatione*] Potius *ex oratione*, ut ingeniose suspicatur Lipsius.

[b] *Tenebit ergo*] Semper igitur efficiet, ut, quemadmodum suasit nobis, concessa ætati nostræ libertate utamur.

minit sub malo principe aliter vixisse. Nuncupare vota, et pro æternitate imperii,[c] et pro salute *principum*; immo pro salute principum, ac, propter illos, pro æternitate imperii, solebamus. 4. Hæc pro imperio nostro, in quæ sint verba suscepta,[d] operæ pretium est annotare: 'Si bene[d] rempublicam, et ex utilitate omnium, rexeris.' 5. Digna vota, quæ semper suscipiantur, semperque solvantur. Egit cum Diis, ipso te auctore, Cæsar, respublica, ut te sospitem incolumemque præstarent, si tu ceteros præstitisses: si contra, illi quoque a custodia tui *capitis*[e] oculos dimo-

[d] *Quibus verbis concepta sunt.*

'*Pro salute civium, &c.*] Ait aliquis ineptam hanc lectionem esse, et fidenter rescribendum *principum*. At mihi non probat.' *Lips.* 'Nobis nihil subsidii ad hanc dissensionem decidendam afferunt codices Mss. quia forte vocabula *principum* et *imperii* quæ in uno verborum ambitu bis occurrunt, oscitantibus librariis occasionem dedere, ut hæc verba non nisi manca retulerint. In Veneto et Guelpherbytano codice sic legimus, *Nuncupare vota, et pro æternitate imperii, et pro salute principum, ac, propter illos, pro æternitate imperii, solebamus.* In codice Ms. Parisiensi, *Nuncupare vota pro salute principum, ac, propter illos, pro æternitate imperii, solebamus.* In nostro codice ea etiam magis corrupta extant. Non tamen prorsus de nihilo videtur esse monitum Livineii, auctoritate vetusti codicis Ms. nixum. Plinius enim ait *solebamus*; quasi de moribus sui ævi loqui voluisse videatur, ubi non tam pro civium, quam principum, salute vota nuncupari consueverunt. Sed nec spernenda est Lipsii interpretatio, qua is innuit, Plinium his verbis, et reipublicæ liberæ, et imperatorum, tempora simul respicere, utrisque vero in sequentibus institutum votorum ævo Trajani publice nuncupandorum præferre. Nobis nondum satis exploratum est, quid hic definiamus, ac, nisi tot libri impressi refragarentur, (refragantur autem omnes omnino, utpote in quibus prorsus eadem lectio evulgata est,) amplecteremur Veneti et Guelph. codicum scripturam, vel etiam nobis sufficeret brevior illa lectio, quam e cod. Parisiensi in medium protulimus.' *Schwarz.* 'Mihi vulgata satis superque placet, quam et restituit Gesnerus.' *Arntz.* Vide Nott. Varr. —4 *Hæc pro imperatore nostro* legere mavult Gesnerus, et sic etiam conj. Perizonius. Paulo post, omnes codd. ap. Schwarz. verbum *rexeris* omittunt; quod tamen referunt omnes edd.—5 Cod. Paris. *ut te itu sospitem incolumemque præstarent, ac tu ceteros, &c.* Mox, vulgg. *a custodia tui corporis;* codd. vero Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Schwarzian. et Exc.

NOTÆ

[c] *Pro æternitate imperii*] Nuncupabantur vota illa vel Kal. Jan. vel postridie, aut III. Non. Jan. Quod Julii Cæsaris temporibus cœptum, factum quoque in Augusti honorem, ac pro Pompeio. Atque hæc vota in Capitolio, aut in castris facta tabulis mandabantur, aut plerumque femore, ut Apuleius ait in Apolog. obsignata Deorum statuis affigebantur. Unde vota signata appellat Plinius ad Trajanum x. 44.

[d] *Si bene*] Trajanus clausulam hanc votorum eorum esse voluit, quæ pro imperatore populus nuncuparet.

[e] *A custodia tui capitis* [*corporis*]

verent, teque relinquerent votis,[f] quæ non palam susciperentur. 6. Alii se superstites reipublicæ optabant, faciebantque:[g] tibi salus tua invisa est, si non sit cum reipublicæ salute conjuncta. Nihil pro te pateris optari, nisi expediat optantibus; omnibusque annis in consilium de te Deos mittis;[h] exigisque, ut sententiam suam mutent, si talis esse desieris, qualis electus es. 7. Sed ingenti conscientia, Cæsar, pacisceris cum Diis, ut te, si mereberis, servent; cum scias, an merearis, neminem magis, quam Deos scire. 8. Nonne vobis, Patres Conscripti, hæc diebus ac noctibus agitare secum videtur? 'Ego quidem in me, si omnium utilitas ita posceret, etiam præfecti manum[i] armavi; sed ne Deorum quidem aut iram, aut negligentiam, deprecor: quæso immo, et obtestor, ne unquam pro me vota respublica invita suscipiat; aut, si susceperit, invita ne debeat.'[j]

Voss. *a c. tui capitis.* Codd. Paris. Venet. 2. et Salisb. *oculos demoverent.*—6 Vat. 4. *in concilium de te, &c.* Idem codex et Schwarzian. *ut sententiam tuam mutent.* Vatt. 1. 3. Venett. 1. 2. et Schwarzian. *si tulisse desieris;* Paris. *si talis se desieris;* Vatt. 2. 4. Guelph. et a pr. m. Salisb. *si tu esse desieris.*—7 *Cæsar qua pacisceris* codd. Livin. Venett. 1. 2. Salisb. Patav. Schwarzian. et Exc. Voss. item edd. Puteol. Cuspin. Rhenan. et Philomus. Vide Nott. Varr. Mox, *si mereris* H. Steph. Elz. Boxhorn. Cellar. et Hearn.; *si merearis* Gryph. 1531. et Sichard. *quod merearis* cod. Paris.—8 Cod. Paris. *agitasse secum videtur;* Salisb. et Schwarzian. *agitare secum videretur.* Mox, cod. Patav. et Exc. Voss. *præfecisti animum armavi.* Denique cod. Schwarzian. et Salisb. a m. pr. *sed Deorum quidem iram deprecor;* Behrius conj. *sed ne Deorum quidem aut iram deprecor aut negligentiam precor.*

NOTÆ

Forte *tui capitis,* ut ex editione Cuspiniani emendat doctissimus Gruterus.

[f] *Votis*] Id est, execrationibus, quæ in malos principes non palam quidem, sed clam et in sinu emittuntur.

[g] *Faciebantque*] Et re ipsa extinctæ per sua ipsorum scelera reipublicæ superstites erant.

[h] *In consilium . . . mittis*] Supra c. XXXVI. dixi prætorem, seu qui juri dicundo præesset, 'mittere ad judicia' solitum, id est, ad rem judicandam, quos sorte et urna judices elegisset. Sensus igitur est: Dum jubes ut populi supra dictam clausulam addant, videris prætoris instar eos dimittere ad judicandum, dignusne sis, quem incolumem præstent.

[i] *Præfecti manum*] Factum Trajani insigne et dignum in quo jactet se magnifice ac triumphet Plinii eloquentia, referunt Dio, Zonaras, Suidas, Victor, 'cum præfecto prætorii,' nempe Licinio Suræ, 'gladium traderet quo accingi eum moris erat, strinxit, et nudatum tenens, Cape istum, et si recte imperavero, pro me: sin aliter, contra me utere.'

[j] *Ne debeat*] Aut si futurum est, ut invita resp. pro me vota suscipiat;

CAP. LXVIII. 1. Capis ergo, Cæsar, salutis tuæ gloriosissimum fructum ex consensu Deorum. Nam, cum[k] excipias, ut ita demum 'te Dii servent, si bene rempublicam et ex utilitate omnium rexeris,' certus es, te bene rempublicam gerere, cum servent. 2. Itaque securus tibi et lætus dies exit, qui principes alios cura et metu distinebat: cum suspensi et attoniti, parumque confisi patientia nostra, hinc atque inde publicæ servitutis nuntios expectarent.[l] 3. Ac si forte aliquos flumina, nives, venti, præpedissent; statim hoc illud esse credebant, 'quod merebantur.[m] Nec erat discrimen ullum pavoris: propterea quod, cum a malo principe tanquam successor timeatur, quisquis est dignior; cum sit nemo non dignior, omnes timentur. 4. Tuam securitatem non mora nuntiorum, non literarum tarditas, differt: scis, tibi ubique jurari, cum ipse juraveris omnibus. 5. Nemo hoc sibi[n] non præstat. Amamus quidem te, in quantum mereris; istud tamen non tui facimus amore, sed nostri: nec unquam illucescat dies, quo pro te nuncupet vota, non utilitas nostra, sed fides,[*] Cæsar. 6. Turpis tutela principis,[o] cui potest imputari. Queri libet,[p] quod in

[*] *Quo die pro te faciamus vota non propter commoda nostra, sed propter fidem imperatori debitam.*

CAP. LXVIII. 1 Sex codd. item Puteol. Ald. Beroald. Cuspin. Philomus. Gryph. Grut. al. *te Dei servent.* Mox, *bene te* codd. Vatt. 1. 2. Paris. et Schwarzian. *rempublicam gerere ut ex utilitate omnium* Gud. 1. et Exc. Scal. *rempublicam regere* cod. Patav. a m. sec.—2 Olim vulgg. *dies exit;* cod. Schwarzian. *securus tibi et lacteus dies exit.* Mox, Ritters. conj. *publicæ securitatis.*—3 Codd. Salisb. Guelph. Patav. Schwarzian. et Exc. Voss. *quisque est dignior.*—4 Vat. 4. *tibi undique jurari.* Weinrichius, *cum spe juraveris omnibus.*—5 *Nemo hoc sibi non* codex Livin. et alii quatuor ap. Schwarz.—

NOTÆ

obtestor Deos, ut eam religione votorum absolvant, neve ea persolvere necesse habeat.

[k] *Nam, cum*] Cum enim ea tantum exceptione, id est, ea conditione conservari a Diis velis, ut tu recte rempublicam administres.

[l] *Expectarent*] Certos homines, qui militum et provinciarum solenne juramentum principis nomine quotannis exciperent.

[m] *Quod merebantur*] Nempe ut aliqua provincia deficeret.

[n] *Nemo hoc sibi*] Nemo est, quin sua causa id faciat, non tua.

[o] *Turpis tutela principis*] Turpe est principi, cum populi in ejus clientelam se conferunt, non propriæ utilitatis gratia, sed ut ei potius hoc imputent, id est, beneficii loco illud ei tribuant.

[p] *Queri libet*] Factum male, quod

secreta nostra non inquirant principes, nisi quos odimus. 7. Nam, si eadem cura bonis, quæ malis, esset; quam ubique admirationem tui, quod gaudium exultationemque, deprehenderes! quos omnium cum conjugibus ac liberis, quos etiam cum domesticis aris focisque, sermones! 8. Scires, mollissimis[q] illis auribus parci; et alioquin, cum sint odium amorque contraria, hoc perquam simile habent; quod ibi[r] intemperantius amamus bonos principes, ubi liberius malos odimus.

CAP. LXIX. 1. Cepisti tamen et affectus nostri et judicii experimentum, quantum maximum præsens capere potuisti, illo die, quo solicitudini pudorique candidatorum ita consuluisti, ne ullius gaudium alterius tristitia turbaret. Alii cum lætitia, alii cum spe recesserunt; multis gratulandum, nemo consolandus fuit. 2. Nec ideo segnius juvenes nostros exhortatus es, *senatum* circumirent,[a] senatui supplicarent, atque ita a principe sperarent honores, si a senatu petissent.[b] Quo quidem in loco, si quibus opus exemplo,

6 *Queri licet* Vat. 4.—7 Codd. ap. Schwarz. partim habent *bonis et malis*, partim *bonis ac malis;* et sic in quibusdam edd. *bonis, quæ malis* edd. Catan. Ald. Junt. Cratand. R. H. et P. Steph. Gryph. Ascens. Sichard. Nav. Livin. Boxhorn. Cellar. Arntz. et Gesn.—8 *Si mollissimis illis* Vatt. 2. 3. 4. *Scires m. istis* in codd. quibusdam ap. Schwarz. *Scires m. illic* conj. Schwarz. Mox, *quod non temperantius* Vat. 1. Patav. et Exc. Voss. Deinde, non solum edd. haud paucæ, sed ipsi etiam codd. exhibent, *ubi liberalius malos odimus.* Pro *odimus* Vat. 4. et Guelph. habent *audimus.*

CAP. LXIX. 1 Cod. Patav. *tamen affectus,* omissa copula. Codd. Salisb. et Schwarzian. *quantum maxime.* Vatt. 2. 4. Guelph. et Exc. Voss. *ideo illo die.* Paulo post, *nemo consulendus fuit* codd. Vatt. 1. 3. Paris. Salisb. Venett. 1. 2. Patav. et Exc. Voss.—2 *Nec eo segnius* conj. Livin. *consulatum circumirent* vulgg.

NOTÆ

nefarii principes soli avide inquirant, qui sint hominum de se in secretis colloquiis sermones. Quin et boni eadem cura id pervestigant? Id si ita esset, quam, &c.

[q] *Mollissimis*] Verecundis id auribus tuis dari, si laudaris tam parce.

[r] *Ibi*] Nempe domi, intra privatos parietes eo impensius bonos principes, id est, te, o Trajane, amamus, laudamus, quo ibidem amarioribus verbis improbos libere solebamus insectari.

[a] *Circumirent*] Ambirent. De petitione consulatus videri potest Tullii ad Q. Fratrem epistola.

[b] *Si a senatu petissent*] In dandis enim honoribus eorum præcipue rationem habebat, qui sibi essent a senatu commendati.

adjecisti, ut te imitarentur. 3. Arduum, Cæsar, exemplum, et quod imitari non magis quisque candidatorum, quam principum, possit. Quis enim vel uno die reverentior senatus candidatus, quam tu, cum omni vita, tum illo ipso tempore, quo judicas de candidatis? 4. An aliud a te, quam senatus reverentia, obtinuit, ut juvenibus [c] clarissimæ gentis, debitum generi honorem, sed ante, quam deberetur, offerres? 5. Tandem ergo nobilitas non obscuratur, sed illustratur, a principe: tandem illos ingentium virorum nepotes, illos posteros libertatis,[d] nec terret Cæsar, nec pavet; quin immo festinatis honoribus amplificat, atque auget, et majoribus suis reddit. Si quid usquam stirpis antiquæ, si quid residuæ claritatis; hoc amplexatur, et refovet, et in usum reipublicæ promit. 6. Sunt in honore hominum,[e] et in honore famæ, magna nomina, ex tenebris oblivionis, indulgentia Cæsaris; cujus *hoc* est, ut nobiles et conservet, et efficiat.

CAP. LXX. 1. Præfuerat provinciæ quæstor,[f] unus ex

ante Schwarz. Vide Nott. Varr. *spectarent honores* cod. Guelph.—3 Vatt. *quisquis candidatorum;* codd. Paris. Venet. 2. Guelph. item edd. Plant. Berneg. Hack. Behr. et Cev. *quisquam candidatorum;* codd. Salisb. Venet. 1. Patav. al. *quisque candidatorum.* Guelph. et Vat. 4. *senatui candidatus.*—4 *An aliud a te senatus reverentia obtinuit, quam ut juvenibus, &c.* codd. Vatt. Guelph. et Exc. Voss. *juvenibus clarissime genitis* Berneg. et Hack.—5 Cod. Patav. et Exc. Voss. *illos posteræ libertatis.* Mox, *Si quid usquam* Venet. 1. et Guelph. *hoc amplexatur fovet* Gud. 1.—6 *Sunt in ore h. et in ore famæ* conj. Livin. et Lips. *Sunt in honore h. et in ore famæ* Gruter. ad Tacit. p. 296. Post τὸ *Cæsaris* voc. *extracta* deesse videbatur Lipsio. Mox, *cujus est, ut nobiles, &c.* vulgg. ante Schwarz. Vide Nott. Varr.

NOTÆ

[c] *Juvenibus*] Candido et Quadrato; quibus Trajanus, si Spartiano fides est, secundum consulatum dedit, *antequam utrique deberetur,* id est, antequam per ætatem eis licuisset id mereri.

[d] *Posteros libertatis*] Id est, eorum qui libertatis egregii defensores fuerant. Quadratus enim ex gente Cassia, ex qua Cassius notus ille Romanæ libertatis vindex.

[e] *In honore hominum*] Lege cum omnibus interpretibus, *in ore hominum, et in ore famæ.* Sallust. 'In ore agens gentibus, populo, civitati.'

[f] *Quæstor*] Nempe Candidus. 'Quæstores non a pecuniis tantum, sed a criminibus inquirendis ita dictos esse' auctor est Varro. Alii 'provinciales,' qui consulibus aut prætoribus dati, ut sub iis et publicam pecuniam in provinciis procurarent, et

candidatis, inque [g] ea *civitatis amplissimæ* reditus egregia constitutione fundaverat. Hoc senatui allegandum [h] putasti. 2. Cur enim, te principe, qui generis tui claritatem [i] virtute superasti, deterior esset conditio eorum, qui posteros habere nobiles mererentur, quam eorum, qui parentes habuissent? O te dignum, qui de magistratibus nostris semper hæc nunties; nec pœnis malorum, sed bonorum præmiis, bonos facias! 3. Accensa est juventus, erexitque animos ad æmulandum, quod laudari videbat: nec fuit quisquam, quem non hæc cogitatio subiret, cum sciret, quicquid a quoque [j] in provinciis bene fieret, omnia te scire. 4. Utile est, Cæsar, et salutare præsidibus provinciarum, hanc habere fiduciam: paratum esse sanctitati *et* industriæ

CAP. LXX. 1 'Olim hæc perquam mendose edita fuere: *ex candidatis, in quem ea civitas amplissima reditus egregia constitutione fundaverat.* Neque in residuis codicibus Mss. aliter leguntur. Livineius aversa ave hariolatus est, forte legendum esse, *quem in ea civitas, &c.* Primus feliciter veriorem illam, quam proposuimus, lectionem, eruit Lipsius; quanquam eam in impressis libris adhuc soli receperunt Berneggerus, Hackius, Cellarius, Hearn., Gotschlingius. Nos facile in hac emendatione acquiescimus, nisi quod pro *inque ea,* legere malimus *in qua.* Hæ autem particulæ cum semel ab inertibus librariis perverse scriptæ, et ex unico pronomine *qua,* effictæ essent duæ voculæ *que ea,* vel *quem ea;* hinc et sequentia duo nomina, *civitatis amplissimæ,* corrupta, ac in casum nominandi mutata sunt, ut ad antecedentia quodammodo accommodarentur.' *Schwarz.* Vide Nott. Varr.—2 Cod. Patav. *qui generis claritatem,* omisso pronomine *tui.* Exc. Voss. et cod. Patav. *qui parentes nobiles habuissent.* Pro verbo *habere,* Beroald. edidit *dare.* Vatt. Salisb. Patav. Schwarzian. et paucæ edd. *nobiles merentur.* Mox, cod. Paris. *non pœnis bonorum, sed malorum præmiis, bonos facias.*—3 Pro *erexitque,* Salisb. habet *arrexitque;* Schwarzian. *arrisitque.* Pro verbo *videbat,* edd. Paris. Putean. et Delph. evulgarunt *volebat.* Codd. Vatt. exhibent, *omnia te scire, Cæsar. Utile et salutare, &c.*—4 Vulgg. *paratum esse sanctitati, industriæ suæ, &c.* Schwarz. malit legere, *Utile est, et salutare præsides provinciarum havere fiduciam, &c.* Vatt. Venet. 2. et Guelph. *sanctitati et industriæ;* Venet. 1.

NOTÆ

exacta per publicanos vectigalia Romam in ærarium referrent. 'Urbani' vero qui bona publica locarent, et ærarii pecunias expensas et acceptas in tabulas referrent. Hi neque lictores, neque viatores habebant, illis et lictores erant, et toga prætexta. De utrorumque juribus passim videri potest Tullius.

g *Inque* [*in quem*] Locus haud dubie corruptus. Emendat Lipsius: *Inque ea civitatis amplissimæ, &c.* Id est, præfuerat provinciæ, in qua ejus, quæ omnium caput erat, civitatis reditus singulari prudentia ordinarat.

h *Allegandum*] Id est, coram senatu laudandum putasti.

i *Generis tui claritatem*] Atqui, teste Eutropio, 'Trajanus familia fuit antiqua magis, quam clara.'

j *A quoque*] Ab uno quoque magistratu.

suæ maximum præmium, judicium principis, suffragium principis. 5. Adhuc autem quamlibet sincera rectaque ingenia, etsi non detorquebat, hebetabat tamen misera, sed vera, reputatio. 6. Vides enim![k] si quid bene fecero, *scietne* Cæsar? aut, si scierit, testimonium reddet? 7. Ita eadem illa, seu negligentia, seu malignitas principum, cum male consultis impunitatem, recte factis nullum præmium polliceretur; nec illos a crimine, et hos deterrebat a laude. 8. At nunc, si bene aliquis provinciam rexerit, huic quæsita virtute dignitas offertur. Patet enim omnibus honoris et gloriæ campus; ex hoc quisque, quod cupit, petat; et assecutus, sibi debeat.[l] 9. Provinciis quoque in posterum, et injuriarum metum, et accusandi necessitatem remisisti.[m] Nam, si præfuerint, quibus gratias egerint, de nullo queri cogentur. Et alioqui[n] [*liquet*,] nihil magis prodesse candidato ad sequentes honores, quam peractos. 10. Optime, magistratus magistratu, honore honor, petitur. Volo ego, qui provinciam rexerit, non tantum codicillos[o] amicorum,

sanctitati tuæ industriæ suæ. Exc. Voss. *parata esse;* al. ap. Schwarz. *paratam esse.* Nonnulli codd. *permaximum præmium.* Deinde, codex Livin. pro voce *judicium* habet *indicium.*—5 Schwarzian. *si non.*—6 *Quid enim* Catan. *Vide enim* Baudius. Vide Nott. Varr. Puteol. Beroald. et Arntz. *si quid bene fecero, sciet Cæsar? aut, si scierit, testimonium reddet?* edd. al. vett. *si quid bene fecero, nesciet Cæsar; aut si scierit, testimonium non reddet.*—7 Exc. Voss. *pollicerentur . . . deterrebant;* cod. Patav. *pollicerentur . . . deterrebat.*—8 *Ac nunc* quidam codd. et edd. Codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venett. 1. 2. et Guelph. *quod cupiit petat.*—9 *Nam si profuerint* quidam codd. et non paucæ edd. *Nam si præfuerint* distinctis literis exhibent codd. Paris. Patav. et Exc. Voss. item edd. Ascens. Gryph. an. 1542. H. Steph. Boxhorn. Hearn. Cellar. Cev. et Arntz. *Et alioquin nihil magis prodesse ad sequentes honores, quam peractos: optime magistratus magistratu, honore honor, petitur* omnes fere codd.

NOTÆ

[k] *Vides enim*] Melius alii *vide enim*, id est, quid enim.

[l] *Sibi debeat*] Id est, suæ virtuti, quam imperator, pro singulari sua justitia, summis honoribus remuneratus est.

[m] *Necessitatem remisisti*] Modus loquendi sæpe ab eodem Plinio in Epistolis ad Trajanum usurpatus, pro eo quod est; exemisti me a necessitate.

[n] *Et alioqui*] Cæcutire se ait hoc loco Lipsius, nisi legatur, *Et liquebit nihil magis prodesse, &c.*

[o] *Codicillos*] Quibus provinciæ commendata præsidis sui integritate, senatui gratias agerent quod is ad se missus esset. Martial. XII. 9. 'Palma regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos, Et placido fruitur pax pere-

nec urbana conjuratione eblanditas preces, sed decreta coloniarum,[p] decreta civitatum, alleget. 11. Næ suffragiis[q] consularium virorum urbes, populi, gentes, inserantur. Efficacissimum pro candidato genus est rogandi, gratias agere.

CAP. LXXI. 1. Jam, quo assensu senatus, quo gaudio, exceptum est, cum candidatis, ut quemque nominaveras, osculo[a] occurreres! devexus[b] quidem in planum, et quasi unus ex gratulantibus. 2. Te mirer magis, an improbem illos, qui effecerunt, ut istud magnum videretur? cum velut affixi curulibus suis manum tantum,[c] et hanc cunctanter et pigre, et imputantibus similes, promerent. 3. Contigit ergo oculis nostris insolita ante facies: *princeps æquatus candi-*

cum multis edd. Vide Nott. Varr.—10 *Volo ergo* Exc. Voss.—11 *Ne suffragiis* Froben. *Ne . . . inseruntur* codd. ap. Schwarz. *Næ . . . inseruntur* plurimi impressi; *Ne . . . insequuntur* Venet. 1. Vide Nott. Varr.

CAP. LXXI. 1 *Jam quo ascensu* Guelph. *senatu* Salisb. et Schwarzian. *cum candidatus* iidem codd.—2 Tres codd. Vatt. *magnum tantum, et hunc;* Vat. 4. et Guelph. *magistratum, et hunc;* Beroald. *manu tantum . . . promererent;* Venet. 2. Salisb. et Schwarzian. etiam *promererent;* Vatt. et Guelph. *promerentur.*—3 'Mira varietas horum verborum in antiquis libris occurrit. In codice Parisiensi pariter atque Veneto legitur, *Contigit ergo oculis nostris ante facies, princeps candidatus equitus et simul stantis, intueri parem accipientibus honorem qui dabat.* In Guelpherbytano et libro primo Gudiano: *Contigit*

NOTÆ

grina jugo. Ergo agimus læti tanto pro munere grates: Misisti mores in loca nostra tuos.'

[p] *Coloniarum*] Colonia sumitur pro oppido, vel in quod Romani cives mittebantur, vel quod coloniarum jure donatum erat. Aliæ civium Romanorum dictæ, quæ gauderent jure civitatis; aliæ Latinæ, quæ jure Latii.

[q] *Næ suffragiis*] Livineius sublata interpunctione legendum suspicatur, *ut suffragiis consularium virorum inserantur.* Vulgarem tamen editionem secutus sum.

[a] *Osculo*] Lipsius: 'Ut moris erat in itu, reditu, gratulatione,' &c. Supra cap. XXIII. 'Gratum erat quod senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras.' Nero vero notatus superbiæ quod 'neque adveniens, neque proficiscens quenquam osculo impertiret.' Ita Sueton.

[b] *Devexus*] Id est, mea quidem sententia, non tantum, ut Lipsio videtur, e tribunali tuo te inclinans, et quasi ad alios osculandos demittens, sed descendens reipsa in planum; ut satis ostendunt verba quæ proxime consequuntur: 'Contigit ergo oculis nostris insolita facies, princeps et candidatus, æquales et simul stantes.'

[c] *Manum tantum*] Ut Caligula, qui, Dione teste, 'plerisque senatorum vel manum, vel pedem præbuit adorandum.' Idipsum de aliis refertur. Videri potest Lipsius Elect. II. 6.

datis, et simul stans; contigit intueri parem accipientibus, honorem qui dabat. 4. Quod factum tuum a cuncto senatu

ergo oculis nostris ante facies principis equitum candidati et simul stantis, intueri parem, &c. In nostro codice: *Contigit ergo oculis nostris ante facies principis equitatus candidatus et simul stantis intueri parem, &c.* In Vossiano libro: *Contigit ergo oculis nostris ante facies: princeps et candidatus equitis et similis stantis, &c.* Sic etiam Vossianæ scripturæ convenienter an. 1501. ediderat Phil. Beroaldus, nisi quod hic præterea particulam *et* inter vocabula *princeps, candidatus*, omiserit. Philomus. an. 1520. hæc verba expressit: *Contigit ergo oculis nostris ante insolita facies: princeps et candidatus equitis simul stantes; intueri parem accipientibus honorem, qui dabat.* Neque aliter eadem verba, an. 1599. prodidit Livineius, præterquam quod pro casu accusandi, *honorem*, casum auferendi, *honore*, reposuit. Primus, quantum mihi constat, Phil. Junta. an. 1515. pro voce *equitus, equitum, equitis*, vel *æquitatus*, rescripsit *æquales;* at eam lectionem, quam Jac. de la Baune, Cellarius, aliique hodie sunt secuti, jam an. 1531. Seb. Gryphius, nescio, an non ex ingenio, protulit. In hac vero haud acquieverant Livineius et Lipsius, qui locum hunc magis emendare tentarunt, sed successu minus felici. Denuo ei manum admovit Joh. Frid. Gronovius in Diatribe ad Papinium Statium cap. XXXII. pag. 209. cum ita rescribendum censeret: *Contigit ergo oculis nostris insolita facies, Princeps et candidatus æquitus et simul stantes.* 'Duo,' inquit, 'dicit Plinius: primum, utrumque stetisse: dein, utrumque in plano stetisse. Poterat enim princeps altiore loco stare: sed auget illud submissionem ejus. Ideo ante, 'devexus in planum...' 'Æquitus,' ut primitus, planitus apud Tertullianum. Vox elegantissima, et eo amabilior, quia adhuc ignorata.' Ego non statim rejicio ἅπαξ λεγόμενα, sed ea aperta sint, oportet, nec forte ex corruptela aliorum nata: neque gestio solicitare lectionem hucusque vulgatam, dummodo ne magis ex conjectura, quam vestigiis veterum codicum, extitisse videatur. Hæc autem vestigia si persequor, et inprimis si codicis mei scripturam cum ceteris contendo, persuasum mihi habeo, me, neque a mente, neque a stylo Plinii, recessurum esse, si eum locum ita restitutum ivero: *Contigit ergo oculis nostris insolita ante facies principis, æquati candidatis, et simul stantis: contigit intueri parem accipientibus honore, honorem qui dabat.* Primum enim, cur non utrasque has voces, *ante insolita*, conjuncte recipiamus, cum alii veteres libri hanc, alii aliam, exhibeant; et cum Philomusus jam utrasque simul ediderit? Deinde, casum gignendi, *principis*, admitto, qui in duobus codicibus Mss. expressus est, et in omnibus, per adjunctum participium *stantis*, quasi digito ostenditur. Quam proclive porro est, congruentes casus in ceteris vocibus invenire, atque, ex corrupta scriptura *æquitatus*, vel *equitus*, eruere *æquatus;* quam vocem rudes librarii etiam in casum nominandi deflectendam putarunt, postquam ex genitivo *principis*, idem casus nominandi, *princeps*, jam irrepserat! Præterea, quia verbum *intueri* in omnibus, quos vidimus, antiquis libris sine copula *que* ponitur; utique alius ibi defectus latet, qui non commodius, quam per ipsum Plinianum verbum *contigit*, quod librarius repetere omiserat, suppletur. Denique, postliminio affero nomen *honore*, quod Livineius in antiquo codice invenerat, quodque librarii, propter idem nomen in casu accusandi subsequens, prætermiserant. Supervacaneum autem foret, pluribus comprobare, recte dici, eum, qui dabat honorem, parem esse accipientibus honore; quemadmodum Cicero dixit, 'omni virtute et laude parem esse alteri;' et 'facilitate parem esse infimis,' &c.' *Schwarz.* 'Clar. Perizonius conjecerat, *æque et simul stantes.* Aliorum judicia excutere nihil attinet; unum hoc dicam, in loco tam varie vexato atque agitato tutissimum esse quam proxime ad Mss. codices accedere, quorum scripturam ne verbo quidem immutato exhibui, et id, ni fallor, optimo sensu: *Insolita ante facies, princeps et candidatus æqui tum et simul stantes; intueri parem accipientibus honorem, qui dabat.* Ex his *insolita*

cum vera acclamatione celebratum est: 'tanto major,[d] tanto augustior!' Nam, cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si se ipse summittat, securus magnitudinis suæ. 5. Neque enim ab ullo periculo fortuna principum longius abest, quam humilitatis. Mihi quidem non tam humanitas tua, quam intentio ejus,[a] admirabilis videbatur: quippe cum orationi oculos, vocem, manum, commodares,[b] ut si alii[e] eadem ista mandasses. 6. Omnes comitatis numeros obibas; atque etiam, cum *suffragatores candidatorum* nomina,[f] honore, quo solent, *exciperent;* tu quoque inter excipientes eras, et ex ore principis ille senatorius assensus audiebatur; quodque apud

[a] *Quam humanitatis expressio.* [b] *Aptares.*

ante suo jure defendit Schwarzius, in ceteris non ægre feret vir humanissimus, si nonnihil ab ejus sententia dissentire videar. *Æqui tum* dedimus sine ulla vi ex iis Mss. qui mala avi conglutinatis literis fecerant *equitum* et inde *equitus* vel *equitis*, quæ terminationes ex compendiosa scribendi ratione millies permutantur.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—4 Cod. Paris. *vera adamatione;* Gryph. an. 1531. *vera declamatione.*—5 Puteol. 1476. Venet. 1498. et Beroald. *quam ab humilitatis;* Philomus. *quam ab humilitate humilitas;* Catan. Ald. Cuspin. Steph. Gryph. Ascens. Sichard. Boxhorn. al. *quam ab humilitate;* Vatt. Paris. Venet. Salisb. Guelph. Livin. Schwarzian. et Patav. item edd. Rhenan. Grut. Putean. Baun. Patarol. Arntzen. *quam humilitatis.* Vide Nott. Varr. Paulo post, pronomen *ejus* deest in cod. Schwarzian. *manum commendares* codd. Venet. 2. Salisb. et Schwarzian. *quippe cum orationem oculis, voce, manu, commendares* Vat. 4. et Guelph. Deinde Lipsius conj. *ut si alius eadem ista mandasset;* cod. Salisb. *ut si aliis.*—6 Vulgg. ante Schwarz. *cum suffraga-*

NOTÆ

[d] *Tanto major*] Laudationis et acclamationis formula. Seneca de Tranq. Animi: 'Laudemus toties dignum laudibus, et dicamus: Tanto fortior, tanto felicior.' Idem Ep. VII. 'Multo audire mavult, tanto melior, quam felicior.'

[e] *Ut si alii*] Id est, tanquam privato cuivis istud præcepisses. Melius Lipsius, *ut si alius eadem ista mandasset;* sed qua auctoritate?

[f] *Suffragatores candidatorum* [*suffragatorum*] *nomina*] Huic loco lucem afferet comitiorum ratio quam Plinius explicat Epist. III. 20. 'Citato nomine candidati, silentium summum: dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat, testes et laudatores dabat .... addebat quosdam ex suffragatoribus. Illi graviter et paucis loquebantur. Plus hoc, quam preces proderat.' Itaque sensus esse poterit: Ubi appellabantur et cum honoris significatione excipiebantur nomina eorum, quorum testimonio ac suffragiis candidati singuli niterentur, tu, &c. Alius vero sensus erit, atque clarior, si cum Lipsio legetur, *Cum suffragatores nomina, honore quo solent, exciperent: tu quoque, &c.*

principem perhibere testimonium merentibus gaudebamus, perhibebatur a principe. 7. Faciebas ergo, cum diceres, 'optimos:'[g] nec ipsorum modo vita a te, sed judicium senatus, comprobabatur; ornari qui se, non illos magis, quos laudabas, lætabatur.[c]

CAP. LXXII. 1. Nam, quod precatus es, ut illa ipsa ordinatio comitiorum 'bene ac feliciter[h] eveniret nobis, reipublicæ, tibi,' nonne tale est,[i] ut nos hunc ordinem votorum convertere debeamus; Deos denique obsecrare, ut omnia, quæ facis, quæque facies, prospere cedant 'tibi, reipublicæ, nobis;' vel, si brevius sit optandum, ut 'uni tibi,' in quo et respublica et nos sumus? 2. Fuit tempus, ac nimium diu fuit, quo alia adversa, alia secunda, principi et nobis; nunc communia tibi nobiscum tam læta, quam tristia;

[c] *Gaudebatque quod non minus judicium suum a te ornaretur, quam illi ipsi quos laudabas.*

torum nomina, honore, quo solent, exciperentur. Vide Nott. Varr.—7 Vulgg. ante Schwarz. *ornarique se.* Ille vero e conj. dedit *ornari qui se;* quam lectionem firmant codd. Vatt. 'Tuam (Schwarzii) auctoritatem valuisse vides, cum pro vulgari scriptura *ornarique se non illos, &c.* reposui, *qui ornari quam se non illos magis, quos laudabas, lætabatur.* Nimirum in *qui* præponendo tibi obtemperavi, *que* ad *ornari* adhærescens in *quam* mutavi, quo oratio ægre carere posse mihi videbatur. Jam illa sententia est, senatus lætabatur, non magis ornari illos candidatos a se commendatos, quos tu laudabas, quam se ipsum, qui illos tibi tradiderat.' *Gesn.* Nondum apud me constitutum est satis, an ordine inverso uti voluerit Plinius, certe constructio illa dura satis videtur: si quid mutandum, quod non crediderim, sequi maluissem literarum ductum, *ornari qui se.* Recepta scriptura convenit brevitati Plinianæ, de qua et hoc capite, et passim diximus: et *magis* solet poni, licet non sequatur *quam.* Confer doct. Oud. ad Hirtium Bell. Alex. cap. 74. 'Consuetudine magis pervulgata militari credebat instrui Cæsar.' Clar. Perizonius sententia satis ingeniosa conjecerat, *non illi magis, q. l. lætabantur.* Erronee in superioribus Voss. *nec temporum modo vita;* quod ferri nequit.' *Arntz.*

CAP. LXXII. 1 *Jam quod precatus es* al. ap. Hearn. *bene ac f. evenerit* ed. Gesn. *reipublicæ nonne tibi* edd. quædam vett. *eos denique obsecrare* Vatt. 1. 2. Paris. et Venett. 1. 2. *eosdemque obsecrare* Salisb. Patav. et Schwarzian. Livineius conj. *Deosque obsecrare.* Mox Guelph. habet *si brevis est.*—2 Quidam

NOTÆ

[g] *Optimos*] Nota solenne verbum. 'Boni' vel 'optimi' candidati acclamabantur, quibus dabatur suffragium. Hinc illud Senecæ Epist. III. 'Itaque verbo illo quasi publico usus es, et tu amicum dixisti, quomodo omnes candidatos viros bonos dicimus.'

[h] *Bene ac feliciter*] Nota solennem comitiorum precationem.

[i] *Tibi: nonne* [*nonne tibi*] *tale est*] Melius alii, *Nobis, reipublicæ, tibi nonne tale est?*

nec magis sine te nos esse felices, quam tu sine nobis potes. 3. An, si posses, in fine votorum adjecisses, ut ita precibus tuis Dii annuerent, si judicium nostrum mereri perseverasses? Adeo nihil tibi amore civium antiquius, ut ante a nobis, deinde a Diis; atque ita ab illis amari velis, si a nobis ameris. 4. Et sane priorum principum[j] exitus docuit, ne a Diis quidem amari, nisi quos homines ament. Arduum erat, has precationes tuas laudibus adæquare;[d] adæquavimus tamen. 5. Qui amoris ardor, qui stimuli, quæ faces, illas nobis acclamationes subjecerunt! Non nostri, Cæsar, ingenii, sed tuæ virtutis tuorumque meritorum voces fuerunt; quas nulla unquam adulatio invenit, nullus cujusquam terror expressit. 6. Quem sic timuimus, ut hæc fingeremus? quem sic amavimus, ut hæc fateremur? Nosti necessitatem servitutis:[k] quando simile aliquid audisti, et quando dixisti? 7. Multa quidem excogitat metus; sed quæ appareant quæsita ab invitis. Aliud solicitudinis, aliud securitatis, ingenium est: alia tristium inventio, alia gaudentium; neutrum simulationes expresserint. Habent sua verba miseri, sua verba felices: utque jam maxime eadem ab utrisque dicantur, aliter dicuntur.

[d] *Difficile erat te laudare, prout precationes illæ tuæ merebantur.*

codd. *ac minimum diu.*—3 Cod. Schwarzian. *si judicium mereri;* ed. Hack. *si judicium nostrorum mereri.*—4 *Ac sane* in quibusdam codd.—5 Quidam codd. et edd. antiq. *exclamationes subjecerunt;* codd. Guelph. Patav. et Exc. Voss. item edd. Catan. Ald. Cuspin. Junt. Cratand. Gryph. Sichard. H. Steph. Livin. Grut. Elz. Putean. Boxhorn. Baun. Cev. Cellar. Hearn. Patarol. et Gesn. *acclamationes subjecerunt.*—6 Cod. Patav. et Exc. Voss. *ut hæc faceremus.* Mox, codd. Livin. Vatt. Venett. Paris. Salisb. Patav. Schwarzian. et Exc. Voss. *et quando simile;* unde Livin. conj. *ecquando simile;* Schwarzius vero malit, *at quando, &c.*—7 Hæc verba, *Aliud solicitudinis,* desunt in edd. Beroald. et Catan. *neutra s. expresserint* in libro suo annotavit J. F. Gronovius; *neutram, &c.* conj. Schwarz. ' Vix commodam sententiam ex posterioribus verbis elicias. At varie hic locus legitur. Beroaldus, Aldus, Junta, Fratres Vercellenses, Rhenanus, Ascensius, Livineius, pro *utque,* divisis voculis, exhibent *ut quæ.* Gryphius, interjecta voce *eadem,* sic legit: *ut quæ*

NOTÆ

[j] *Priorum principum*] Ut Caii, Claudii, Neronis, Galbæ, Othonis, Vitellii, Domitiani, quorum infelix et magnam partem cruentus fuit exitus.

[k] *Nosti necessitatem servitutis*] Nam, ut supra dixit cap. XLIV. ' Vixisti no-

Cap. LXXIII. 1. Testis ipse es, quæ in omnium orè lætitia: non amictus cuiquam,[a] non habitus, quem modo extulerat; inde resultantia vocibus tecta, nihilque tantis clamoribus satis clausum. 2. Quis tunc non e vestigio suo exsiluit? Quis exsiluisse sensit? Multa fecimus sponte; plura instinctu[b] quodam et imperio. Nam gaudio quoque cogendi vis inest. 3. Num ergo modum ei tua saltem modestia imposuit? Nam, quanto magis a te reprimebatur,

jam maxime eadem ab utrisque dicantur. Cuspinianus hæc verba amplius auget: *ut quæ jam maxime eadem ab utrisque dicantur, aliter dicuntur.* Lipsius, Frischmannus, Hackius, Patarol. hoc augmentum recepere, sed primis particulis *ut quæ* sic conjunctis, *utque.* Gruterus et Parisienses ita scribunt, *utque jam maxime eadem ab utrisque dicantur.* Ad quæ verba hæc commentatus est Gruterus: 'Non sugillo scripturam istam; capior tamen legere, *ut quam maxime.*' Id quod non inviti concedimus; quia facillime fieri potuit, ut ex particula *quam,* duæ, *que jam,* vel *quæ jam,* ab imperitis librariis fingerentur. Noster codex hæc prodit: *ut que jam maxime eadem ab utrisque dicantur.* Si compingamus *que jam* in unam particulam *quam,* tunc facilius in hoc loco legendo et intelligendo acquiescemus. At nescimus, quomodo nihilominus magis capiamur cum Lipsio ceterisque sic legere: *utque maxime eadem ab utrisque dicantur, aliter dicuntur.* Et hæc primo Gudii libro allita deprehendimus.' *Schwarz.* 'Locus haud dubie depravatus. Indulgens hic ingenio hæc scripsisse credo Nostrum: *Habent sua verba miseri, sua verba felices, nec sunt eadem, quæ cummaxime ab utrisque dicuntur.* De *cummaxime* plura dixi Pœciles tom. II. p. 179. sq.' *Heuman.* '*Ut quæ jam maxime ab utrisque dicantur* Puteol. et Ven. Simplicissima, et non video, cur non vera, est scriptura, quam ideo secuti sumus, codicis Schwarziani; nam in dubia lectione optimum semper credidi, quam accurate liceat, vestigia codicum premere: et ita Plinio digna evadet sententia; quam confirmat etiam Voss. nisi quod *ut quæ* recipiat, et expungat *eadem.* Gruterum sequitur Gesnerus.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.

Cap. LXXIII. 1 Vat. 4. Venet. 2. et Guelph. *quæ non;* Schwarzian. *quo non.* Cod. Patav. et Exc. Voss. *non metus cujusquam, non habitus.* Behrius censuit, pro voce *habitus,* legi debere *cinctus.* Lipsius conj. pro voce *modo* legendum *domo;* et sic ediderunt Berneg. Hack. et Ceva, probantibus Ritters. et Baudio. Perizonius conj. *quem modo attulerat;* codd. Salisb. et Schwarzian. habent *quem modo extulerant.* Deinde, Behrius conj. *adde resultantia, &c.*—2 *Quis nunc* Elz. Hearn. et paucæ al. edd. *Quis exsiluisse se sensit* Venet. 1. *Quis exsiluis se sensit* codd. Paris. Venet. 2. et Schwarzian. *quædam et imperio* codd. Vat. 4. Venet. 1. et Guelph.—3 '*Num ergo*] Lego *non,* et sine interrogatione: sic 'nec' et 'saltem' infra cap. LXXXII. 'Nec deformitate ista saltem flumina carebant.' Hæc Perizonius in ora codicis sui, licet nihil dissentiant Mss. qui tamen in sequenti membro variant. Exemplar Livin. et Voss. *non quanto . . . exarsimus?* Guelph. *num quanto.* Lapsus hi sunt libra-

NOTÆ

biscum, periclitatus es, timuisti .... meministi quæ optare nobiscum, quæ sis queri solitus.'

[a] *Non amictus cuiquam*] Signum effusæ lætitiæ, jactare togam, toto corpore exsilire, &c.

[b] *Instinctu*] Nimirum ex impetu repentinæ lætitiæ.

exarsimus, non contumacia, Cæsar; sed, ut in tua potestate est, an gaudeamus; ita in quantum, nec in nostra.* 4. Comprobasti et ipse acclamationum nostrarum fidem lacrymarum tuarum veritate. Vidimus humescentes oculos tuos, demissumque[c] gaudio vultum, tantumque sanguinis in ore,[d] quantum in animo pudoris. 5. Atque hoc magis incensi sumus, ut precaremur, ne quando tibi non eadem causa lacrymarum, utque nunquam frontem tuam abstergeres.[e] 6. Hoc ipsum has sedes nos quasi responsuras in-

* *Sic penes nos non est, in quantum gaudere debeamus.*

riorum facillimi.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—4 Lipsius conj. *lacrymarum ubertate*, et mox, *solutum gaudio vultum;* quas conjecturas receperunt Berneg. et Hack. *dimissumque* Guelph. Salisb. et Venet. 2.—5 ' *Utque n. f. t. abstergeres*] Locus admodum vexatus. Non tantum in nullis codicibus Mss. quorum variantes lectiones habeo, reperitur verbum *abstergeres;* sed neque id prodidere Beroaldus, Aldus, Cuspinianus, Junta, Rhenan. an. 1526. Cratander, sine certo sensu, excudit, *utque nonnunquam frontem tuam abstergere.* Quam lectionem etiam repetiit Gryphius. At Catanæus jam an. 1506. prodidit, *utque nonnunquam frontem tuam abstergeres;* cui et Philomusus et H. Stephanus subscripsere. Tandem Lipsius, Gruterus, aliique, eam exhibuere lectionem, quam nunc e Cellario proposuimus. Livineius, in notis: 'Si auctorem capio,' inquit, 'hoc voluit, precatos se, ut pudorem eum nunquam poneret, quem lacrymis testatus senatui esset. Estque abstergere frontem, pudorem ponere, et tanquam abstergere, id est, ἀποτρίψασθαι τὴν αἰδῶ, ut eadem mente 'perfricare frontem' proverbio dicimus. Bene ergo, *nunquam*, aut *non unquam*, legitur; quod ad numeros auribus meis melius; falso, *non nunquam;* pessime in quibusdam, et in contrarium prorsus, *nunquam non*.' Sed hæc lectio, ejusque probatio, haud arrisit Lipsio: 'Meliores libri,' inquit, 'verbum illud *abstergeres* mox non habent: nec vero eo facit. Quid enim *abstergeat?* lacrymas? eæ in genas delabuntur, non in frontem adscendunt. Pudor non solet abstergi, nec potest.' Equidem Berneggerus noluit hæsitare cum Lipsio, 'cum utique pudibundos manu frontem abstergere solere' censuerit. At neque sic quidem cohæret oratio: adeoque cum Lipsio, omnino hanc clausulam inter mutilas aut corruptas refero, optoque, ut alii, melioribus subsidiis instructi, e vetustis codicibus veriorem tandem proferant lectionem.' *Schwarz.* 'Defectum agnovit Perizonius quoque. Neque ego me expedio. Si illud *abstergeres*, quod tamen non crediderim, vera esset Plinii manus, hic posset esse sensus, ut nunquam facies penitus abstersa esset, et oculi omnino lacrymis carerent. Sed potius profiteor, me nihil hic valere.' *Arntz.*—6 *Hoc templum has sedes* conj. Lips. *Hoc templum ipsum, &c.* edd. Berneg. et Hack. *Hoc ipsum templum, &c.* Kirchm. Weinrich. et Gesn. *interrogamus* Exc. Voss. *has sedes tuas nos quasi, &c.* Guelph. et Vat. 4. in qui-

NOTÆ

[c] *Demissumque*] Præ verecundia et pudore.

[d] *Sanguinis in ore*] Hoc pudoris proprium, ut sanguinem ad vultum, qui verecundiæ sedes est, evocet.

[e] *Abstergeres*] Ut perpetuo hujusmodi lacrymæ, id est, plenæ pudoris et verecundiæ ex oculis tuis manarent.

terrogemus, viderintne unquam principis lacrymas? at senatus sæpe [f] viderunt. Onerasti futuros principes; sed et posteros nostros:[f] nam et hi a principibus suis exigent, ut eadem audire mereantur; et illi, quod non audiant, indignabuntur.

CAP. LXXIV. 1. Nihil magis possum proprie dicere, quam quod dictum est a cuncto senatu: 'O te felicem!' Quod cum diceremus, non opes tuas, sed animum, mirabamur. Est enim demum vera felicitas, felicitate dignum videri. 2. Sed, cum multa illo die dicta sunt sapienter et graviter; tum vel inprimis hoc: 'crede nobis![g] crede tibi!'[h] Magna hoc fiducia nostri, majore tamen tui, diximus. Alius enim[i] fortasse alium, ipsum se nemo deceperit. Introspiciat modo vitam, seque, quid mereatur, interroget. 3. Proinde dabat vocibus nostris fidem apud optimum principem, quod[g] apud malos detrahebat. Quamvis enim faceremus, quæ amantes solent; illi tamen, non amari se, credebant sibi.[j] 4. Super hæc precati sumus, ut 'sic te amarent Dii, quemadmodum tu nos.' Quis hoc aut de se, aut principi[k] diceret mediocriter amanti? Pro nobis ipsis

[f] *Onus imponis futuris imperatoribus, atque etiam futuris post nos senatoribus.*

[g] *Quamobrem hoc verbis nostris fidem faciebat apud optimum principem, quod, &c.*

bus codd. desiderantur verba sequentia: *ne unquam principis lacrymas? at senatus sæpe viderunt.* Denique, codd. Salisb. et Schwarzian. habent *ac senatus.*

CAP. LXXIV. 1 Gryph. an. 1542. et aliæ quædam edd. *non opes, sed animum.*—2 Cod. Patav. et Exc. Voss. *dicta sint sapienter.* Mox, pronomen *hoc* deest in quibusdam codd. et edd. vett. *crede et tibi* Vat. 4. et Guelph. *Aliquis enim* conj. Ritters. *Alius cum fortasse* Exc. Voss. *Alius cum fortasse: ipsum se nemo decipit* cod. Patav.—3 In fine hujus versus pronomen *sibi* desideratur in cod. Guelph.—4 *Qui hoc* codd. Venett. Paris. Salisb. Patav. et Exc. Voss. Mox, *principe . . . amante* conj. Lipsius; *de principe* cod. Patav. et

NOTÆ

[f] *Senatus sæpe*] Lacrymas senatorum reipublicæ calamitatem lugentium viderant.

[g] *Crede nobis*] Nihil tibi ea in re adulantibus.

[h] *Crede tibi*] Qui tuæ felicitatis sat tibi conscius es.

[i] *Alius enim*] Haud difficile est simulata virtute alteri imponere, sibi vero non item.

[j] *Sibi*] Scelerum suorum testi conscientiæ.

[k] *Principi*] An *principe* et mox *amante?* ut mavult Lipsius.

quidem hæc fuit summa votorum, ut 'nos sic amarent Dii, quomodo tu!' Estne verum, quod inter ista clamavimus: 'O nos felices!' Quid enim felicius nobis, quibus non jam illud optandum est, ut nos diligat princeps; sed Dii, quemadmodum princeps? 5. Civitas religionibus dedita, semperque Deorum indulgentiam pie merita,[1] nihil felicitati suæ putat astrui posse, nisi ut Dii Cæsarem imitentur.

CAP. LXXV. 1. Sed quid singula consector, et colligo? Quasi vero, aut oratione complecti, aut memoria consequi, possim, quæ vos, P. C. ne qua interciperet oblivio, et in publica acta[m] mittenda, et incidenda in ære, censuistis? 2. Ante, orationes principum[n] tantum ejusmodi genere monumentorum mandari æternitati solebant; acclamationes quidem nostræ parietibus curiæ[o] claudebantur. Erant enim, quibus nec senatus gloriari, nec princeps, possent. 3. Has vero et in vulgus exire, et posteris prodi, cum ex

Exc. Voss. *principe* Schwarzian. omnes vero codd. *amanti*. Vide Nott. Varr. Paulo post, cod. Paris. habet, *quibus jam illud*, &c. omissa particula *non*. Deinde, verba, *sed Dii, q. princeps*, desunt in Guelph.—5 '*Pie merita*] Olim ubique legebatur, *pie merita*. Primus suspicatus est Lipsius, decurtata a librariis voce, *pie* scriptum fuisse pro *pietate*. Unde Boxhornius, Kirchmaierus, et Cellarius pleniorem vocem asciverunt. Nec refragabuntur, qui veterum librariorum compendia scribendi noverint. In codice Guelpherbytano, omisso adverbio *pie*, legitur *præmerita;* quæ vox sine dubio coaluit ex præcedente compendio *piæ*, i. e. *pietate*. E codice Parisiensi posteriora hujus loci verba sic proferuntur: *nihil felicitatis sibi putat astrui posse*, &c.' Schwarz. 'Omnino verum est, quod reservavit nobis Voss. codex, *promerita*, et inde, quod per errorem dederit Guelph.' *Arntz*. Vide Nott. Varr. Mox, *felicitatis suæ* codd. Vat. 4. Venett. 1. 2. Salisb. Patav. et Exc. Voss. unde Schwarz. conj. *nihil felicitatis putat astrui posse suæ*. Cod. Paris. exhibet, *nihil felicitatis sibi putat adstrui posse*.

CAP. LXXV. 1 Quidam legere maluerunt, *et incidenda in æs*.—2 Exc. Voss. *mandare æternitati*. Mox, particula *quidem* deest in Vatt. 2. 4. et Guelph. Deinde, codd. Vat. 4. Paris. et Guelph. *nec principes possent;* Salisb. *nec princeps posset*.—3 *Has v. et in singulas exire* cod. Patav. 'Non

NOTÆ

[1] *Pie merita*] Mirum ni, ut Lipsio videtur, decurtata a librariis voce, *pie* pro *pietate* scriptum.

[m] *In publica acta*] Cui quidem rei, qui præerat senator 'ab actis' dicebatur. Tac. Annal. v. 'Junius Rusticus componendis patrum actis delectus a Cæsare.'

[n] *Orationes principum*] Habitas aut principibus, aut a principibus, ut a Nerone factum videri potest apud Dionem.

[o] *Parietibus curiæ*] Non emanabant extra curiam, ubi ejusmodi orationes habebantur.

utilitate, tum ex dignitate publica fuit: primum, ut orbis terrarum pietatis nostræ adhiberetur testis et conscius; deinde, ut manifestum esset, audere nos de bonis malisque principibus, non tantum post ipsos,[h] judicare; postremo, ut experimento cognosceretur, et ante[p] nos gratos, sed miseros, fuisse, quibus, esse nos gratos, probare antea non licuit. 4. At, qua contentione, quo nisu, quibus clamoribus, expostulatum est,[q] ne affectus nostros, ne tua merita, supprimeres; denique, ut in posterum exemplo provideres? 5. Discant et principes acclamationes veras falsasque discernere, habeantque muneris tui,[i] quod jam decipi non poterunt. Non instruendum illis iter ad bonam famam, sed non deserendum:[k] non summovenda adulatio, sed non reducenda est. Certum est,[r] et quæ facere, et quæ debeant audire, si faciant. 6. Quid nunc ego super ea, quæ sum cum toto senatu precatus, pro senatu precer, nisi ut hæreat animo tuo gaudium, quod tunc oculis protu-

[h] *Non solum post illorum mortem.* [i] *Et hoc a te beneficii loco accipiant.*
[k] *Non quærenda illis nova ad gloriam via, sed non est a tua deflectendum.*

pugnat contra saniorem Latinitatem, quod est in Vossiano et omnibus antiquioribus editis, *in singulis*, neque etiam ullum sententiæ damnum affert: ad eam normam dixisset, quomodo 'exire in venatione' est apud Hyginum fab. 186. Codex Guelph. Cuspin. Lugd. Lipsius, ceteri, et Sichardus in margine *in vulgus;* quod sane frequentioris usus est. Sueton. Galba cap. 20. 'Quod ante paucos dies exierat in vulgus.' Plura congeruntur ad Nepot. Datam. cap. 6. et confer Pricæum ad Lucæ Evang. IV. 14. et ad Matth. IV. 24. 'Απῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην τὴν Συρίαν. Ælian. Var. Hist. XIII. 11. Εἰς Μακεδονίαν ἐλθοῦσα ἡ φήμη' *Arntz.* Vide Nott. Varr. Mox, *pietati nostræ* Salisb. Deinde, *non tamen post ipsos* cod. Patav. et Exc. Voss. Paulo post, conjecturam Lipsii, *non ingratos*, in textum recepere Berneg. et Hack.—4 Codd. Vat. 4. Paris. Salisb. Guelph. Venett. 1. 2. et edd. vett. *quo nixu;* cod. Patav. *quo jussu.* Mox, *quibus c. conquestum est* Gud. 1. Catan. et Schoonhov. in marg. *ut affectus nostros* Guelph. Tum verba, *denique ut in posterum exemplo provideres*, desunt in Vat. 4. et Guelph. *exemplum provideres* ed. Gesn.—5 Cod. Patav. et Exc. Voss. *veras falsasque decernere.* Mox, cod. Paris. *non possint.* Deinde, *iter, sed bonam famam non deserendam* cod. Patav. *deserendam* etiam Exc. Voss. *sed non ad secundam* codd. Salisb. et Schwarzian. —6 *Nunc quid ego* cod. Patav. et Exc. Voss. *nunc oculis protulisti* cod. Paris.

NOTÆ

[p] *Et ante*] Domitiani tempora suo more notat Plinius.

[q] *Expostulatum est*] Vehementer postulatum est.

[r] *Certum est*] Discent boni principes ex tuis moribus, quid agere debeant, ex acclamationibus vero nostris in acta relatis, quid a senatu audituri sint.

listi? Ames illum diem, et tamen vincas:[a] nova merearis, nova audias: eadem enim dici, nisi ob eadem facta, non possunt.

CAP. LXXVI. 1. Jam, quam antiquum, quam consulare, quod triduum totum[a] senatus sub exemplo tui[l b] sedit; cum interea nihil præter consulem ageres! 2. Interrogavit quisque, quod placuit: dissentire, discedere,[c] et copiam judicii sui reipublicæ facere,[m] tutum fuit. Consulti omnes, atque etiam dinumerati sumus:[d] vicitque sententia non prima, sed melior. 3. At quis antea loqui, quis hiscere, au-

[l] *Exemplo tuo.*
[m] *Et sententiam suam pro bono reipublicæ dicere.*

et ed. Patarol. item Grut. *tunc o. prætulisti* Livin. *ut tamen vincas* cod. Schwarzian. *et tam* cod. Patav. et Exc. Voss. *nova audies* codd. Salisb. et Schwarzian. Denique, verba *ob eadem* desunt in omnibus codd. item in edd. Puteol. Beroald. Cuspin. et Philomus. verbum *dici* deest in cod. Schwarzian.

CAP. LXXVI. 1 Codd. fere omnes et vulgg. *sub exemplo tui;* Cuspin. Gryph. et H. Steph. in margine, *sub exemplo patientiæ tuæ sedit;* codd. Patav. et Venet. 1. *sub exemplo tuo sedit.* Vide Nott. Varr.—2 *Interrogavit quisquis* in quibusdam codd. ap. Schwarz. *descendere,* pro *discedere,* Exc. Voss. Perizon. conj. *disserere,* quod postea tamen inducta lineola deleverat. Mox, *tutum fuit* desunt in codd. fere omnibus et edd. antiq. Vide Nott. Varr.—3 *Et quis* cod. Patav. et Exc. Voss. *Aut quis* cod. Paris. et Venett. 1. 2.

NOTÆ

[a] *Vincas*] Majus in dies aliquid et facias, et audias, novas quotidie acclamationes mereare.

[a] *Triduum totum*] Quo Marius Priscus Africæ proconsul a provincialibus cum suis ministris accusatus repetundarum, agente pro Afris causam Plinio nostro et Cornelio Tacito, damnatus est a Trajano, qui triduanæ huic causæ interfuit. Plin. Epist. II. 11. de hac causa: 'Dixi horis pæne quinque; nam decem clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor. Cæsar quidem mihi tantum studium, tantam etiam curam (nimium est enim dicere solicitudinem) præstitit, ut libertum meum post me stantem, sæpius admoneret, voci laterique consulerem, cum me vehementius putaret intendi, quam gracilitas mea perpeti posset,' &c.

[b] *Exemplo tui*] Melius, *exemplo patientiæ tuæ,* ex editione Lugdunensi.

[c] *Discedere*] In utramvis partem licet. Qui enim idem sentiebant cum aliquo, in ejus partem discedebant, sicque dicebantur pedibus ire in eorum sententiam, pro qua libertate antea tyranni, ut mox addit, 'mutam et sedentariam assentiendi necessitatem induxerant.'

[d] *Dinumerati sumus*] Solenne verbum, teste Festo, 'numerare senatum,' id est, utra in parte plures sint computare, quo facto pronuntiabat consul, 'Hæc pars major videtur,' Senec. de Beata Vita.

debat, præter miseros illos, qui primi interrogabantur? ceteri quidem defixi et attoniti ipsam illam mutam et sedentariam assentiendi necessitatem, quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore, perpetiebantur? 4. Unus solusque censebat, quod sequerentur omnes, et omnes improbarent, inprimis ipse, qui censuerat. Adeo nulla magis omnibus displicent, quam quæ sic fiunt, tanquam omnibus placeant. 5. Fortasse imperator in senatu ad reverentiam ejus componebatur;[a] ceterum egressus, statim se recipiebat in principem,[b] omniaque consularia officia abigere, negligere, contemnere, solebat. 6. Ille vero[e] ita consul, ut si tantum consul foret, nihil infra se putabat, nisi quod infra consulem esset. 7. Ac primum, ita domo progrediebatur, ut illum nullus apparatus arrogantiæ principalis, nullus præcursorum[f] tumultus, detineret. Una erat in limine mora, consultare aves,[g] revererique numinum monitus. 8. Nemo perturbabatur, nemo summovebatur: tanta viatoribus[h] quies,

[a] *Sese componebat, ut honorem haberet senatui.*
[b] *Tyrannicum fastum resumebat.*

miseros, qui primum Guelph. *mutam et edentariam* Venet. 1. *mutam et silentiariam* Salisb. Paulo post, *corporis horrore petebantur* ed. Puteol. *corporis h. perpetrabantur* cod. Patav.—4 In quibusdam codd. *tanquam omnibus pateant.*—5 *At fortasse imperator* Lips. *Fortasse imperium* Guelph. *statim se r. in imperatorem principem* Vatt. 2. 4. *officia abjicere* malnit Livin.—6 *Ille vero consul ita* cod. Patav. et Exc. Voss. '*Infra consulem*] Sic recte edidit Catanæus, quem plurimi secuti sunt. Codd. quos Schwarz. consulnit, et edd. antiquæ, *infra eos;* idemque servavit etiam Arntzen. Sed Livin. et Schw. indicarunt originem illius corruptelæ. Ex *cos.* facile fieri potuit *eos.*' Gierig. Vide Nott. Varr.—7 Cod. Patav. et Exc. Voss. *percussorum tumultus.* Vat. 4. et Guelph. *consalutare aves.* Pro *monitus,* cod. Patav. et Exc. Voss. habent *monita.*—8 Hæ duæ voces, *Nemo perturbabatur,* desunt in cod. Schwarz. *Nemo proturbabatur* Livin. in marg. ed. suæ, quam lect. receperunt Berneg.

NOTÆ

[e] *Ille vero*] Trajanus vero ita est consul, quasi idem præterea non esset imperator.

[f] *Præcursorum*] Præambulonum, et apparitorum, qui, ut viam præmunirent principi, turbam summovebant.

[g] *Consultare aves*] Quid ergo? utrum in domorum egressu auspicia semper captabantur? Certe quidem victor in limine palatii 'auguratorium ponit.' Forte ipse Trajanus hanc ab Hispanis consuetudinem hauserat, quos captandis auguriis deditissimos fuisse ait Lampridius in Alexandro.

[h] *Viatoribus*] Viatores proprie dicebantur, qui magistratus, si forte rus otiandi causa concesserant, in curiam accersebant. Videri in eam rem

tantus pudor fascibus, ut plerumque aliena turba subsistere et consulem et principem cogeret. 9. Ipsius quidem officium[i] tam modicum, tamque temperatum, ut antiquus aliquis magnusque consul sub bono principe incedere videretur.

CAP. LXXVII. 1. Iter illi sæpius in forum,[j] frequenter tamen et in campum.[k] Nam comitia consulum obibat ipse; et tantum ex renuntiatione eorum voluptatis, quantum prius ex destinatione,[l] capiebat. 2. Stabant candidati ante curulem[m] principis, ut ipse ante consulis steterat: adigebanturque in verba, in quæ paulo ante ipse juraverat princeps; qui tantum putat esse in jurejurando, ut illud et ab aliis exigat. 3. Reliqua pars diei tribunali dabatur.[p] Ibi vero quanta religio æquitatis! quanta legum reverentia! Adibat aliquis ut principem? respondebat, se consulem esse. 4. Nullius ab eo magistratus jus, nullius auctoritas imminuta est; aucta etiam: siquidem pleraque ad prætores[n]

[p] *Impendebatur juri dicundo.*

Hack. et Gesn.—9 *Ipsius q. officium modicum* codd. Paris. Salisb. Venet. 1. Patav. Exc. Voss. edd. Puteol. et Beroald. *tam temperatum* vulgg. *tamque temperatum* cod. Paris. *antiquus aliquis magnus consul* vulgg. ante Schwarz. *magnusque consul* codd. Vatt. Paris. Salisb. Guelph. et Venett. 1. 2. *intercedere videretur* codd. Vat. 1. Patav. Exc. Voss. edd. Puteol. Beroald. Philomus. et Rhenan.

CAP. LXXVII. 1 *Iter illi* codd. Paris. Salisb. Venett. 1. 2. Patav. et Exc. Voss. *ipse; tantum, &c.* edd. Lips. Grut. Parisienses, et Patarol. *quam prius* cod. Patav. et Exc. Voss.—2 H. Steph. Boxhorn. et Cellar. *ante consules steterat.*—3 Cod. Patav. et Exc. Voss. *credebat, se consulem esse.*—4 Codd. Vat. 4. Guelph. et Venet. 1. *magistratus vis.* Exc. Voss. *inmutata est.* Cod. Paris. *aucta vero;* Guelph. *aucta quidem; pleraque, &c.* Mox, *ad prætorem* codd.

NOTÆ

potest Tullius de Senectute, et Columella in Præf. lib. I. Sæpe tamen, uti hoc in loco, pro apparitoribus sumuntur, ut ex Tullii Orat. pro Cluentio patet. Apparitores autem ex eo videntur nomen invenisse, quod magistratui apparerent. Vid. Hotoman. in Cic.

[i] *Officium*] Id est, qui officii causa prosequebantur.

[j] *In forum*] Ut inibi jus diceret populis.

[k] *In campum*] Martium, ut comitiis consularibus interesset.

[l] *Destinatione*] Consul vocabat tribus in campum Martium. Tum princeps, quibus consulatum destinasset aperiebat. Illæ ferebant suffragia: describebantur qui electi erant. Demum consules renuntiabantur.

[m] *Curulem*] Supra cap. 56.

[n] *Ad prætores*] Primis temporibus

remittebat, atque ita, ut collegas vocaret: non quia populare [o] audientibus, sed quia ita sentiebat. 5. Tantum dignationis [p] in ipso honore ponebat, ut non amplius esse censeret, quod [q] aliquis collega appellaretur a principe, quam quod prætor esset. 6. Ad hoc tam assiduus in tribunali, ut labore refici ac reparari videretur. Quis nostrum idem curæ, idem sudoris, insumit? Quis adeo expetitis honoribus aut deservit, aut sufficit? [r] 7. Et sane æquum est, tantum ceteris præstare consulibus ipsum, qui consules facit: quippe etiam Fortunæ [q] videbatur indignum, si posset honores dare, qui gerere non posset. 8. Facturus consules doceat, accepturisque amplissimum honorem persuadeat,

[q] *Tantam dignitatem in ipsa prætura putabat esse, ut non existimaret majus quiddam esse quod, &c.*

[r] *Quis desideratæ dignitati ita vult aut potest se impendere?*

Vat. 4. et Guelph.—5 Cod. Patav. *non amplius cresceret.*—6 *Ad hæc* in quibusdam codd. ap. Schwarz. *Ad hoc* codd. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Guelph. Patav. et Exc. Voss. Mox, pro *insumit,* quod habent codd. Vatt. 4. Paris. et Venett. 1. 2. *sumit* exhibent vulgg. *insunt* Guelph. *insinuit* Salisb. et Schwarz. *insinuavit* Patav.—7 Codd. Vatt. 4. Venett. 1. 2. Guelph. Patav. et Exc. Voss. *fortuna videbatur.* Vox *fortunæ* deest in codd. Salisb. et Schwarzian. *Quippe etiam fortuna videbatur indignus, si posset honores dare, quos gerere non posset* cod. Paris.—8 *Facturus consules, consules esse doceat* conj. Schwarz. *accepturusque* quidam codd. ap. Schwarz. *accepturosque* Paris. et quædam edd.

NOTÆ

consules iidem erant, et prætores; sed anno U. C. 386. cum consules distinerentur bellis finitimis, neque in Urbe esset qui jus redderet; primum unus, tum et alter prætor creatus est: 'Urbanus' qui civibus; 'peregrinus' vero qui extra Urbem jus reddebat, dicebatur. Utrique sella erat curulis, utrique hasta et gladius pro insignibus: illa ad jurisdictionem, hic ad quæstionem significandam. Prætores consulum collegas appellat A. Gellius: 'quod,' inquit, 'eodem auspicio crearentur.' Plures subinde prætores fuere, sed de his alio loco.

[o] *Non quia populare*] Non ut id populi auctoribus daret, sed quod revera ita existimaret.

[p] *Dignationis*] Id est, dignitatis, quo sensu apud Tullium ad Attic. x. 10. 'de dignatione laborare,' et passim apud Velleium Paterculum: 'tantæ dignationis homines;' 'Dignatio Octavii;' 'Dignatione Brutus obruerat Vatinium:' et apud Suetonium in Vespasiano, 'nec sine magna dignatione Africam administravit.'

[q] *Etiam Fortunæ*] Sententia est: Non Diis modo, sed vel Fortunæ ipsi, etsi cæcæ honorum dispensatrici, indignum videbatur, magistratus ab eo conferri posse, qui eos gerere ipse non posset.

scire se, quid sit, quod daturus sit: sic fit, ut illi quoque sciant, quid acceperint.

CAP. LXXVIII. 1. Quo justius senatus, ut susciperes quartum consulatum, et rogavit, et jussit. Imperii hoc verbum, non adulationis esse, obsequio tuo [a] crede; quod non alia in re magis, aut senatus exigere a te, aut tu præstare senatui debes. 2. Ut enim ceterorum hominum, ita principum, illorum etiam, qui Dii sibi videntur, ævum omne et breve et fragile est. Itaque optimum quemque niti et contendere decet, ut post se quoque reipublicæ prosit, moderationis scilicet justitiæque monumentis, quæ prima statuere consul potest. 3. Hæc nempe intentio [b] tua, ut libertatem revoces, ac reducas. Quem ergo honorem magis amare,

Mox, *quod dabit* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venett. 1. 2. Paris. Guelph. Patav. et Exc. Voss. alii vero codd. et edd. omnes, *quod daturus sit*. Denique vox *fit* deest in ed. Nav. et Livin. *sic fiet* cod. Livin. cum edd. Cusp. Gryph. et Rhenan.

CAP. LXXVIII. 1 Cod. Patav. et Exc. Voss. *ut acciperes*. In codd. Salisb. et Schwarzian. omnia desunt ab initio hujus capitis usque ad hæc verba, *Hæc nempe intentio tua*. Mox, cod. Paris. *obsequio tuo credo* . . . . *exigeret a te*. Deinde, pronomen *tu* deest in quibusdam codd. et libris impressis.—2 Pro particula *etiam*, voc. *omnium* non paucos occupavit libros impressos; codd. vero Vatt. Venett. Paris. Salisb. Guelph. item edd. Cuspin. Lips. Grut. Parisienses, Berneg. Hack. Patarol. Cev. Arntz. Gesn. *illorum etiam*; et sic in margine edd. Gryph. Sichard. H. Steph. Livin. et Rivin. *illorum omnes* codd. Patav. et Voss. item edd. Puteol. Beroald. et Rhenan. Mox, pro voce *ævum*, quam primi promulgarunt Catan. Ald. Junt. Rhenan. et Philomus. omnes codd. et edd. antiq. habent *equum*, sive *æquum*. '*Quæ prima*] Nescio, annon ex compendio scribendi prognata sit vox *prima*, pro voce *plurima?* cum hæc vox integra ascripta sit primo Gudii libro; et cum in Philomusi editione excusum sit *pria;* nisi dixeris, *prima monumenta* hic dici, quasi primaria et præcipua: prout Plinius, in hoc ipso Paneg. cap. LXXXIII. 1. loquitur: 'Habet hoc primum (i. e. præcipuum) magna fortuna.' E Lipsii conjectura Cellarius et Hearn. receperunt verbum secundæ personæ, *potes;* cum tertia persona, *potest*, in omnibus ceteris libris extet. In nostro codice Ms. non legitur *intentio*, sed *inventio :* verum vox *intentio*, pro studio, cura, et animi contentione, Plinio, Plinianique ævi scriptoribus, non est infrequens. In Vossiano libro scriptum est *intentio tibi*. Sed nihil necesse esse puto, ut a vulgari lectione recedamus.' *Schwarz.*—3 Cod. Pa-

NOTÆ

[a] *Obsequio tuo*] Si enim adulationis verbum esse credes, recusabis consulatum: sin vero putabis esse imperium, tum pro tua singulari erga senatum observantia haud dubio obsequeris. Igitur imperii hoc verbum esse, ostende senatui obsequendo.

[b] *Hæc ... intentio*] Vox illa hoc sensu apud Pliniani ævi scriptores frequens, hujus exempla referre abstineo.

quod nomen usurpare sæpius, debes, quam quod primum invenit [c] recuperata libertas? 4. Non est minus [d] civile, et principem esse pariter, et consulem; quam tantum consulem. 5. Habes etiam rationem verecundiæ collegarum tuorum; collegarum, inquam: ita enim et ipse loqueris, et nos loqui vis. 6. Onerosa erit modestiæ illorum tertii consulatus sui recordatio, donec te consulem [e] videant. Neque enim potest non nimium esse privatis, quod principi satis est. 7. Annuas, Cæsar, optantibus, quibusque apud Deos adesse [f] consuesti, quorum potes ipse, votorum compotes facias!

CAP. LXXIX. 1. Fortasse sufficiat [g] tibi tertius consulatus; sed nobis tanto minus sufficit. Ille [h] nos instituit, et induxit, ut te iterum iterumque consulem habere cupia-

tav. et Exc. Voss. *intentio tibi;* cod. Schwarzian. *inventio tua.*—4 Exc. Voss. *te principem esse.*—5 *Habet* Venet. 1. *Habent* Salisb. et Schwarzian. *Habe* conj. Livin. et sic edidere Lips. Boxhorn. Berneg. Hack. Cellar. Patarol. Gesn. et Arntz.—6 *Onerosa erit m. eorum* codd. Salisb. et Patav. Mox, Livin. conj. *donec te consulem quartum.* Vide Nott. Varr.—7 *Adimas, Cæsar,* cod. Patav. et Exc. Voss. *apud D. esse* edd. ante Livin. et Lips. *consuevisti* Guelph. *quorum potes ipsorum* codd. Salisb. et Schwarzian. *quorum potes esse* cod. Patav. et Exc. Voss. *quorum potens es* Ald. Sichard. et Livin. *quorum potens es ipse* Gryph. an. 1542. R. et H. Steph. Boxhorn. Cellar. Hearn. et Gesn. Vide Nott. Varr.

CAP. LXXIX. 1 *Fortasse tibi sufficiet* cod. Vat. 4. *tibi* deest in quibusdam codd. et edd. ap. Schwarz. Mox, *iterumque* deest in codd. Vatt. 3. 4. et

NOTÆ

[c] *Primum invenit*] Post exactos reges et recuperatam libertatem creati sunt consules. Quare consulatus nomen fuit veluti primum recuperatæ libertatis signum.

[d] *Non est minus*] Quia si quid invidiosum habet principis nomen, illud totum popularis consulis nomine temperatur et corrigitur.

[e] *Te consulem*] *Quartum* inserit post Livineium Rittershusius.

[f] *Apud Deos adesse* [*esse*] Id est, quibus instar Dei huc usque fuisti. Alii legunt *adesse.* Sensus esset: Qui adesse nobis Deos precantibus soles, et quodcumque petimus pro nobis consequi, hoc jam concede, quod non ab iis, sed a te uno pendet.

[g] *Sufficiat*] Nimirum *tibi*, sed propter tuam illam verecundiam tanto minus nobis sufficit. Respexisse videtur ad illud Tullii pro Marc. c. 26. 'Satis, si ita vis, naturæ fortasse; addo etiam, si placet, gloriæ; at quod maximum est, patriæ certe parum vixisti.'

[h] *Ille*] Tertius ille consulatus tanta cum laude a te gestus nos impulit, &c.

mus. 2. Remissius istud contenderemus,[a] si adhuc non sciremus qualis esses futurus. Tolerabilius[i] fuit, experimentum tui nobis, quam usum, negari. 3. Dabiturne rursus videre consulem illum? Audiet,[j] reddet, quas proxime, voces; præstabitque gaudium, quantum ipse percipiet? Præsidebit lætitiæ publicæ, auctor ejus et causa? Tentabitque affectus nostros, ut solet, cohibere; nec poterit? 4. Pietati senatus cum modestia principis felix speciosumque certamen, seu fuerit victa, seu vicerit. Equidem incognitam quandam, proximaque majorem præsumo lætitiam. Quis enim est tam imbecilli ingenio, qui non tanto meliorem consulem speret, quanto sæpius fuerit? 5. Alius labores, si non continuo se desidiæ ac voluptati dedisset, otio tamen et quiete recreasset: hic, consularibus curis exsolutus, principales resumsit; tam diligens temperamenti, ut nec consulis officium princeps; nec principis consul, appeteret.[b] 6. Videmus, ut provinciarum desideriis, ut singularum etiam civitatum precibus, occurrat. Nulla in audien-

[a] *Minus acriter id postularemus.*

[b] *Hic, consulis cura deposita, principis officium resumebat, servata moderatione ea, ut nec princeps ageret consulis officium, nec principis partes consul.*

Guelph.—2 *Remissus illud* codd. Vat. 4. et Guelph. et quædam edd. *experimentum tui, quam visum, negari* Vat. 4. *nobis* deest etiam in Guelph.—3 *Audiet et reddet* edd. H. Steph. Elz. Boxhorn. Rivin. Cellar. Hearn. Cev. et Gesn. *Tractabitque affectus* Guelph. *Tentabitque effectus* Vat. 4.—4 *Pietatis* cod. Patav. et Exc. Voss. *Erit pietati* conj. Lips. *proximamque* cod. Schwarzian. et ed. H. Steph. et sic cod. Salisb. a m. pr. *tam indocili* cod. Patav. et Exc. Voss. *tam modicello* Vat. 4. et Guelph. *tam modicilli ingenii* codd. Paris. Salisb. Venett. 1. 2. et Schwarzian. *tam modicillo ingenio* in aliis. Codex Schwarzii habet, *meliorem consulem præbet;* unde ille conj. *præstet.*—5 Vat. 4. et Guelph. *Alios labores si non continuos desidiæ ac voluptati dedisset;* cod. Paris. *Alius si labores non continuos, &c.* Venet. 1. *Alius sibi non continuos labores;* Venet. 2. Salisb. Schwarzian. et Patav. *Alius labores si non continuos desidiæ, &c.* Junt. *Alius labores, si non continuose desidiæ ac voluptati dedisset.* Vide Nott. Varr. Mox, *curis* deest in codd. Salisb. et Schwarzian. *exsolutis* iidem codd. item Vat. 4. et Patav. *curis exsolutus* Salisb. a m. sec. —6 Multi codd. et edd. *etiam civitatis præsidiis.* Vide Nott. Varr.

NOTÆ

[i] *Tolerabilius*] Minus molestum fuisset, si te non habuissemus consulem, quam si singularem tuam sapientiam semel atque iterum experti, amplius te uti non possemus.

[j] *Audiet*] An erit adhuc ut nostras acclamationes audiat bonus princeps, et quas vicissim pro populo proxime

do[k] difficultas, nulla in respondendo mora: adeunt statim; dimittuntur statim; tandemque principis fores exclusa legationum turba non obsidet.

CAP. LXXX. 1. Quid? in omnibus cognitionibus, quam mitis severitas, quam non dissoluta clementia! Non locupletando[l] fisco sedes, nec aliud tibi sententiæ tuæ pretium, quam bene judicasse.[m] 2. Stant ante te litigatores, non de fortunis suis, sed de tua existimatione, soliciti; nec tam verentur, quid de causa sua, quam quid de moribus, sentias. 3. O vere principis, atque etiam consulis,[n] reconciliare æmulas civitates, tumentesque populos non imperio magis, quam ratione, compescere! 4. Intercedere iniquitatibus magistratuum,[o] infectumque reddere, quicquid fieri non oportuerit; postremo, velocissimi sideris more, omnia invisere, omnia audire, et undecumque invocatum statim, velut numen, adesse et assistere. 5. Talia esse

CAP. LXXX. 1 *Quid in omnibus conditionibus* codd. Salisb. et Schwarzian. *Quod in o. excogitationibus* edd. Cuspin. Junt. Rhenan. Philomus. Cratand. R. et H. Steph. Ascens. Nav. Gryph. an. 1531. Sichard. Livin. Elz. et Rivin. *Non l. fisco studes* conj. Baud. *tibi s. tuæ præcipuum* edd. Catan. Paul. Steph. et Chouet. *tuæ* deest in Salisb. et Schwarzian. *bene vindicasse* in iisdem codd. —2 Codd. Salisb. et Schwarzian. *de fortunis suis non solum*. Vat. 4. *tua æstimatione;* cod. Patav. et Exc. Voss. *tua extimatione;* Salisb. et Schwarzian. *tui existimatione;* P. Faber in ed. Paris. 1643. conj. *sed de sua existimatione soliciti;* quam lect. admisere Boxhorn. Kirchm. et Minel. *de moribus sententies* codd. Vatt. Paris. Venet. 1. Patav. et Exc. Voss.—3 *O veri* Ascens. Gryph. an. 1542. H. Steph. Rivin. et Hearn. Pro voce *consulis*, legitur *decoris* in omnibus codd. ap. Schwarz. item in edd. Puteol. Beroald. Rhenan. et Philomus. Vide Nott. Varr. *conciliare æmulas* Vat. 4. *timentesque populos* codd. Venett. 1. 2. Salisb. Schwarzian. Patav. et Exc. Voss. item edd. Puteol. et Ald.—4 Gesn. conj. *non oportuerat*. Mox, quædam edd. *veluti numen;* al. *numen velut;* in codd. Vat. 4. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Patav. et Schwarzian. desideratur vox *numen*.—5 *Alia etiam crediderim* Guelph. et

NOTÆ

emisit precationes reddat?

[k] *In audiendo*] In audiendis populorum querelis.

[l] *Non locupletando*] Id est, non sedes pro tribunali, ut fiscum ex damnatorum bonis augeas, ac locupletes.

[m] *Quam bene judicasse*] Notum illud Seneca Ep. LXXXI. 'Recte fecisse facti merces est.'

[n] *Consulis*] Supple officium.

[o] *Iniquitatibus magistratuum*] Ut Marii Prisci Africæ proconsulis, de quo supra cap. LXXVI. Classici Bæticæ proconsulis, de quo Plinius Ep. III. 9. et Julii Bassi Bithyniæ proconsulis, cujus acta fisco utilia quidem, sed iniqua rescindi jussit: data omnibus potestate quæcumque ab eo decreta

crediderim, quæ ipse mundi parens temperat nutu, si quando [p] oculos demisit in terras, et *fata* mortalium inter divina opera numerare dignatus est. 6. *Qua* nunc *parte curarum* liber solutusque, tantum cœlo [q] vacat, postquam te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungereris. Fungeris enim, sufficisque mandanti; cum tibi dies omnis, summa cum utilitate nostra, summa cum tua laude, condatur.[r]

CAP. LXXXI. 1. Quod si quando cum influentibus negotiis paria fecisti; instar refectionis [a] existimas [e] mutationem laboris. Quæ enim remissio tibi, nisi lustrare saltus,[b] excutere cubilibus feras, superare immensa montium

[e] *Quod si aliquando confluentibus negotiis satisfecisti, recreationis loco habes, &c.*

Vat. 4. *et facta mortalium* edd. ante Schwarz. *et fata mortalium* Vat. 4. Venet. 2. Salisb. Guelph. Patav. Schwarzian. et Exc. Voss. Vide Nott. Varr.—6 Vulgo ante Schwarz. *Quibus nunc per te liber solutusque;* codd. Livin. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Patav. Schwarzian. et Exc. Voss. *Qua nunc parte liber solutusque;* quam lect. recepit Arntz. *Qua nunc per te* Puteol. Beroald. et Rhenan. Hic in margine annotavit legendum, *quæ cura.* Liber Gudii in margine habet, *Qua nunc per te cura liber;* quam scripturam Scaliger quoque in libro suo annotavit. Cuspinianus edidit, *Qui nunc per te curarum liber solutusque.* Vide Nott. Varr. Mox, *cœlo tantum* edd. vett. *liber solutusque tanto vacat* Salisb. et Schwarzian. omissa voce *cœlo.* Deinde codd. Paris. *postquam te terris dedit.* Ed. Hack. *vice versa fungereris;* quidam cod. *vice sua fungeris.* In cod. Patav. deest *fungereris.* Codd. Salisb. et Schwarzian. *sufficitque mandati;* Salisb. a m. sec. *mandari;* Patav. et ed. Beroaldi, *mandati.* Cod. Patav. *summa cum utilitate et laude condatur;* vox *summa* posteriore loco deest etiam in aliis quibusdam codd. et impressis libris; eam tamen confirmant codd. Vatt. Venett. 1. 2. Guelph. Exc. Voss. edd. Cuspin. Gryph. Sichard. Grut. Baun. et Arntz.

CAP. LXXXI. 1 *Quid si* cod. Patav. et Exc. Voss. *inter refectionis* Exc. Voss. *imitationem laboris* Schwarzian. Verba, *nisi lustrare saltus, excutere cubilibus feras* desunt in cod. Patav. sed eorum loco leguntur hæc duo, *nostræ*

NOTÆ

fuissent, tanquam infecta ex integro senatui proponendi.

[p] *Si quando*] Utrum Plinium hunc, ut et ejus avunculum, Epicuri de grege fuisse dicam? ita enim hujus sectæ hominibus videbatur, humanarum rerum curam Diis indignam esse. An potius ita locutum esse ut principi adularetur?

[q] *Tantum cœlo*] Tale illud poëtæ: 'Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.'

[r] *Dies .... condatur*] Id est, finiatur; ut Virg. Ecl. IX. 52. 'Totos cantando condere soles.' Horat. IV. Od. 5. 30. 'Condit quisque diem collibus in suis.'

[a] *Instar refectionis*] Jam Plinius cap. LXXVII. Trajanum dixit 'tam assiduum in tribunali fuisse, ut labore refici ac reparari videretur.'

[b] *Lustrare saltus*] A bonis animi

juga, et horrentibus scopulis gradum inferre, nullius manu,[c] nullius vestigio, adjutum; atque inter hæc pia mente adire lucos,[d] et occursare numinibus?[e] 2. Olim hæc experientia[f] juventutis, hæc voluptas erat; his artibus futuri duces imbuebantur: certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu; nec mediocre pacis decus habebatur, summota campis irruptio ferarum, et obsidione[g] quadam liberatus agrestium labor. 3. Usurpabant gloriam istam illi quoque principes,[h] qui obire non pote-

salutis. Idem codex mox habet, *scopulis gradum infigere.* Salisb. *nullius vestigio adjutus.*—2 Pro *experientia*, Lipsius conj. *experimenta.* Vatt. 1. 4. *his actibus futuri.* Guelph. *duces induebantur.*—3 Pro *qui obire non poterant* Behr.

NOTÆ

transit ad bona corporis, quæ etiam laudem habent in principe. Ac primum a venandi studio, quo delectabatur inprimis ipse Plinius, Trajanum commendat: hoc tamen nonnulli 'servile officium' putaverunt, decepti haud dubie Sallustii loco, ubi ait 'sibi consilium non esse socordia atque desidia bonum otium conterere, neque vero agrum colendo, aut venando, servilibus officiis, intentum agere.' Sed aut restituendum, cum Vincentio Castilioneo, 'servilibusve officiis;' vel 'servilia officia' dicuntur, quod perinde a servis, atque a viris nobilibus exerceri possint. Nam quod ad agriculturam spectat, nihil homine libero dignius esse testatur Cic. de Off. lib. II. ac pro Roscio Amerino: 'Multos,' inquit, 'nominatim proferre possum, ne longius abeam, vel tribules vel vicinos meos, qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos esse cupiunt.' Quod vero ad venationem pertinet, 'Romanis solenne viris opus' fuisse, et 'utile formæ,' tradit Horat. I. Epist. 6. 58. ac meminit cujusdam, qui, ut quantivis pretii videretur, 'mane plagas, venabula, servos, Differtum transire forum, populumque jubebat, Unus ut e multis populo spectante referret Emtum mulus aprum.' Tullius de Nat. Deor. lib. II. 'Suppeditant autem et campus noster, et studia venandi honesta exempla ludendi.' Et vero, si aut venatio aut agricultura turpe quiddam fuisset; qui poterat dubitare Sallustius, an ei exercitationi operam daret? Quanquam habet hæc exercitatio vitium, si nimia est; unde non immerito carpitur apud Dionem Hadrianus imperator, quod usque ad insaniam et vitæ periculum studio venationis teneretur.

[c] *Nullius manu*] Supple 'sustentantis;' *nullius vestigio*, supple 'præeuntis et iter signantis.'

[d] *Lucos*] Juxta veterum mentem sacros.

[e] *Numinibus*] Ut Faunis, Satyris, Dianæ, et aliis Diis, quos in sylvis habitare credebat antiquitas.

[f] *Olim hæc experientia*] Mavult Lipsius *hæc experimenta.* Vide Xenoph. Cyropæd. et de Venatione.

[g] *Obsidione*] Sententia est: Crebra et indefessa principis venatione rusticorum agri et labores liberati sunt a feris, a quibus antea quodammodo obsidebantur et vastabantur.

[h] *Illi quoque principes*] Domitianum puta, qui, ut ait Sueton. centenas interdum 'varii generis feras in

rant: usurpabant autem, ut domitas fractasque claustris feras, ac deinde in ipsorum quidem ludibrium[i] emissas, mentita sagacitate colligerent. Huic par capiendi quærendique sudor,[d] summusque et idem gratissimus labor, invenire. 4. Enimvero, si quando placuit idem corporis robur in maria proferre, non ille fluitantia vela, aut oculis sequitur, aut manibus;[e] sed nunc gubernaculis assidet; nunc cum valentissimo quoque sodalium[f] certat frangere fluctus, domitare ventos reluctantes, remisque transfretare[j] obstantia freta.

CAP. LXXXII. 1. Quantum dissimilis illi, qui non Albani lacus[k] otium,[g] Baianique torporem[l] et silentium,

[d] *Trajani æqualis et in capienda, et in quærenda præda labor.*
[e] *Ad maritima extendere, non ille vela undantia oculis observat tantum, aut nutu regit.*
[f] *Cum robustissimo quoque sociorum.*
[g] *Malaciam.*

legend. putat, *qui laborem gravabantur.* Cuspin. Cratand. Gryph. et Sichard. *usurp. autem ita;* quam particulam *ita* etiam H. Steph. in margine annotavit. Vox *autem* deest in cod. Salisb. *fractisque claustris feras* codd. Salisb. et Schwarzian. item edd. H. Steph. Gryph. an. 1531. Sichard. et Rivin. *fractasque clathris feras* Arntz. e cod. Guelph. Livineius conj. *ac deinde in ipsorum (quid ni?) ludibrium.* Guelph. habet *quid in;* Vat. 4. Paris. et Venet. 1. *quid ni.* Mox, *His par* omnes codd. ap. Schwarz. cum edd. Puteol. et Beroald. *Hic par* Rhenan. *Nunc par* Lips. Berneg. Hack. et Gesn. *Huic par* Catan. Ald. Philomus. Cratand. R. et H. Steph. Gryph. Ascens. Livin. et Arntz.—4 Livin. in marg. conj. *aut oculis s. aut navibus,* probantibus Lipsio, Rittersh. et Baud. Mox, *remisque transferre* omnes codd. ap. Schwarz. cum edd. Puteol. Beroald. Rhenan. Philomus. et Grut. *remisque transire* Lips. Berneg. Hack. Baun. Patarol. Cev. et Gesn. *remisque transfretare* Catan. Ald. Junt. R. H. et P. Steph. Gryph. Ascens. Sichard. Nav. Livin. Boxhorn. Cellar. Hearn. et Arntzen. *freta distantia* codd. Salisb. et Schwarzian.

CAP. LXXXII. 1 *Quantum d. ille* Salisb. a m. pr. 'In omnibus, quas consului, edd. antea legebatur, *Baianique torporem,* quod interpres quidam exponit, 'quia ventis non nimium turgere solebat.' Difficile est dicere, quomodo in tam pulchro corpore leviusculam maculam non deprehenderint editores, quam sustulerunt Voss. et Guelph. cùm rectius *teporem* dedere. Et sane Baiæ celeberrimæ fuerunt propter calidas et tepentes aquas, quæ delicatiores Romanos amœnitate sua et deliciis allicerent.' *Arntz.*

NOTÆ

Albano secessu conficiebat;' non quæsitas quidem illas longo labore aut sagacitate magna, sed e claustris et caveis, ubi eam ob rem conclusæ domitæque tenebantur, emissas.

[i] *In ipsorum quidem ludibrium*] Quod iis potius ludibrio, quam laudi erat.

[j] *Transfretare* [*transire*] Alii *transferre;* quod non ita probatur.

[k] *Albani lacus*] Lacus in nemore Albano, sub monte ejusdem nominis.

[l] *Baianique torporem*] Lacus propter Baias. Baiæ autem oppidum fuit Campaniæ, inter Puteolos et Cumas,

debat, præter miseros illos, qui primi interrogabantur? ceteri quidem defixi et attoniti ipsam illam mutam et sedentariam assentiendi necessitatem, quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore, perpetiebantur? 4. Unus solusque censebat, quod sequerentur omnes, et omnes improbarent, inprimis ipse, qui censuerat. Adeo nulla magis omnibus displicent, quam quæ sic fiunt, tanquam omnibus placeant. 5. Fortasse imperator in senatu ad reverentiam ejus componebatur;[a] ceterum egressus, statim se recipiebat in principem,[o] omniaque consularia officia abigere, negligere, contemnere, solebat. 6. Ille vero[e] ita consul, ut si tantum consul foret, nihil infra se putabat, nisi quod infra consulem esset. 7. Ac primum, ita domo progrediebatur, ut illum nullus apparatus arrogantiæ principalis, nullus præcursorum[f] tumultus, detineret. Una erat in limine mora, consultare aves,[g] revererique numinum monitus. 8. Nemo perturbabatur, nemo summovebatur: tanta viatoribus[h] quies,

[a] *Sese componebat, ut honorem haberet senatui.*
[o] *Tyrannicum fastum resumebat.*

miseros, qui primum Guelph. *mutam et edentariam* Venet. 1. *mutam et silentiariam* Salisb. Paulo post, *corporis horrore petebantur* ed. Puteol. *corporis h. perpetrabantur* cod. Patav.—4 In quibusdam codd. *tanquam omnibus pateant.*—5 *At fortasse imperator* Lips. *Fortasse imperium* Guelph. *statim se r. in imperatorem principem* Vatt. 2. 4. *officia abjicere* malnit Livin.—6 *Ille vero consul ita* cod. Patav. et Exc. Voss. '*Infra consulem*] Sic recte edidit Catanæus, quem plurimi secuti sunt. Codd. quos Schwarz. consuluit, et edd. antiquæ, *infra eos;* idemque servavit etiam Arntzen. Sed Livin. et Schw. indicarunt originem illius corruptelæ. Ex *cos.* facile fieri potuit *eos.*' Gierig. Vide Nott. Varr.—7 Cod. Patav. et Exc. Voss. *percussorum tumultus.* Vat. 4. et Guelph. *consalutare aves.* Pro *monitus,* cod. Patav. et Exc. Voss. habent *monita.*—8 Hæ duæ voces, *Nemo perturbabatur,* desunt in cod. Schwarz. *Nemo proturbabatur* Livin. in marg. ed. suæ, quam lect. receperunt Berneg.

NOTÆ

[e] *Ille vero*] Trajanus vero ita est consul, quasi idem præterea non esset imperator.

[f] *Præcursorum*] Præambulonum, et apparitorum, qui, ut viam præmunirent principi, turbam summovebant.

[g] *Consultare aves*] Quid ergo? utrum in domorum egressu auspicia semper captabantur? Certe quidem victor in limine palatii 'auguratorium ponit.' Forte ipse Trajanus hanc ab Hispanis consuetudinem hauserat, quos captandis auguriis deditissimos fuisse ait Lampridius in Alexandro.

[h] *Viatoribus*] Viatores proprie dicebantur, qui magistratus, si forte rus otiandi causa concesserant, in curiam accersebant. Videri in eam rem

tantus pudor fascibus, ut plerumque aliena turba subsistere et consulem et principem cogeret. 9. Ipsius quidem officium[i] tam modicum, tamque temperatum, ut antiquus aliquis magnusque consul sub bono principe incedere videretur.

CAP. LXXVII. 1. Iter illi sæpius in forum,[j] frequenter tamen et in campum.[k] Nam comitia consulum obibat ipse; et tantum ex renuntiatione eorum voluptatis, quantum prius ex destinatione,[l] capiebat. 2. Stabant candidati ante curulem[m] principis, ut ipse ante consulis steterat: adigebanturque in verba, in quæ paulo ante ipse juraverat princeps; qui tantum putat esse in jurejurando, ut illud et ab aliis exigat. 3. Reliqua pars diei tribunali dabatur.[p] Ibi vero quanta religio æquitatis! quanta legum reverentia! Adibat aliquis ut principem? respondebat, se consulem esse. 4. Nullius ab eo magistratus jus, nullius auctoritas imminuta est; aucta etiam: siquidem pleraque ad prætores[n]

[p] *Impendebatur juri dicundo.*

Hack. et Gesn.—9 *Ipsius q. officium modicum* codd. Paris. Salisb. Venet. 1. Patav. Exc. Voss. edd. Puteol. et Beroald. *tum temperatum* vulgg. *tamque temperatum* cod. Paris. *antiquus aliquis magnus consul* vulgg. ante Schwarz. *magnusque consul* codd. Vatt. Paris. Salisb. Guelph. et Venett. 1. 2. *intercedere videretur* codd. Vat. 1. Patav. Exc. Voss. edd. Puteol. Beroald. Philomus. et Rhenan.

CAP. LXXVII. 1 *Iter illi* codd. Paris. Salisb. Venett. 1. 2. Patav. et Exc. Voss. *ipse; tantum, &c.* edd. Lips. Grut. Parisienses, et Patarol. *quam prius* cod. Patav. et Exc. Voss.—2 H. Steph. Boxhorn. et Cellar. *ante consules steterat.*—3 Cod. Patav. et Exc. Voss. *credebat, se consulem esse.*—4 Codd. Vat. 4. Guelph. et Venet. 1. *magistratus vis.* Exc. Voss. *inmutata est.* Cod. Paris. *aucta vero;* Guelph. *aucta quidem; pleraque, &c.* Mox, *ad prætorem* codd.

NOTÆ

potest Tullius de Senectute, et Columella in Præf. lib. I. Sæpe tamen, uti hoc in loco, pro apparitoribus sumuntur, ut ex Tullii Orat. pro Cluentio patet. Apparitores autem ex eo videntur nomen invenisse, quod magistratui apparerent. Vid. Hotoman. in Cic.

[i] *Officium*] Id est, qui officii causa prosequebantur.

[j] *In forum*] Ut inibi jus diceret populis.

[k] *In campum*] Martium, ut comitiis consularibus interesset.

[l] *Destinatione*] Consul vocabat tribus in campum Martium. Tum princeps, quibus consulatum destinasset aperiebat. Illæ ferebant suffragia: describebantur qui electi erant. Demum consules renuntiabantur.

[m] *Curulem*] Supra cap. 56.

[n] *Ad prætores*] Primis temporibus

remittebat, atque ita, ut collegas vocaret: non quia populare[o] audientibus, sed quia ita sentiebat. 5. Tantum dignationis[p] in ipso honore ponebat, ut non amplius esse censeret, quod[q] aliquis collega appellaretur a principe, quam quod prætor esset. 6. Ad hoc tam assiduus in tribunali, ut labore refici ac reparari videretur. Quis nostrum idem curæ, idem sudoris, insumit? Quis adeo expetitis honoribus aut deservit, aut sufficit?[r] 7. Et sane æquum est, tantum ceteris præstare consulibus ipsum, qui consules facit: quippe etiam Fortunæ[q] videbatur indignum, si posset honores dare, qui gerere non posset. 8. Facturus consules doceat, accepturisque amplissimum honorem persuadeat,

[q] *Tantam dignitatem in ipsa prætura putabat esse, ut non existimaret majus quiddam esse quod, &c.*

[r] *Quis desideratæ dignitati ita vult aut potest se impendere?*

Vat. 4. et Guelph.—5 Cod. Patav. *non amplius cresceret.*—6 *Ad hæc* in quibusdam codd. ap. Schwarz. *Ad hoc* codd. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Guelph. Patav. et Exc. Voss. Mox, pro *insumit,* quod habent codd. Vatt. 4. Paris. et Venett. 1. 2. *sumit* exhibent vulgg. *insunt* Guelph. *insinuit* Salisb. et Schwarz. *insinuavit* Patav.—7 Codd. Vatt. 4. Venett. 1. 2. Guelph. Patav. et Exc. Voss. *fortuna videbatur.* Vox *fortunæ* deest in codd. Salisb. et Schwarzian. *Quippe etiam fortuna videbatur indignus, si posset honores dare, quos gerere non posset* cod. Paris.—8 *Facturus consules, consules esse doceat* conj. Schwarz. *accepturusque* quidam codd. ap. Schwarz. *accepturosque* Paris. et quædam edd.

NOTÆ

consules iidem erant, et prætores; sed anno U. C. 386. cum consules distinerentur bellis finitimis, neque in Urbe esset qui jus redderet; primum unus, tum et alter prætor creatus est: 'Urbanus' qui civibus; 'peregrinus' vero qui extra Urbem jus reddebat, dicebatur. Utrique sella erat curulis, utrique hasta et gladius pro insignibus: illa ad jurisdictionem, hic ad quæstionem significandam. Prætores consulum collegas appellat A. Gellius: 'quod,' inquit, 'eodem auspicio crearentur.' Plures subinde prætores fuere, sed de his alio loco.

[o] *Non quia populare*] Non ut id populi auctoribus daret, sed quod revera ita existimaret.

[p] *Dignationis*] Id est, dignitatis, quo sensu apud Tullium ad Attic. x. 10. 'de dignatione laborare,' et passim apud Velleium Paterculum: 'tantæ dignationis homines;' 'Dignatio Octavii;' 'Dignatione Brutus obruerat Vatinium:' et apud Suetonium in Vespasiano, 'nec sine magna dignatione Africam administravit.'

[q] *Etiam Fortunæ*] Sententia est: Non Diis modo, sed vel Fortunæ ipsi, etsi cæcæ honorum dispensatrici, indignum videbatur, magistratus ab eo conferri posse, qui eos gerere ipse non posset.

scire se, quid sit, quod daturus sit: sic fit, ut illi quoque sciant, quid acceperint.

CAP. LXXVIII. 1. Quo justius senatus, ut susciperes quartum consulatum, et rogavit, et jussit. Imperii hoc verbum, non adulationis esse, obsequio tuo [a] crede; quod non alia in re magis, aut senatus exigere a te, aut tu præstare senatui debes. 2. Ut enim ceterorum hominum, ita principum, illorum etiam, qui Dii sibi videntur, ævum omne et breve et fragile est. Itaque optimum quemque niti et contendere decet, ut post se quoque reipublicæ prosit, moderationis scilicet justitiæque monumentis, quæ prima statuere consul potest. 3. Hæc nempe intentio [b] tua, ut libertatem revoces, ac reducas. Quem ergo honorem magis amare,

Mox, *quod dabit* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venett. 1. 2. Paris. Guelph. Patav. et Exc. Voss. alii vero codd. et edd. omnes, *quod daturus sit.* Denique vox *fit* deest in ed. Nav. et Livin. *sic fiet* cod. Livin. cum edd. Cusp. Gryph. et Rhenan.

CAP. LXXVIII. 1 Cod. Patav. et Exc. Voss. *ut acciperes.* In codd. Salisb. et Schwarzian. omnia desunt ab initio hujus capitis usque ad hæc verba, *Hæc nempe intentio tua.* Mox, cod. Paris. *obsequio tuo credo.... exigeret a te.* Deinde, pronomen *tu* deest in quibusdam codd. et libris impressis.—2 Pro particula *etiam*, voc. *omnium* non paucos occupavit libros impressos; codd. vero Vatt. Venett. Paris. Salisb. Guelph. item edd. Cuspin. Lips. Grut. Parisienses, Berneg. Hack. Patarol. Cev. Arntz. Gesn. *illorum etiam;* et sic in margine edd. Gryph. Sichard. H. Steph. Livin. et Rivin. *illorum omnes* codd. Patav. et Voss. item edd. Puteol. Beroald. et Rhenan. Mox, pro voce *ævum*, quam primi promulgarunt Catan. Ald. Junt. Rhenan. et Philomus. omnes codd. et edd. antiq. habent *equum*, sive *æquum.* '*Quæ prima*] Nescio, annon ex compendio scribendi prognata sit vox *prima*, pro voce *plurima?* cum hæc vox integra ascripta sit primo Gudii libro; et cum in Philomusi editione excusum sit *pr̃ia;* nisi dixeris, *prima monumenta* hic dici, quasi primaria et præcipua: prout Plinius, in hoc ipso Paneg. cap. LXXXIII. 1. loquitur: 'Habet hoc primum (i. e. præcipuum) magna fortuna.' E Lipsii conjectura Cellarius et Hearn. receperunt verbum secundæ personæ, *potes;* cum tertia persona, *potest*, in omnibus ceteris libris extet. In nostro codice Ms. non legitur *intentio*, sed *inventio:* verum vox *intentio*, pro studio, cura, et animi contentione, Plinio, Plinianique ævi scriptoribus, non est infrequens. In Vossiano libro scriptum est *intentio tibi.* Sed nihil necesse esse puto, ut a vulgari lectione recedamus.' *Schwarz.*—3 Cod. Pa-

NOTÆ

[a] *Obsequio tuo*] Si enim adulationis verbum esse credes, recusabis consulatum: sin vero putabis esse imperium, tum pro tua singulari erga senatum observantia haud dubio obsequeris. Igitur imperii hoc verbum esse, ostende senatui obsequendo.

[b] *Hæc ... intentio*] Vox illa hoc sensu apud Pliniani ævi scriptores frequens, hujus exempla referre abstineo.

quod nomen usurpare sæpius, debes, quam quod primum invenit[c] recuperata libertas? 4. Non est minus[d] civile, et principem esse pariter, et consulem; quam tantum consulem. 5. Habes etiam rationem verecundiæ collegarum tuorum; collegarum, inquam: ita enim et ipse loqueris, et nos loqui vis. 6. Onerosa erit modestiæ illorum tertii consulatus sui recordatio, donec te consulem[e] videant. Neque enim potest non nimium esse privatis, quod principi satis est. 7. Annuas, Cæsar, optantibus, quibusque apud Deos adesse[f] consuesti, quorum potes ipse, votorum compotes facias!

CAP. LXXIX. 1. Fortasse sufficiat[g] tibi tertius consulatus; sed nobis tanto minus sufficit. Ille[h] nos instituit, et induxit, ut te iterum iterumque consulem habere cupia-

tav. et Exc. Voss. *intentio tibi;* cod. Schwarzian. *inventio tua.*—4 Exc. Voss. *te principem esse.*—5 *Habet* Venet. 1. *Habent* Salisb. et Schwarzian. *Habe* conj. Livin. et sic edidere Lips. Boxhorn. Berneg. Hack. Cellar. Patarol. Gesn. et Arntz.—6 *Onerosa erit m. eorum* codd. Salisb. et Patav. Mox, Livin. conj. *donec te consulem quartum.* Vide Nott. Varr.—7 *Adimas, Cæsar,* cod. Patav. et Exc. Voss. *apud D. esse* edd. ante Livin. et Lips. *consuevisti* Guelph. *quorum potes ipsorum* codd. Salisb. et Schwarzian. *quorum potes esse* cod. Patav. et Exc. Voss. *quorum potens es* Ald. Sichard. et Livin. *quorum potens es ipse* Gryph. an. 1542. R. et H. Steph. Boxhorn. Cellar. Hearn. et Gesn. Vide Nott. Varr.

CAP. LXXIX. 1 *Fortasse tibi sufficiet* cod. Vat. 4. *tibi* deest in quibusdam codd. et edd. ap. Schwarz. Mox, *iterumque* deest in codd. Vatt. 3. 4. et

NOTÆ

c *Primum invenit*] Post exactos reges et recuperatam libertatem creati sunt consules. Quare consulatus nomen fuit veluti primum recuperatæ libertatis signum.

d *Non est minus*] Quia si quid invidiosum habet principis nomen, illud totum popularis consulis nomine temperatur et corrigitur.

e *Te consulem*] *Quartum* inserit post Livineium Rittershusius.

f *Apud Deos adesse* [*esse*] Id est, quibus instar Dei huc usque fuisti. Alii legunt *adesse.* Sensus esset: Qui adesse nobis Deos precantibus soles, et quodcumque petimus pro nobis consequi, hoc jam concede, quod non ab iis, sed a te uno pendet.

g *Sufficiat*] Nimirum *tibi*, sed propter tuam illam verecundiam tanto minus nobis sufficit. Respexisse videtur ad illud Tullii pro Marc. c. 26. 'Satis, si ita vis, naturæ fortasse; addo etiam, si placet, gloriæ; at quod maximum est, patriæ certe parum vixisti.'

h *Ille*] Tertius ille consulatus tanta cum laude a te gestus nos impulit, &c.

mus. 2. Remissius istud contenderemus,[a] si adhuc non sciremus qualis esses futurus. Tolerabilius[i] fuit, experimentum tui nobis, quam usum, negari. 3. Dabiturne rursus videre consulem illum? Audiet,[j] reddet, quas proxime, voces; præstabitque gaudium, quantum ipse percipiet? Præsidebit lætitiæ publicæ, auctor ejus et causa? Tentabitque affectus nostros, ut solet, cohibere; nec poterit? 4. Pietati senatus cum modestia principis felix speciosumque certamen, seu fuerit victa, seu vicerit. Equidem incognitam quandam, proximaque majorem præsumo lætitiam. Quis enim est tam imbecilli ingenio, qui non tanto meliorem consulem speret, quanto sæpius fuerit? 5. Alius labores, si non continuo se desidiæ ac voluptati dedisset, otio tamen et quiete recreasset: hic, consularibus curis exsolutus, principales resumsit; tam diligens temperamenti, ut nec consulis officium princeps; nec principis consul, appeteret.[b] 6. Videmus, ut provinciarum desideriis, ut singularum etiam civitatum precibus, occurrat. Nulla in audien-

[a] *Minus acriter id postularemus.*

[b] *Hic, consulis cura deposita, principis officium resumebat, servata moderatione ea, ut nec princeps ageret consulis officium, nec principis partes consul.*

Guelph.—2 *Remissus illud* codd. Vat. 4. et Guelph. et quædam edd. *experimentum tui, quam visum, negari* Vat. 4. *nobis* deest etiam in Guelph.—3 *Audiet et reddet* edd. H. Steph. Elz. Boxhorn. Rivin. Cellar. Hearn. Cev. et Gesn. *Tractabitque affectus* Guelph. *Tentabitque effectus* Vat. 4.—4 *Pietatis* cod. Patav. et Exc. Voss. *Erit pietati* conj. Lips. *proximamque* cod. Schwarzian. et ed. H. Steph. et sic cod. Salisb. a m. pr. *tam indocili* cod. Patav. et Exc. Voss. *tam modicello* Vat. 4. et Guelph. *tam modicilli ingenii* codd. Paris. Salisb. Venett. 1. 2. et Schwarzian. *tam modicillo ingenio* in aliis. Codex Schwarzii habet, *meliorem consulem præbet;* unde ille conj. *præstet.*—5 Vat. 4. et Guelph. *Alios labores si non continuos desidiæ ac voluptati dedisset;* cod. Paris. *Alius si labores non continuos, &c.* Venet. 1. *Alius sibi non continuos labores;* Venet. 2. Salisb. Schwarzian. et Patav. *Alius labores si non continuos desidiæ, &c.* Junt. *Alius labores, si non continuose desidiæ ac voluptati dedisset.* Vide Nott. Varr. Mox, *curis* deest in codd. Salisb. et Schwarzian. *exsolutis* iidem codd. item Vat. 4. et Patav. *curis exsolutus* Salisb. a m. sec. —6 Multi codd. et edd. *etiam civitatis præsidiis.* Vide Nott. Varr.

NOTÆ

[i] *Tolerabilius*] Minus molestum fuisset, si te non habuissemus consulem, quam si singularem tuam sapientiam semel atque iterum experti, amplius te uti non possemus.

[j] *Audiet*] An erit adhuc ut nostras acclamationes audiat bonus princeps, et quas vicissim pro populo proxime

do[k] difficultas, nulla in respondendo mora: adeunt statim; dimittuntur statim; tandemque principis fores exclusa legationum turba non obsidet.

CAP. LXXX. 1. Quid? in omnibus cognitionibus, quam mitis severitas, quam non dissoluta clementia! Non locupletando[l] fisco sedes, nec aliud tibi sententiæ tuæ pretium, quam bene judicasse.[m] 2. Stant ante te litigatores, non de fortunis suis, sed de tua existimatione, soliciti; nec tam verentur, quid de causa sua, quam quid de moribus, sentias. 3. O vere principis, atque etiam consulis,[n] reconciliare æmulas civitates, tumentesque populos non imperio magis, quam ratione, compescere! 4. Intercedere iniquitatibus magistratuum,[o] infectumque reddere, quicquid fieri non oportuerit; postremo, velocissimi sideris more, omnia invisere, omnia audire, et undecumque invocatum statim, velut numen, adesse et assistere. 5. Talia esse

CAP. LXXX. 1 *Quid in omnibus conditionibus* codd. Salisb. et Schwarzian. *Quod in o. excogitationibus* edd. Cuspin. Junt. Rhenan. Philomus. Cratand. R. et H. Steph. Ascens. Nav. Gryph. an. 1531. Sichard. Livin. Elz. et Rivin. *Non l. fisco studes* conj. Baud. *tibi s. tuæ præcipuum* edd. Catan. Paul. Steph. et Chouet. *tuæ* deest in Salisb. et Schwarzian. *bene vindicasse* in iisdem codd. —2 Codd. Salisb. et Schwarzian. *de fortunis suis non solum*. Vat. 4. *tua æstimatione;* cod. Patav. et Exc. Voss. *tua extimatione;* Salisb. et Schwarzian. *tui existimatione;* P. Faber in ed. Paris. 1643. conj. *sed de sua existimatione soliciti;* quam lect. admisere Boxhorn. Kirchm. et Minel. *de moribus sententies* codd. Vatt. Paris. Venet. 1. Patav. et Exc. Voss.—3 *O veri* Ascens. Gryph. an. 1542. H. Steph. Rivin. et Hearn. Pro voce *consulis*, legitur *decoris* in omnibus codd. ap. Schwarz. item in edd. Puteol. Beroald. Rhenan. et Philomus. Vide Nott. Varr. *conciliare æmulas* Vat. 4. *timentesque populos* codd. Venett. 1. 2. Salisb. Schwarzian. Patav. et Exc. Voss. item edd. Puteol. et Ald.—4 Gesn. conj. *non oportuerat*. Mox, quædam edd. *veluti numen;* al. *numen velut;* in codd. Vat. 4. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Patav. et Schwarzian. desideratur vox *numen*.—5 *Alia etiam crediderim* Guelph. et

NOTÆ

emisit precationes reddat?

[k] *In audiendo*] In audiendis populorum querelis.

[l] *Non locupletando*] Id est, non sedes pro tribunali, ut fiscum ex damnatorum bonis augeas, ac locupletes.

[m] *Quam bene judicasse*] Notum illud Seneca Ep. LXXXI. 'Recte fecisse facti merces est.'

[n] *Consulis*] Supple officium.

[o] *Iniquitatibus magistratuum*] Ut Marii Prisci Africæ proconsulis, de quo supra cap. LXXVI. Classici Bæticæ proconsulis, de quo Plinius Ep. III. 9. et Julii Bassi Bithyniæ proconsulis, cujus acta fisco utilia quidem, sed iniqua rescindi jussit: data omnibus potestate quæcumque ab eo decreta

crediderim, quæ ipse mundi parens temperat nutu, si quando [p] oculos demisit in terras, et *fata* mortalium inter divina opera numerare dignatus est. 6. *Qua* nunc *parte curarum* liber solutusque, tantum cœlo [q] vacat, postquam te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungereris. Fungeris enim, sufficisque mandanti; cum tibi dies omnis, summa cum utilitate nostra, summa cum tua laude, condatur.[r]

CAP. LXXXI. 1. Quod si quando cum influentibus negotiis paria fecisti; instar refectionis [a] existimas [c] mutationem laboris. Quæ enim remissio tibi, nisi lustrare saltus,[b] excutere cubilibus feras, superare immensa montium

[c] *Quod si aliquando confluentibus negotiis satisfecisti, recreationis loco habes, &c.*

Vat. 4. *et facta mortalium* edd. ante Schwarz. *et fata mortalium* Vat. 4. Venet. 2. Salisb. Guelph. Patav. Schwarzian. et Exc. Voss. Vide Nott. Varr.—6 Vulgo ante Schwarz. *Quibus nunc per te liber solutusque;* codd. Livin. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Patav. Schwarzian. et Exc. Voss. *Qua nunc parte liber solutusque;* quam lect. recepit Arntz. *Qua nunc per te* Puteol. Beroald. et Rhenan. Hic in margine annotavit legendum, *quæ cura.* Liber Gudii in margine habet, *Qua nunc per te cura liber;* quam scripturam Scaliger quoque in libro suo annotavit. Cuspinianus edidit, *Qui nunc per te curarum liber solutusque.* Vide Nott. Varr. Mox, *cœlo tantum* edd. vett. *liber solutusque tanto vacat* Salisb. et Schwarzian. omissa voce *cœlo.* Deinde codd. Paris. *postquam te terris dedit.* Ed. Hack. *vice versa fungereris;* quidam cod. *vice sua fungeris.* In cod. Patav. deest *fungereris.* Codd. Salisb. et Schwarzian. *sufficitque mandati;* Salisb. a m. sec. *mandari;* Patav. et ed. Beroaldi, *mandati.* Cod. Patav. *summa cum utilitate et laude condatur;* vox *summa* posteriore loco deest etiam in aliis quibusdam codd. et impressis libris; eam tamen confirmant codd. Vatt. Venett. 1. 2. Guelph. Exc. Voss. edd. Cuspin. Gryph. Sichard. Grut. Baun. et Arntz.

CAP. LXXXI. 1 *Quid si* cod. Patav. et Exc. Voss. *inter refectionis* Exc. Voss. *imitationem laboris* Schwarzian. Verba, *nisi lustrare saltus, excutere cubilibus feras* desunt in cod. Patav. sed eorum loco leguntur hæc duo, *nostræ*

NOTÆ

fuissent, tanquam infecta ex integro senatui proponendi.

[p] *Si quando*] Utrum Plinium hunc, ut et ejus avunculum, Epicuri de grege fuisse dicam? ita enim hujus sectæ hominibus videbatur, humanarum rerum curam Diis indignam esse. An potius ita locutum esse ut principi adularetur?

[q] *Tantum cœlo*] Tale illud poëtæ: 'Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.'

[r] *Dies .... condatur*] Id est, finiatur; ut Virg. Ecl. IX. 52. 'Totos cantando condere soles.' Horat. IV. Od. 5. 30. 'Condit quisque diem collibus in suis.'

[a] *Instar refectionis*] Jam Plinius cap. LXXVII. Trajanum dixit 'tam assiduum in tribunali fuisse, ut labore refici ac reparari videretur.'

[b] *Lustrare saltus*] A bonis animi

juga, et horrentibus scopulis gradum inferre, nullius manu,[c] nullius vestigio, adjutum; atque inter hæc pia mente adire lucos,[d] et occursare numinibus?[e] 2. Olim hæc experientia[f] juventutis, hæc voluptas erat; his artibus futuri duces imbuebantur: certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu; nec mediocre pacis decus habebatur, summota campis irruptio ferarum, et obsidione[g] quadam liberatus agrestium labor. 3. Usurpabant gloriam istam illi quoque principes,[h] qui obire non pote-

salutis. Idem codex mox habet, *scopulis gradum infigere.* Salisb. *nullius vestigio adjutus.*—2 Pro *experientia*, Lipsius conj. *experimenta.* Vatt. 1. 4. *his actibus futuri.* Guelph. *duces induebantur.*—3 Pro *qui obire non poterant* Behr.

NOTÆ

transit ad bona corporis, quæ etiam laudem habent in principe. Ac primum a venandi studio, quo delectabatur inprimis ipse Plinius, Trajanum commendat: hoc tamen nonnulli 'servile officium' putaverunt, decepti haud dubie Sallustii loco, ubi ait 'sibi consilium non esse socordia atque desidia bonum otium conterere, neque vero agrum colendo, aut venando, servilibus officiis, intentum agere.' Sed aut restituendum, cum Vincentio Castilioneo, 'servilibusve officiis;' vel 'servilia officia' dicuntur, quod perinde a servis, atque a viris nobilibus exerceri possint. Nam quod ad agriculturam spectat, nihil homine libero dignius esse testatur Cic. de Off. lib. II. ac pro Roscio Amerino: 'Multos,' inquit, 'nominatim proferre possum, ne longius abeam, vel tribules vel vicinos meos, qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos esse cupiunt.' Quod vero ad venationem pertinet, 'Romanis solenne viris opus' fuisse, et 'utile formæ,' tradit Horat. I. Epist. 6. 58. ac meminit cujusdam, qui, ut quantivis pretii videretur, 'mane plagas, venabula, servos, Differtum transire forum, populumque jubebat, Unus ut e multis populo spectante referret Emtum mulus aprum.' Tullius de Nat. Deor. lib. II. 'Suppeditant autem et campus noster, et studia venandi honesta exempla ludendi.' Et vero, si aut venatio aut agricultura turpe quiddam fuisset; qui poterat dubitare Sallustius, an ei exercitationi operam daret? Quanquam habet hæc exercitatio vitium, si nimia est; unde non immerito carpitur apud Dionem Hadrianus imperator, quod usque ad insaniam et vitæ periculum studio venationis teneretur.

[c] *Nullius manu*] Supple 'sustentantis;' *nullius vestigio*, supple 'præeuntis et iter signantis.'

[d] *Lucos*] Juxta veterum mentem sacros.

[e] *Numinibus*] Ut Faunis, Satyris, Dianæ, et aliis Diis, quos in sylvis habitare credebat antiquitas.

[f] *Olim hæc experientia*] Mavult Lipsius *hæc experimenta.* Vide Xenoph. Cyropæd. et de Venatione.

[g] *Obsidione*] Sententia est: Crebra et indefessa principis venatione rusticorum agri et labores liberati sunt a feris, a quibus antea quodammodo obsidebantur et vastabantur.

[h] *Illi quoque principes*] Domitianum puta, qui, ut ait Sueton. centenas interdum 'varii generis feras in

rant: usurpabant autem, ut domitas fractasque claustris feras, ac deinde in ipsorum quidem ludibrium [i] emissas, mentita sagacitate colligerent. Huic par capiendi quærendique sudor,[d] summusque et idem gratissimus labor, invenire. 4. Enimvero, si quando placuit idem corporis robur in maria proferre, non ille fluitantia vela, aut oculis sequitur, aut manibus;[e] sed nunc gubernaculis assidet; nunc cum valentissimo quoque sodalium[f] certat frangere fluctus, domitare ventos reluctantes, remisque transfretare[j] obstantia freta.

CAP. LXXXII. 1. Quantum dissimilis illi, qui non Albani lacus[k] otium,[g] Baianique torporem [l] et silentium,

[d] *Trajani æqualis et in capienda, et in quærenda præda labor.*
[e] *Ad maritima extendere, non ille vela undantia oculis observat tantum, aut nutu regit.*
[f] *Cum robustissimo quoque sociorum.*
[g] *Malaciam.*

legend. putat, *qui laborem gravabantur.* Cuspin. Cratand. Gryph. et Sichard. *usurp. autem ita;* quam particulam *ita* etiam H. Steph. in margine annotavit. Vox *autem* deest in cod. Salisb. *fractisque claustris feras* codd. Salisb. et Schwarzian. item edd. H. Steph. Gryph. an. 1531. Sichard. et Rivin. *fractasque clathris feras* Arntz. e cod. Guelph. Livineius conj. *ac deinde in ipsorum (quid ni?) ludibrium.* Guelph. habet *quid in;* Vat. 4. Paris. et Venet. 1. *quid ni.* Mox, *His par* omnes codd. ap. Schwarz. cum edd. Puteol. et Beroald. *Hic par* Rhenan. *Nunc par* Lips. Berneg. Hack. et Gesn. *Huic par* Catan. Ald. Philomus. Cratand. R. et H. Steph. Gryph. Ascens. Livin. et Arntz.—4 Livin. in marg. conj. *aut oculis s. aut navibus,* probantibus Lipsio, Rittersh. et Baud. Mox, *remisque transferre* omnes codd. ap. Schwarz. cum edd. Puteol. Beroald. Rhenan. Philomus. et Grut. *remisque transire* Lips. Berneg. Hack. Baun. Patarol. Cev. et Gesn. *remisque transfretare* Catan. Ald. Junt. R. H. et P. Steph. Gryph. Ascens. Sichard. Nav. Livin. Boxhorn. Cellar. Hearn. et Arntzen. *freta distantia* codd. Salisb. et Schwarzian.

CAP. LXXXII. 1 *Quantum d. ille* Salisb. a m. pr. 'In omnibus, quas consului, edd. antea legebatur, *Baianique torporem,* quod interpres quidam exponit, 'quia ventis non nimium turgere solebat.' Difficile est dicere, quomodo in tam pulchro corpore leviusculam maculam non deprehenderint editores, quam sustulerunt Voss. et Guelph. cum rectius *teporem* dedere. Et sane Baiæ celeberrimæ fuerunt propter calidas et tepentes aquas, quæ delicatiores Romanos amœnitate sua et deliciis allicerent.' *Arntz.*

NOTÆ

Albano secessu conficiebat;' non quæsitas quidem illas longo labore aut sagacitate magna, sed e claustris et caveis, ubi eam ob rem conclusæ domitæque tenebantur, emissas.

[i] *In ipsorum quidem ludibrium*] Quod iis potius ludibrio, quam laudi erat.

[j] *Transfretare* [*transire*] Alii *transferre;* quod non ita probatur.

[k] *Albani lacus*] Lacus in nemore Albano, sub monte ejusdem nominis.

[l] *Baianique torporem*] Lacus propter Baias. Baiæ autem oppidum fuit Campaniæ, inter Puteolos et Cumas,

ferre, non pulsum saltem fragoremque remorum perpeti, poterat, quin ad singulos ictus turpi formidine horresceret! 2. Itaque procul ab omni sono inconcussus ipse et immotus, religato revinctoque navigio, non secus ac piaculum[m] aliquod trahebatur. 3. Fœda facies:[h] cum populi Romani imperator alienum cursum, alienumque rectorem, velut capta nave, sequeretur! Nec deformitate ista saltem flumina carebant atque amnes. 4. Danubius ac Rhenus[n] tantum illud nostri dedecoris[i] vehere gaudebant, non minore cum pudore imperii, quod hæc Romanæ aquilæ, Romana signa, Romana denique ripa,[o] quam quod hostium,[p] prospectarent. 5. Hostium, quibus moris est, eadem illa nunc rigentia gelu flumina, aut campis superfusa; nunc

[h] *Turpe spectaculum.*
[i] *Tantum illud probrum nostrum.*

Vide Nott. Varr. *fragoremque nemorum* cod. Patav.—2 *Ipse etiam motus religatore vinctoque navigio* codd. Vat. 4. Venett. 1. 2. Paris. Salisb. Patav. Schwarzian. et Exc. Voss. *ab omni sono concussus ipse et motus* Guelph.—3 Cod. Venet. 2. *cum p. r.* (sic) *nuper alienum;* Salisb. *cum populi Romani nuper alienum;* ed. Londin. an. 1716. *cum populi Romani Imperii;* cod. Patav. et Exc. Voss. *cum Princeps Imperii,* quæ scriptura non displicet Schwarzio. *velut captus nave* cod. Schwarzian. et Salisb. a m. pr. *atque etiam Danubius* omnes codd. ap. Schwarz. *atque omne Danubius* Exc. Voss.—4 Cod. Patav. et Exc. Voss. *tamen illud nostri dedecoris;* codex Livineii, *dedecus;* unde ille, pro *nostri,* conj. *monstri.* Mox, Vat. 4. et Gud. 2. *hostium exercitus prospectaret;* codd. Paris. Patav. et Venett. 1. 2. etiam *prospectaret.* Vide Nott. Varr.—5 Plurimi codd. ap. Schwarz. *quibus moris est,* ut in vulgg. Salisb. vero et Schwarzian. parva lacuna relicta, habent, *quam quod hostium prospecta* *quibus mos est.* Nonnulli codd. cum plurimis im-

NOTÆ

a Baio Ulyssis socio ita dictum: locus propter aëris et tepentium aquarum salubritatem amœnissimus, idemque ædificiis et Romanorum eo confluentium frequentia celebratissimus. Horat. I. Epist. 17. 'Nullus in orbe sinus Baiis prælucet amœnis.'

[m] *Non secus ac piaculum*] Ut piacularis victima. Vide supra cap. XXXIV.

[n] *Danubius ac Rhenus*] Plinius hoc loco tangit Trajani expeditiones in Getas et Sarmatas, de quibus extat elegans Martialis epigramma, IX. 102. 'Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri, Sudantem Getica ter nive lavit equum.' De Danubio vero Germaniæ fluvio supra cap. XII. De Rheno fluvio etiam supra cap. XIV.

[o] *Romana . . . rip.*] Id est, a Romano exercitu insessa.

[p] *Quam quod hostium*] Quam quod Germani e ripa sua probrum illud nostrum prospectarunt.

liquida ac deferentia, lustrare navigiis,[k] nandoque superare. 6. Nec vero laudaverim per se magnopere duritiam corporis ac lacertorum; sed si his validior toto corpore animus imperitet, quem non fortunæ *indulgentia molliat*, non copiæ principales ad segnitiem luxumque detorqueant; tunc ego, seu montibus, seu mari, exerceatur, et lætum opere corpus, et crescentia laboribus membra, mirabor. 7. Video enim jam inde antiquitus maritos Dearum,[q] ac Deorum liberos,[r] nec dignitate nuptiarum[l] magis, quam his artibus, inclaruisse. 8. Simul cogito, cum sint ista ludus et avocamentum hujus, quæ quantæque sint illæ seriæ et intentæ, et a quibus se in tale otium recipit, voluptates. Sunt enim voluptates, quibus optime de cujusque gravitate, sanctitate, temperantia, creditur. 9. Nam quis adeo dis-

[k] *Vel exundantia in agros, qui inde sic liquidi fiunt, et apti ad deferendas naves.*
[l] *Conjugum.*

pressis, *aut campis superflua;* codd. vero Vatt. Paris. Venet. 2. Salisb. Guelph. et Schwarzian. habent *superfusa.* Catan. *limpida ac deserentia;* codd. Salisb. Patav. et Exc. Voss. *liquida ac differentia;* edd. Elz. Boxhorn. et Hearn. habent etiam *deserentia;* Lips. conj. *defervenlia.* 'In vulgata apud Plin. scriptura verbum requiro, quod ad *rigentia gelu flumina* referri potest; unde sola mutata distinctione, quod mollissimum medendi genus, legerem, *lustrare, navigiis nandoque superare.*' Arntz. Pro *nandoque,* Puteol. habet *quandoque;* Salisb. *qnq3,* ita tamen, ut in margine ab alia manu rescriptum sit *nando.*—6 *Nec v. l. p. se magno opere* Ald. Junt. Nav. et Arntz. *duritiem* quædam edd. vett. *duritiam* codd. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Patav. Exc. Voss. edd. Puteol. Ald. Cuspin. Rhenan. Philomus. Cratander, R. Steph. Livin. Grut. Bann. et Arntz. *animus imperaret* edd. Ascens. Elz. Boxhorn. Cellar. et Hearn. Mox omnes impressi ante Schwarz. *fortunæ indulgentia molliant.* Vide Nott. Varr.—7 Omnes fere codd. ap. Schwarz. *ac Deum.* '*Nec dignitate nuptiarum*] Aut deest alterum membrum, *nec natalibus, nec nupt. dig.* vel simile quiddam, aut *non* pro *nec* equidem reponam.' *Livin.* 'Pars membri altera deest, *et natalium;* ac pluscula hic observo hiulca aut fœdata.' *Lips.* Vide Nott. Varr.—8 Hæ voces, *quæ quantæque sint,* desunt in omnibus codd. et edd. ante Cuspin.—9 *Jam quis* edd. Puteol. Beroald. Catan. Cusp. et al. *Nam quis* omnes codd. ap. Schwarz. Mox, *severitas insidat* codd. Paris. Venett. 1. 2. Patav. Exc. Voss. edd. Puteol. Catan. Rhenan. Philomus. Lips. et Grut. in ed. Francof. an. 1607. *s. incidat* H. Steph. an. 1591. Elz. an. 1640. Boxhorn. Kirchm. Cellar. Patarol. et Gesn. *s. insideat* codd. Vatt. Salisb. et Guelph. item edd. Beroald. et Arntz. *s. insi-*

NOTÆ

[q] *Maritos Dearum*] Ut Peleus, cui fortitudinis laus Thetidis nuptias conciliavit. Sic Hippolytus propter venandi peritiam Dianæ acceptus fuit, &c.

[r] *Deorum liberos*] Ut Theseum, Castorem et Pollucem, &c.

solutus, cujus non occupationibus aliqua species severitatis insideat? Otio prodimur. An non plerique principes hoc idem tempus in aleam, stupra, luxum, conferebant? cum seriarum laxamenta curarum vitiorum contentione supplerent.

Cap. lxxxiii. 1. Habet hoc primum[a] magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur: principum vero non modo domos, sed cubicula ipsa, intimosque secessus recludit, omniaque arcana noscenda famæ proponit, atque explicat. Sed tibi, Cæsar, nihil accommodatius fuerit ad gloriam, quam penitus inspici. 2. Sunt quidem præclara, quæ in publicum profers; sed non minora ea, quæ limine tenes.[m] Est magnificum, quod te ab omni contagione vitiorum reprimis ac revocas; sed magnificentius, quod tuos. 3. Quanto enim magis arduum est, alios præstare,[n] quam se, tanto laudabilius, quod, cum

[m] *Quæ domi agis.* [n] *Bonos efficere.*

diatus Schwarzian. Gesnero hic neque *incidat*, quod tamen prodidit, Cellarium secutus, neque *insideat*, satisfecit; sed placet e conjectura, *species securitatis insit? An otio prodimur?* Codd. Paris. Venett. 1. 2. Patav. et Exc. Voss. *At non plerique;* Salisb. et Schwarzian. *At vero plerique.*

Cap. lxxxiii. 1 *Habet hoc privum*, vel *proprium*, conj. Rittersh. *non modo domus* in quibusdam codd. et edd. vett. *non v. domum, sed cubilia* cod. Schwarzian. *cubilia* etiam edd. Patav. '*Secessus*] Pro ea voce *recessus* scripsimus cum Guelph. Barthio ad Statium et Claud. p. 636. et Cel. Perizonio, qui ita in margine conjecerat: et additum verbum *recludit*, et epitheton *intimos* illud requirit. *Recessus* enim erant loca abdita et occulta, in quibus sese abscondebant, et hominum usui eripiebant. Confer Burm. ad Ovid. Met. i. 177. hinc 'latebræ' et 'recessus' conjunguntur apud Plin. Epist. iii. 3. 'Vita hominum altos recessus, magnasque latebras habet.' In notis illic similem locum ex Cicerone affert Catanæus. Contra *secessus* minus bene dicerentur *intimi* et *recludi*, cum proprie loca amœna essent, in quibus animi causa per otium tempus agerent. Vide ad Aurel. Vict. Cæs. cap. xvi. Neque aliter hæc duo distinguit Juretus ad Symmach. Epist. ii. 1.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—2 Cod. Patav. *non minora, quæ*, omisso pronomine *ea*. Pro *contagione*, Gud. 2. et Exc. Scal. cum edd. Beroald. habent *cogitatione;* Catan. Ascens. et Chonet. *cognatione;* codd. Schwarzii, edd. Ald. Cuspin. et recentt. *contagione.*—3 Cod. Salisb. *tanto laudabilius,*

NOTÆ

[a] *Hoc primum*] Alii *privum* legunt, alii *proprium*, id est, singulare et præcipuum. In hanc sententiam Juvenal. Sat. viii. 140. 'Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.' Idem Sat. ix. 102. 'Secretum divitis ullum Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur.'

ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti. 4. Multis illustribus dedecori fuit, aut inconsultius [b] uxor assumta, aut retenta patientius: [c] ita foris claros domestica destruebat infamia; [o] et, ne maximi cives haberentur, hoc efficiebat, quod mariti minores [d] erant. 5. Tibi uxor [e] in decus et gloriam cedit. Quid enim illa sanctius, quid antiquius? [f] Nonne, si pontifici maximo [g] eligenda sit conjux, aut hanc, aut similem, (ubi est autem similis?) elegerit? 6. Quam illa nihil sibi ex fortuna tua, nisi gaudium, [h] vindicat! Quam constanter non potentiam tuam, sed ipsum te, reveretur! Idem estis [i] invicem, quod fuistis; *probati* ex æquo; nihilque vobis felicitas addidit, nisi quod scire cœpistis, quam bene uterque vestrum felicitatem ferat. 7. Eadem, quam modica cultu! quam parca comitatu! quam civilis incessu! [p] Mariti hoc opus, qui ita imbuit,

[o] *Uxor infamis denigrabat.*

[p] *Quam modeste incedit!*

cum ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisse; quæ scriptura non displicet Schwarzio.—4 Codd. Salisb. et Schwarzian. *domestica disturbabat infamia.* Iidem codd. *id efficiebat.*—5 Pro *eligenda sit*, quam lect. exhibent omnes codd. ap. Schwarz. *deligenda sit* produnt non paucæ edd. Mox, in quibusdam edd. *ubi autem est.*—6 Vulgg. ante Schwarz. *probatis ex æquo;* codd. Vat. 4. et Guelph. *probastis ex æquo;* cod. Patav. *probatis, ex quo nihil, quod nobis felicitas addidit;* Behrius conj. *probati inter vos ex æquo.* Vide Nott. Varr. Mox, codd. Patav. *scire potestis;* non male, ut opinatur Schwarzius.—7 Cod. Patav. *quam civilis in secessu.* Mox, Exc. Voss. *qui ita instruit;* ed. Kirchm. *qui ita incubuit.* Cod. Patav. et Ald. an. 1518. *sufficit*

NOTÆ

[b] *Inconsultius*] Haud satis exploratis ejus moribus.

[c] *Retenta patientius*] Cognitis ejus stupris. Ut Domitianus Domitiam Longinam tulit.

[d] *Mariti minores*] Id est, infelici matrimonio juncti, ideoque felicioribus maritis *minores*, ut Cataneo placet: vel uxoribus *minores*, quod iis serviliter obsequantur.

[e] *Uxor*] Plotina, de qua plura. Vide in Vita Trajani huic Panegyrico præfixa.

[f] *Quid antiquius*] An ulla alia est, quæ castas et nobiles priorum temporum matronas, morum sanctitate melius referat?

[g] *Pontifici maximo*] De pontifice maximo dixi cap. LXIV.

[h] *Nisi gaudium*] Neque enim, ut ceterarum mulierum ingenium est, eam ob rem intumescit, quod auctus sis imperio; nec tam sua causa gaudet, quam tua.

[i] *Idem estis*] Iidem estis in imperatoria dignitate, qui olim in privata fortuna. Unde inferri potest Trajanum duxisse Plotinam, antequam imperator fieret.

ita instituit: nam uxori sufficit obsequii gloria. 8. An, cum videat, quam te nullus terror,[j] nulla comitetur ambitio; non et ipsa cum silentio incedat, ingredientemque pedibus maritum, in quantum patitur sexus, imitetur? 9. Decuerit hoc illam,[k] etiam si diversa tu facias. Sub hac vero modestia viri, quantam debet verecundiam uxor marito, fœmina sibi?

CAP. LXXXIV. 1. Soror autem tua,[l] ut se sororem esse meminit! Ut in illa tua simplicitas, tua veritas, tuus candor, agnoscitur! Ut, si quis eam uxori tuæ conferat, dubitare cogatur, utrum sit efficacius ad recte vivendum bene institui,[m] *an* feliciter nasci.[n] 2. Nihil est tam pronum ad simultates,[q] quam æmulatio, in fœminis præsertim. Ea porro maxime nascitur ex conjunctione, alitur æqualitate, exardescit invidia, cujus finis est odium. 3. Quo quidem admirabilius existimandum est, quod mulieribus duabus in una domo, parique fortuna, nullum certamen, nulla conten-

[q] *Proclive ad inimicitias.*

obsequi.—8 *An cum videant te, quem nullus terror* cod. Patav. et Exc. Voss.—9 *Decuerat* cod. Patav. et Exc. Voss.

CAP. LXXXIV. 1 In codd. Salisb. et Schwarzian. ob pronomen *tua* bis occurrens, omissa sunt sequentia verba: *ut se sororem esse meminit! Ut in illa tua.* Paulo post, omnes edd. ante Schwarz. *aut feliciter;* solus Vat. 4. *an feliciter.*—2 *Nihil est tam primum* cod. Patav. et Exc. Voss. Mox, adverbium *maxime* omissum est in codd. Guelph. Salisb. Schwarzian. et Vat. 4. in ceteris tribus Vatt. aliisque extat, et in Salisb. a m. sec. Deinde, codd. Vat. 4. Paris. Salisb. Venet. 2. Schwarzian. Patav. et Exc. Voss. *et ardescit invidia;* Venet. 1. Gryph. an. 1531. et Sichard. *ardescit invidia.*—3 In quibusdam li-

NOTÆ

[j] *Nullus terror*] Nulli satellites, nullus alius, aut ad terrorem populis incutiendum, aut ad inanem ostentationem, apparatus.

[k] *Decuerit hoc illam*] Illam deceat hæc agendi ratio, vel si alio modo te geras: nunc vero cum te conjugem habeat tam modestum, quam verecunda esse debet, ut et marito et sexui suo satisfaciat!

[l] *Soror autem tua*] Marciana, cujus filia Matidia, mater Sabinæ Hadriani imp. uxoris, ante sextum Trajani consulatum extincta, atque, ut ex fornice Anconitano liquet, consecrata.

[m] *Bene institui*] Ut Plotina, quæ Trajano adolescenti nupta, diu instituta fuit domesticis ejus virtutibus.

[n] *Feliciter nasci*] Ut Marciana ejus soror, quæ in eadem nata est domo atque Trajanus. Fuit agitata quæstio a Quintiliano XI. 19. et a Tullio

tio est. 4. Suspiciunt invicem,[q] invicem cedunt; cumque te utraque effusissime diligat, nihil sua putant interesse, utram tu magis ames. Idem utrique propositum, idem tenor vitæ, nihilque, ex quo sentias, duas esse. 5. Te enim imitari, te subsequi, student. Ideo utraque mores eosdem, quia utraque tuos, habet: inde moderatio, inde etiam perpetua securitas. Neque enim [o] unquam periclitabuntur esse privatæ, quæ non desierunt. 6. Obtulerat illis senatus cognomen Augustarum,[p] quod certatim deprecatæ sunt, quam diu appellationem patris patriæ [q] tu recusasses: seu, quod plus esse in eo judicabant, si uxor et soror tua, quam si Augustæ, dicerentur. 7. Sed, quæcumque illis ratio tantam modestiam suasit; hoc magis dignæ sunt, quæ in animis nostris et sint, et habeantur Augustæ, quia non vocantur. 8. Quid enim laudabilius fœminis, quam, si verum honorem non in splendore titulorum, sed in judiciis hominum, reponant; magnisque nominibus pares se faciant, etiam dum recusant?

CAP. LXXXV. 1. Jam etiam et in privatorum animis exoleverat priscum mortalium bonum, amicitia; cujus in

[q] *Se venerantur.*

bris, *nulla contentio sit.*—4 *Suscipiunt invicem* codd. Salisb. et Schwarzian. *Idemque utrique* vulgg. ante Schwarz. *Idem utrique* cod. Paris. item edd. H. Steph. Elz. Boxhorn. Cellar. Hearn. Cev. Patarol. Gesn. *Idemque esse utrique* cod. Patav.—5 Pro *quia utraque tuos, habet,* cod. Patav. exhibet *quaque divos habet;* Exc. Voss. *quæque duos habet.* Mox, Patav. *inde moderatio vitæ, inde etiam perpetua securitas;* Exc. Voss. *inde moderatio vitæ, inde etiam omen perpetua securitas.* Patav. et Exc. Voss. *quæ non didicerunt.*—6 Codd. Guelph. et Vat. 4. *quam diu deprecationem.*—7 In quibusdam codd. *quia non notantur.*—8 In omnibus codd. ap. Schwarz. *et dum recusant,* exceptis Exc. Voss. et cod. Patav. in quibus æque, ac in omnibus libris impressis, *etiam dum recusant.* Vide Nott. Varr.

CAP. LXXXV. 1 *Jam omne etiam in privatorum* cod. Patav. et Exc. Voss.

NOTÆ

pro Archia poëta: 'Plusne ad bene vivendum bona institutio conferat, quam natura.' De Sabina et Marciana vide in Trajani Vita.

[o] *Neque enim*] Id est, non erit periculum ne mutent mores, si te defuncto redigantur in privatorum fortunam: siquidem eandem animi æquabilitatem servant sub te principe, quam dum privatus esses. *Baudius.*

[p] *Augustarum*] Uxores et sorores imperatorum, ut ex historicis notum est, Augustarum cognomine donabantur.

[q] *Patris patriæ*] De nomine patris patriæ dictum est supra cap. XXI.

locum migraverant assentationes, blanditiæ, et pejor odio amoris simulatio. Etenim in principum domo nomen tantum amicitiæ, inane scilicet irrisumque, manebat. 2. Nam, *qui* poterat esse inter eos amicitia, quorum sibi alii domini,[a] alii servi, videbantur? Tu hanc pulsam et errantem reduxisti: habes amicos, quia amicus ipse es. 3. Neque enim, ut alia subjectis, ita amor imperatur:[b] neque est ullus affectus tam erectus,[a] et liber, et dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat. 4. Potest fortasse princeps inique, potest tamen odio esse nonnullis, etiamsi ipse non oderit: amari, nisi ipse amet, non potest. 5. Diligis ergo, cum diligaris, et in eo, quod utrimque[c] honestissimum est, tota gloria tua est, qui superior factus descendis in omnia familiaritatis officia,[d] et in amicum ex imperatore summitteris;[b] immo tunc maxime imperator, cum amicum ex imperatore

[a] *Tam generosus.*
[b] *Et deposita imperatoris majestate, personam amici induis.*

priscorum m. bonum Vatt. 1. 3. 4. et Guelph. *amicitiæ* Vat. 4. Mox, *et prior odio* Salisb. et a pr. m. Schwarzian. *et pejor ordo* codd. Paris. Venett. 1. 2. Patav. et Salisb. a m. sec. neque aliter in editis expressum legitur usque ad Lipsii tempora. Paulo post, Schwarz. conj. *inane scilicet irritumque*. Pro *manebat*, codd. Guelph. Vat. 4. Guelph. Paris. Salisb. et Schwarzian. item edd. Cuspin. Gryph. Sichard. et Arntz. habent *remanebat*.—2 *Nam quæ* vulgo ante Schwarz. *Nam qui* Vatt. 1. 2. 3. 4. et Venett. 1. 2. item edd. Puteol. Cuspin. et Rhenan. *Nam q.* fere in codd. *domini alii* unus Vat.—3 Codd. Salisb. et Schwarzian. *ut aliis subjectis, ita amori;* Patav. *alia subjecta.* Mox, *tam liber* cod. Schwarzian.—4 *Potest f. princeps, inique tamen, &c.* cod. Patav. —5 *Deligeris ergo, cum diligas* mavult Behrius. Vulgo, pro *utrimque*, legitur *utrique;* Guelph. Patav. et Vat. 4. habent *utrumque;* sed *utrimque* servant codd. Paris. Livin. Venett. 1. 2. Salisb. Schwarzian. et Exc. Voss. item edd. Puteol. Cuspin. Gryph. an. 1531. Sichard. Grut. Gesn. et Arntzen. *quia superior* Guelph. et Vat. 4. Pro *factus*, codd. Paris. Venett. 1. 2. Patav. Exc. Voss. *fatis;* Vat. 4. et Guelph. *facis.* Paulo post, verba, *in amicum ex i. submitteris*, prætermiserunt codd. Guelph. Vatt. Paris. et Venett. 1. 2. *tunc maximus Imperator es* cod. Patav. Mox, *ex imperatore* prætermiserunt codd.

NOTÆ

[a] *Alii domini*] An enim eum ames, qui te ut servum adhibeat?

[b] *Amor imperatur*] Notum illud Claudiani, 'non extorquebis amari.' 'Amare' enim, 'et odisse res omnium liberrima,' Senec. de Brev. Vit. cap. 19.

[c] *Quod utrimque*] Id est, et ei qui diligitur, et ei qui diligit.

[d] *Familiaritatis officia*] Ita ut sæpe amicos cœnæ adhiberet, apud eosdem etiam diverteret, ægros viseret, cum iis accumberet, in eadem lectica veheretur, ut habent Trajani vitæ scriptores.

agis. 6. Etenim, cum plurimis amicitiis fortuna principum indigeat, præcipuum est principis opus, amicos parare. 7. Placeat tibi semper hæc secta,[e] et, cum alias virtutes tuas, tum hanc, constantissime teneas;[c] neque unquam persuadeatur, humile esse principi, nisi odisse.[c] Jucundissimum est in rebus humanis amari; sed non minus, amare: quorum utroque ita frueris, ut, cum ipse ardentissime diligas, adhuc tamen ardentius diligaris. 8. Primum, quia facilius est, unum amare,[f] quam multos: deinde, quia tibi amicos tuos obligandi adest facultas tanta, ut nemo possit te, nisi ingratus, non magis amare.

CAP. LXXXVI. 1. Operæ pretium est referre, quod tormentum tibi injunxeris,[d] ne quid amico[g] negares. Dimisisti optimum virum, tibique carissimum, invitus, et tristis, et quasi retinere non posses. Quantum amares eum, desiderio expertus es,[e] distractus separatusque, dum

[c] *Quicquam indignum esse principe, præterquam odisse.*
[d] *Quam vim tibi feceris.* [e] *Ejus absentia sensisti.*

Guelph. Vatt. Paris. et Venett. 1. 2.—6 Schwarzian. *cum plurimis amicis.*—7 Vulgg. ante Schwarz. *nec unquam persuadeatur;* duo codd. Vat. et Schwarzian. *neque unquam persuadeatur;* alii, *ne unquam, &c.* Berneg. Hack. al. *nec unquam persuadetur.* Lips. in marg. ed. suæ conj. *humile esse principi nil, nisi odisse.* Mox, *Fœcundissimum est in rebus* cod. Paris. *ita fruaris* cod. Patav. Adverbium *ardentius* omiserunt Vatt. 2. 4. et Guelph.—8 *Plurimum, quia, &c.* edd. Puteol. et Beroald. *non magnopere amare* cod. Patav. et Exc. Voss.

CAP. LXXXVI. 1 Pro *tibique carissimum,* quam lectionem omnes codd. et edd. antiquiores, itemque recentiores Patarol. et Arntzen. exhibent, *tibi carissimum* legitur in edd. R. et H. Steph. Boxhorn. Cellar. Cev. et Gesn. *Quantum amares enim* Exc. Voss. *separatus* quædam edd. omissa copula *que.*

NOTÆ

[e] *Hæc secta*] Id est, ratio vitæ, seu agendi ratio: quo modo supra cap. 45. ‘Quæ sibi secta vitæ, quod hominum genus placeat.’ Et Cicero pro M. Cœlio cap. 40. ‘qui hanc sectam rationemque vitæ secuti sumus.’

[f] *Unum amare*] In amicitia quæ est principem inter et subditos, laus potior est principis; subditis enim facilius est amare unum principem, quam principi subditos innumeros.

[g] *Ne quid amico*] An Licinio Suræ? Non putat Lipsius, quomodo enim, inquit ille, biennio post discessum illum consul fuisset, iterumque quadriennio interjecto? Verum quidni revocatus sit ille ex otio ad gerendos istos consulatûs? Et vero, ut ex hoc Plinii loco patet, eum, de quo hic agitur, ex otio eduxerat, et eidem otio reddidit.

cedis, et vinceris. 2. Ita, quod fando inauditum, cum princeps, et principis amicus, diversa velletis, id potius factum est, quod amicus volebat. O rem memoriæ literisque mandandam! Præfectum prætorii [h] non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus,[f] legere, eundemque otio, quod pertinaciter amet, reddere; cumque sis ipse distentus imperii curis, non quietis gloriam cuiquam invidere. 3. Intelligimus, Cæsar, quantum tibi pro laboriosa ista statione et exercita debeamus; cum otium a te, tanquam res optima, et petatur, et detur. Quam ego audio confusionem [i] tuam fuisse, cum digredientem prosequereris! Prosecutus enim, nec temperasti tibi, quo minus exeunti in littore amplexus osculum ferres. 4. Stetit Cæsar in illa amicitiæ specula,[j] precatusque maria, celeremque, si tamen ipse voluisset,

[f] *Non unum ex iis qui se obtrudunt, sed ex iis qui honoribus se subducunt.*

—2 Cod. Patav. et Exc. Voss. *ita potius factum est.* Mox, Arntzenius annotavit, in cod. Guelph. legi, *ex ingerentibus se*, quam lectionem amplexus esset Schwarz. si in illo aut in alio codice deprehendisset. Ceterum omnes codd. pro *ex*, ante participium *subtrahentibus*, habent *e*. Deinde, omnes codd. Schwarzii, itemque edd. antiquiores, et recentior Arntz. habent *quem pertinaciter amet;* unde Schwarz. conj. *quem p. ames.* Pro *gloriam*, idem Schwarz. malit *gratiam;* Arntz. *gloria*, in casu sexto.—3 Codd. Vat. 4. Guelph. Venet. 1. Patav. et Gud. 2. *ista s. et exercitatione.* '*Et petatur, et detur*] Proba hæc lectio; quæ inquinata est in codice Salisb. et meo, ubi extat, *expectatur, et datur.* Sed Salisburgiensi alia manus jam veriorem scripturam restituit.' *Schwarz.* Mox, cod. Patav. et Exc. Voss. *confessionem tuam.* Deinde, *Prosecutus eum nec temperasti* cod. Venet. 1. Livineius notavit in margine, *Prosecutus enim es;* Baun. edidit *Prosecutus es enim.* In antecedentibus verbis Vatt. 1. 3. 4. et Guelph. habent, *cum d. prosequeris.* Codd. Vat. 4. Guelph. Salisb. et Schwarzian. *nec te imperasti tibi;* sic etiam Paris. omisso tamen pronomine *tibi;* at Exc. Voss. *nec imperasti tibi.* Denique, Patarol. interpungit, *amplexus, osculum ferres;* Heins. conj. *amplexus et osculum ferres;* Schwarz. *amplexum osculumque ferres.*—4 Codd. Salisb. et Schwarzian. *spectansque maria;* unde Schwarzius conj. *Stetit C. in i. a. specula, spectans, precatusque maria, &c.* vel,

NOTÆ

[h] *Præfectum prætorii*] Is præerat militibus, quos imperator ad sui custodiam allegerat. Qui magistratus ab Augusto institutus, stabilitus a Tiberio; tandem a Constantino sublatus est, cum prætoriani pro Maxentio contra ipsum stetissent. Hi ex equitibus primum, tum etiam ex senatoribus, atque adeo ex consularibus viris eligebantur. Tanta erat eorum auctoritas ut ab iis appellari non posset.

[i] *Confusionem*] Vox frequens non modo apud Plinium, sed apud alios illius temporis scriptores, pro eo quod est 'tristitia.'

[j] *Amicitiæ specula*] In littore eminentiore, inquit Lipsius, unde ami-

recursum; nec sustinuit recedentem non etiam atque etiam votis, lacrymis, sequi. 5. Nam de liberalitate taceo. Quibus enim muneribus æquari hæc cura principis, hæc patientia, potest, qua meruisti, ut ille sibi nimium fortis, ac prope durus, videretur? Nec dubito, quin agitaverit secum, an gubernacula[g] retorqueret: et fecisset, nisi quod pæne ipso contubernio principis felicius jucundiusque est desiderare principem[k] desiderantem. 6. Et ille[l] quidem, ut

[g] *Navim.*

spectans maria, precatusque celerem, &c. Exc. Voss. *nec abstinuit;* cod. Patav. *nec sustinuit recedentem, non abstinuit etiam atque etiam votis, lacrymis, sequi;* Salisb. et Schwarzian. *votis lacrymisque sequi.*—5 Salisb. et Schwarzian. *quam meruisti.* Vulgo, *desiderare principem.* 'In his verbis codex noster vocabulo *principem* addit *desiderantem.* Eandemque vocem prodit primus Gudii liber; et jam evulgarunt Cuspinianus, Rhenanus, Gruterus. Digna ea est, ex sententia Lipsii, quæ recipiatur; convenit enim argutiis Plinianis. Neque vero tam jucundum est, simpliciter desiderare absentem; quam desiderare eum, a quo sentias etiam te desiderari. Deinde legitur in libris omnibus impressis, *ut maxima fructus suscepti, &c.* Primus Livineius: '*Maximo,*' inquit, 'bene est in veteri codice; sed et *fructu* arbitror legendum, non *fructus.*' Atque, en, ita diserte codex noster, *maximo fructu suscepti, &c.* Inde locus hic ita concinnandus est: *Et fecisset, nisi quod pæne ipso contubernio principis felicius jucundiusque est, desiderare principem desiderantem. Et ille quidem, ut maximo fructu suscepti, ita majore depositi officii gloria, fruitur.* Non plane insolens est, dicere, 'fructu frui;' haud secus, ut veteres dixere, 'somniare somnium,' 'gaudere gaudium,' et quæ sunt longe plura generis ejusdem. Ac plane ita locutus est alius Panegyristes, in Paneg. Constantino Augusto dicto, cap. VII. 5. 'duplici fructu fruebantur.' Nihilominus, si nobis liceat sine auctoritate esse audacibus, voce *fructus* prorsus omissa, ut quæ forte ex verbo sequente *fruitur* conficta potuit irrepere, malimus reponere, *Et ille quidem, ut maxima suscepti, ita majore depositi officii, gloria fruitur.* Parum juvat, quod in altero Gudii libro pro *maxima, maxime,* et pro voce *depositi, deposita,* legamus.' *Schwarz.* 'Mihi quoque jamdudum in mentem venit probataque est tua emendatio ita rescribentis: *maxima suscepti.* Dum igitur sequeris tuum ingenium, felicior es, quam cum sequeris codicem tuum, in quo inepta argutia hæc verba extant: *desiderare principem desiderantem.* Quæso, ut cogites, an non pro *desiderare principem* scribendum sit *desiderari a principe.* Mihi quidem id non est dubium.' *Heuman.* 'Cum adeo certa hæc habeatur viro eruditissimo emendatio, *desiderari a principe,* omnes fateor intendi ingenii vires, ut undique colligerem ea argumenta, quibus et mihi persuaderi

NOTÆ

cum videret, et oculis prosequeretur abeuntem. Addo ego, ubi dabat omnibus perfectum amicitiæ signum. Hic enim locus duplicem pati sensum potest.

[k] *Desiderare principem*] Quam præsente frui. Plin. Epist. II. 15. 'Nihil enim æque gratum est adeptis, quam concupiscentibus.'

[l] *Ille*] Sura nimium durus, qui invito principe, cui ita carus erat, præfecturam deponeret ut in otium secederet.

maximo fructu suscepti, ita majore depositi officii gloria, fruitur: tu autem facilitate ista consecutus es, ne quem retinere videaris invitum.

CAP. LXXXVII. 1. Civile hoc erat, et parenti publico convenientissimum, nihil cogere;[h] semperque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam dari posse, ut non sit gratior potestate libertas. 2. Dignus es, Cæsar, qui officia mandes deponere optantibus; qui petentibus vacationem,[i] invitus quidem, sed tamen, tribuas; qui ab amicis, orantibus requiem, non te relinqui putes; qui semper invenias, et quos ex otio revoces, et quos otio reddas. 3. Vos quoque,[a] quos parens noster familiariter inspicere dignatur, fovete

[h] *Nemini in ulla re vim facere.*
[i] *Postulantibus facultatem vacandi a rebus publicis.*

posset, et veritas Plinio restitui. Sed, qui meus est stupor, nondum adeo felici esse contigit, ut vel in verosimilem aliquam rationem inciderim, qua permotus tam longe a ductibus literarum auderem recedere. Contra in participio *desiderantem* multo elegantius videbatur inesse, quod volebat Heumannus, *desiderari a principe:* ita utrumque conjungebatur, ut et princeps desideraret absentem, et ipse absens principem desiderantem. Ideo credere sustinui, nihil magis Plinianum vel dici vel fingi potuisse. Confirmarunt veritatem Livineii codex, Vossii et Guelph. editio anni 1476. Frobeniana, et nuper Patarol. et Gesnerus, sed aberat a Veneta 1498. et ex ea corrupta scriptura conjecerat Perizonius, *desiderare se principem.* In sequentibus vellem non adeo hæsitasse viros summos. Ignorantiæ librariorum id facile condonamus, qui ideo in Voss. dederunt *maximo fructus*, et in Guelph. *maxime fructus*, unde cum aliis conjiciebat optimus Cortius *maximo fructu*, et ita edidit Gesnerus: sensu quidem aperto, attamen contra genium auctoris, qui, ut toties jam dictum, in duobus orationis membris uno tantum utitur vel verbo vel substantivo, quod ad utrumque referri debeat; adeoque hic *fructu* abundaret, cum mox *gloria* sequatur. Vide ad cap. LX. 5. Omnis difficultas orta est ex ambiguitate vocis, cum *fructus* hic sit participium, non substantivum. Quare duo tempora distinguit orator, præteritum, quo tantus honor in eum esset delatus, et præsens, quo eum iterum deposuit. Lipsius, qui aliter hunc locum cepit, inter *fructum* illum etiam recenset *opes* ex gesta præfectura relatas. Sed non solet Plinius, nec optimus quisque, id viris cordatis et rectis ingeniis laudi ascribere, quod ex gestis honoribus auctiores et lautiores evaserint, et tali gloria fruerentur, quæ potius humiles animos et sordidos deceat. Perizonius, qui bene verum sensum perspexerat, tamen præferre malebat *fruitus:* ita clarior sane sententia, nescio tamen, an verior. Pro *videaris*, Voss. *videamus;* Guelph. *videmus.*' Arntz. Vide Nott. Varr.

CAP. LXXXVII. 1 *Civile erat* cod. Patav.—2 *Dignus es* desunt in cod. Schwarzian.—3 Cod. Patav. et Exc. Voss. *quos princeps noster.* Pro *fovete*, omnes codd. Schwarzii habent *fovet;* et sic edd. Puteol. Beroald. Catan. 1.

NOTÆ

[a] *Vos quoque*] Transfert orationem ad senatores quos præsentes videbat.

judicium ejus, quod de vobis habet. Hic vester labor est. 4. Princeps enim, cum in uno probavit, amare se scire, vacat culpa, si alios minus amat.[b] Ipsum quidem quis mediocriter diligat, cum leges amandi non det, sed accipiat? Hic præsens,[c] ille mavult absens, amari; uterque ametur, ut mavult: nemo in tædium præsentia, nemo in oblivionem absentia, *venit*. 5. Tenet quisque locum, quem *semel* meruit;[d] faciliusque est, ut oculis ejus vultus absentis, quam ut animo caritas excidat.

CAP. LXXXVIII. 1. Plerique principes, cum essent civium domini, libertorum erant servi.[e] Horum consiliis, horum nutu, regebantur; per hos audiebant, per hos loquebantur; per hos præturæ etiam, et sacerdotia, et consulatus; immo et ab his petebantur. 2. Tu libertis tuis summum quidem[f]

2. et Cuspin. *fovete* habent Ald. Catan. an. 1519. Ascens. Junt. Gryph. Sichard. et recentt. Omnino deest in cod. Guelph. *fovete sancte* Rhenan. idque notavit Livin. in marg. ed. suæ, sed ita, ut monuerit; forte pro *sancte* legendum esse *sane*.—4 Verba, *ut mavult*, desunt in cod. Guelpherbytano. codd. Salisb. Patav. et Exc. Voss. item edd. Puteol. et Beroald. *nemo interdum præsentia*. Pro simplici *præsentia* cod. Paris. habet *præsentia sua*. Mox, pro *venit*, quod servant codd. Patav. et Schwarzian. alii codd. cum edd. vulgg. habent *veniat*.—5 *Tenet quis locum* codd. ap. Schwarz. item edd. Beroald. et Catan. *Tenet quisque locum* edd. Puteol. Ald. Cuspin. Ascens. Junt. Gryph. et recentt. *quem semper meruit* cod. Patav. et edd. ante Livin. et Lips. omnes; *quem semel meruit* omnes alii codd. et edd. recentt. et sic conj. Livin. et Lips. *caritas abscedit* cod. Schwarzian.

CAP. LXXXVIII. 1 *Horum c. horum natu* codd. Venett. 1. 2. *Horum c. h. arbitratu* cod. Paris. Mox, Guelph. *per hos audiebat, per hos loquebatur*.—2 Pro *summum quidem honorem*, Lipsius censuit rescribendum, *suum quidem*

NOTÆ

[b] *Si alios minus amat*] Ut enim Trajanus amat bonos, sic quos non amat, habentur ab omnibus indigni hoc amore, idque eis vitio vertitur potius, quam principi.

[c] *Hic præsens*] Alii ita amari volunt a principe, ut abesse sibi ab aula liceat: alii, ut adesse semper. Utrumque concedit Trajanus.

[d] *Quem semel* [*semper*] *meruit*] Melius Lipsius, *quem semel meruit*.

[e] *Libertorum servi*] Ut Claudius, qui Posidis, Felicis, Harpocræ, Polybii, et Pallantis libertorum studio ac libidine honores et immunitates dispensabat. Suet. c. 28. et 29. De Narcisso Juvenal. Sat. XIV. 329. Galba item duorum libertorum arbitrio nihil non gerebat. Idem de Vitellio traditur.

[f] *Summum quidem*] Malim cum Lipsio, *suum quidem*, ut enim Plinius Epist. VI. 30. refert: cum Eurythmus Trajani libertus idem, et procurator, accusaretur, et hæredes pro sua erga imperatorem reverentia accusa-

honorem, sed tanquam libertis, habes; abundeque sufficere his credis, si probi et frugi existimentur. Scis enim, præcipuum esse indicium non magni principis, magnos libertos. 3. Ac primum neminem in usu habes, nisi aut tibi, aut patri tuo, aut optimo cuique [principum] dilectum: deinde statim hos ipsos [g] quotidie ita formas, ut se non tua

honorem, quæ scriptura Baudio, Cevæ, et Gesnero placuit. Hæ voces, *abundeque sufficere credis*, desiderantur in cod. Paris. *que* deest in Schwarzian. —3 'Olim in multis libris minus apte legebatur, *optimo cuiquam principum;* quam lectionem adhuc retinuit Patarol. Sed jam Beroaldus et Lipsius pro *cuiquam*, recte rescripserunt *cuique;* quod et codicum Mss. suffragiis nunc confirmatur; ac nominatim alterius libri Gudiani auctoritate etiam vocem *principum* eliminare velim. Quot enim ante Trajanum et Nervam erant principes optimi, quibus, qui tunc vivebant rerum administri, potuerint probari? Satis ad laudem eorum erat, si Trajano, aut Nervæ, aut cuique optimo, cujuscumque fortunæ homini, probati essent. Deinde Lipsius in hoc loco illud *statimque* corruptum existimavit, rescribendum opinatus, *dilectum æstimatumque;* verum nulla varietatis vestigia hic animadvertimus, neque necesse putamus, ut pristinam scripturam rejiciamus: contra autem particulam *et*, ante voces *tanto magis*, positam, malimus dimittere, aut saltem cum particula *at* commutare.' *Schwarz.* 'Bene *cuiquam*, quod erat in antiquissimis etiam editis, mutatum est in *cuique*, cum additus superlativus istam voculam requirat, ut latius ostendimus ad Victor. Epit. XLII. 21. Nec aliter statim cap. 90. 'Ille optimi cujusque spoliator et carnifex.' *Principum* rejecit quoque Gesnerus: exemplum id non ausus sum sequi, cum mihi persuadeam, oratorem hic Trajanum non tam cum reliquis civibus conferre, et ad eos respicere, quam potius reliquos præcedentes principes, quod per totum hunc Panegyricum facit ubique. Cur non licet intelligere Vespasianum, Titum, Nervam? In meis Vossii excerptis nihil hic desiderabatur. Deinceps repetitio et cumulatio tot adverbiorum non video, quomodo cuiquam possit, aut debeat placere, et tamen ita constanter reperi editum, nisi quod interpres Minellianus dederit *dictum:* (errore typothetarum certe pro *dilectum:*) *hos ipsos quotidie statimque deinde ita formas;* multo ineptius. Et codex Guelph. *statimque ut hos tam ipsos.* Etenim vix dubito, quin gravius ulcus lateat, quod non nisi a melioribus codicibus curationem expectat. Lipsii illud *æstimatumque* vereor, ne transcendat statum et conditionem libertorum, quibus satis erat, si existimarentur probi et frugi sub bonis principibus. Crederem ad principum illorum, qui non nisi meritos et dignos ad suam amicitiam admitterent, laudem potius pertinere, si dixisset, *dilectum probatumque*, quæ conjectura minus audax videtur, cum prima syllaba nota literæ *p* exprimatur. Et sic sane Noster Epist. VII. 9. 'Qui sint hi, adeo notum probatumque est, ut demonstratione non egeat.' Inspice ibi Cortium et Pricæum ad II. Timoth. 2. 15. Et si audaciori esse liceat, potuit vox *deinde*, quæ satis supervacua est, originem traxisse ex duabus ultimis syllabis præcedentis *quotidie;* ut legi posset, *dilectum probatumque; hos ipsos quotidie ita.* Vel co-

NOTÆ

tionem hanc remitterent, Trajanus pulcherrime dixit, 'Nec ille Polycletus, nec ego Nero.'

g *Statim hos ipsos*] Corruptum hunc locum ita restituunt Gruterus et Lipsius: *Aut optimo cuique principum dilectum, æstimatumque: hos ipsos quotidie deinde ita formas.*

fortuna,[h] sed sua,[i] metiantur: et tanto magis digni, quibus honor omnis præstetur a nobis,[j] quia non est necesse. 4. Justisne de causis S. P. Q. R. 'Optimi'[k] tibi cognomen adjecit? Paratum id quidem, et in medio positum,[k] novum tamen.[l] Scias, neminem ante meruisse; quod non erat excogitandum,[l] si quis meruisset. 5. An satius fuit, 'Felicem'[m] vocare? quod non moribus, sed fortunæ, datum est. Satius, 'Magnum?'[n] cui plus invidiæ, quam pulchritudinis, inest. Adoptavit te optimus princeps in suum,[o] senatus in 'Optimi,' nomen. 6. Hoc tibi tam proprium, quam paternum;[p] nec magis definite distincteque designat, qui

[k] *Facile illud quidem, et omnibus notum.*
[l] *Quod non erat magno labore quærendum.*

gitaveram aliquando, an scripsisset Plinius, *dein te ita formas.* Verum non libenter similibus conjecturis indulgeo. Conjunctionem *et* delendam crediderat Livineius, idemque illud in mentem venerat Perizonio. Puto male immerenti dicam scribi. Porro *quia est necesse* Guelph.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—4 *Scias n. ante te meruisse* cod. Patav.—5 *Adoptavit te optimum* edd. Boxhorn. et Cellar. Mox, *senatus in optimum nomen* codd. Salisb. et Schwarzian.—6 Plurimi codd. ap. Schwarz. *distincte definiteque.* In nonnullis codd.

NOTÆ

[h] *Non tua fortuna*] Cum se tanti imperatoris libertos sentiant.

[i] *Sed sua*] Sed libertina conditione sua.

[j] *A nobis*] Senatoribus.

[k] *Optimi*] Cognomen illud hoc anno Trajano datum est a senatu, sed ut supra cap. XI. diximus, nono tantum post anno in titulis est usurpatum.

[l] *Novum tamen*] At enim Scipio Nasica id nominis habuit, ut habet Seneca Ep. XIX. Omnino; sed non erat ille imperator. Idem assumsit Caius, inquit Suet. sed illud quidem assumsit, non habuit a senatu.

[m] *Felicem*] Fortasse Augustum: principibus enim acclamari solitum erat 'Felicior Augusto, Trajano melior:' vel potius L. Syllam Felicem cognomento dictum, seu quod hostes pæne innumeros feliciter superasset; seu quod placidam dictaturam, quod nemini hucusque contigerat, diu gessisset, et cum libitum fuerat deposuisset: seu demum quod, cum parvulus inter nutricis brachia gestaretur, de via occurrens mulier nescio qua: 'Salve,' inquit, 'puer, et tibi, et reipublicæ felix,' quod bonæ mulieris omen sibi non injucundum edicto longo post tempore confirmavit. Ita Plutarchus.

[n] *Magnum*] Pompeium puta: quem Africa subacta in urbem redeuntem occurrens Sylla 'Magnum' consalutavit, ut ait Plutarchus in ejus, et in Crassi Vita.

[o] *In suum*] Id est, in Nervæ nomen; nam dictus est M. Ulpius Nerva Trajanus.

[p] *Quam paternum*] Id est, quam Trajani nomen, quod a patre habes.

ita instituit: nam uxori sufficit obsequii gloria. 8. An, cum videat, quam te nullus terror,[j] nulla comitetur ambitio; non et ipsa cum silentio incedat, ingredientemque pedibus maritum, in quantum patitur sexus, imitetur? 9. Decuerit hoc illam,[k] etiam si diversa tu facias. Sub hac vero modestia viri, quantam debet verecundiam uxor marito, fœmina sibi?

Cap. LXXXIV. 1. Soror autem tua,[l] ut se sororem esse meminit! Ut in illa tua simplicitas, tua veritas, tuus candor, agnoscitur! Ut, si quis eam uxori tuæ conferat, dubitare cogatur, utrum sit efficacius ad recte vivendum bene institui,[m] *an* feliciter nasci.[n] 2. Nihil est tam pronum ad simultates,[q] quam æmulatio, in fœminis præsertim. Ea porro maxime nascitur ex conjunctione, alitur æqualitate, exardescit invidia, cujus finis est odium. 3. Quo quidem admirabilius existimandum est, quod mulieribus duabus in una domo, parique fortuna, nullum certamen, nulla conten-

q *Proclive ad inimicitias.*

obsequi.—8 *An cum videant te, quem nullus terror* cod. Patav. et Exc. Voss.—9 *Decuerat* cod. Patav. et Exc. Voss.

Cap. LXXXIV. 1 In codd. Salisb. et Schwarzian. ob pronomen *tua* bis occurrens, omissa sunt sequentia verba: *ut se sororem esse meminit! Ut in illa tua.* Paulo post, omnes edd. ante Schwarz. *aut feliciter;* solus Vat. 4. *an feliciter.*—2 *Nihil est tam primum* cod. Patav. et Exc. Voss. Mox, adverbium *maxime* omissum est in codd. Guelph. Salisb. Schwarzian. et Vat. 4. in ceteris tribus Vatt. aliisque extat, et in Salisb. a m. sec. Deinde, codd. Vat. 4. Paris. Salisb. Venet. 2. Schwarzian. Patav. et Exc. Voss. *et ardescit invidia;* Venet. 1. Gryph. an. 1531. et Sichard. *ardescit invidia.*—3 In quibusdam li-

NOTÆ

j *Nullus terror*] Nulli satellites, nullus alius, aut ad terrorem populis incutiendum, aut ad inanem ostentationem, apparatus.

k *Decuerit hoc illam*] Illam deceat hæc agendi ratio, vel si alio modo te geras: nunc vero cum te conjugem habeat tam modestum, quam verecunda esse debet, ut et marito et sexui suo satisfaciat!

l *Soror autem tua*] Marciana, cujus filia Matidia, mater Sabinæ Hadriani imp. uxoris, ante sextum Trajani consulatum extincta, atque, ut ex fornice Anconitano liquet, consecrata.

m *Bene institui*] Ut Plotina, quæ Trajano adolescenti nupta, diu instituta fuit domesticis ejus virtutibus.

n *Feliciter nasci*] Ut Marciana ejus soror, quæ in eadem nata est domo atque Trajanus. Fuit agitata quæstio a Quintiliano XI. 19. et a Tullio

tio est. 4. Suspiciunt invicem,[q] invicem cedunt; cumque te utraque effusissime diligat, nihil sua putant interesse, utram tu magis ames. Idem utrique propositum, idem tenor vitæ, nihilque, ex quo sentias, duas esse. 5. Te enim imitari, te subsequi, student. Ideo utraque mores eosdem, quia utraque tuos, habet: inde moderatio, inde etiam perpetua securitas. Neque enim[o] unquam periclitabuntur esse privatæ, quæ non desierunt. 6. Obtulerat illis senatus cognomen Augustarum,[p] quod certatim deprecatæ sunt, quam diu appellationem patris patriæ[q] tu recusasses: seu, quod plus esse in eo judicabant, si uxor et soror tua, quam si Augustæ, dicerentur. 7. Sed, quæcumque illis ratio tantam modestiam suasit; hoc magis dignæ sunt, quæ in animis nostris et sint, et habeantur Augustæ, quia non vocantur. 8. Quid enim laudabilius fœminis, quam, si verum honorem non in splendore titulorum, sed in judiciis hominum, reponant; magnisque nominibus pares se faciant, etiam dum recusant?

CAP. LXXXV. 1. Jam etiam et in privatorum animis exoleverat priscum mortalium bonum, amicitia; cujus in

[q] *Se venerantur.*

bris, *nulla contentio sit.*—4 *Suscipiunt invicem* codd. Salisb. et Schwarzian. *Idemque utrique* vulgg. ante Schwarz. *Idem utrique* cod. Paris. item edd. H. Steph. Elz. Boxhorn. Cellar. Hearn. Cev. Patarol. Gesn. *Idemque esse utrique* cod. Patav.—5 Pro *quia utraque tuos, habet*, cod. Patav. exhibet *quaque divos habet;* Exc. Voss. *quæque duos habet.* Mox, Patav. *inde moderatio vitæ, inde etiam perpetua securitas;* Exc. Voss. *inde moderatio vitæ, inde etiam omen perpetua securitas.* Patav. et Exc. Voss. *quæ non didicerunt.*—6 Codd. Guelph. et Vat. 4. *quam diu deprecationem.*—7 In quibusdam codd. *quia non notantur.*—8 In omnibus codd. ap. Schwarz. *et dum recusant*, exceptis Exc. Voss. et cod. Patav. in quibus æque, ac in omnibus libris impressis, *etiam dum recusant.* Vide Nott. Varr.

CAP. LXXXV. 1 *Jam omne etiam in privatorum* cod. Patav. et Exc. Voss.

NOTÆ

pro Archia poëta: 'Plusne ad bene vivendum bona institutio conferat, quam natura.' De Sabina et Marciana vide in Trajani Vita.

[o] *Neque enim*] Id est, non erit periculum ne mutent mores, si te defuncto redigantur in privatorum fortunam: siquidem eandem animi æquabilitatem servant sub te principe, quam dum privatus esses. *Baudius.*

[p] *Augustarum*] Uxores et sorores imperatorum, ut ex historicis notum est, Augustarum cognomine donabantur.

[q] *Patris patriæ*] De nomine patris patriæ dictum est supra cap. XXI.

locum migraverant assentationes, blanditiæ, et pejor odio amoris simulatio. Etenim in principum domo nomen tantum amicitiæ, inane scilicet irrisumque, manebat. 2. Nam, *qui* poterat esse inter eos amicitia, quorum sibi alii domini,[a] alii servi, videbantur? Tu hanc pulsam et errantem reduxisti: habes amicos, quia amicus ipse es. 3. Neque enim, ut alia subjectis, ita amor imperatur:[b] neque est ullus affectus tam erectus,[a] et liber, et dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat. 4. Potest fortasse princeps inique, potest tamen odio esse nonnullis, etiamsi ipse non oderit: amari, nisi ipse amet, non potest. 5. Diligis ergo, cum diligaris, et in eo, quod utrimque[c] honestissimum est, tota gloria tua est, qui superior factus descendis in omnia familiaritatis officia,[d] et in amicum ex imperatore summitteris;[b] immo tunc maxime imperator, cum amicum ex imperatore

[a] *Tam generosus.*
[b] *Et deposita imperatoris majestate, personam amici induis.*

priscorum m. bonum Vatt. 1. 3. 4. et Guelph. *amicitiæ* Vat. 4. Mox, *et prior odio* Salisb. et a pr. m. Schwarzian. *et pejor ordo* codd. Paris. Venett. 1. 2. Patav. et Salisb. a m. sec. neque aliter in editis expressum legitur usque ad Lipsii tempora. Paulo post, Schwarz. conj. *inane scilicet irritumque.* Pro *manebat*, codd. Guelph. Vat. 4. Guelph. Paris. Salisb. et Schwarzian. item edd. Cuspin. Gryph. Sichard. et Arntz. habent *remanebat.*—2 *Nam quæ* vulgo ante Schwarz. *Nam qui* Vatt. 1. 2. 3. 4. et Venett. 1. 2. item edd. Puteol. Cuspin. et Rhenan. *Nam q.* fere in codd. *domini alii* unus Vat.—3 Codd. Salisb. et Schwarzian. *ut aliis subjectis, ita amori;* Patav. *alia subjecta.* Mox, *tam liber* cod. Schwarzian.—4 *Potest f. princeps, inique tamen, &c.* cod. Patav. —5 *Deligeris ergo, cum diligas* mavult Behrius. Vulgo, pro *utrimque*, legitur *utrique;* Guelph. Patav. et Vat. 4. habent *utrumque;* sed *utrimque* servant codd. Paris. Livin. Venett. 1. 2. Salisb. Schwarzian. et Exc. Voss. item edd. Puteol. Cuspin. Gryph. an. 1531. Sichard. Grut. Gesn. et Arntzen. *quia superior* Guelph. et Vat. 4. Pro *factus*, codd. Paris. Venett. 1. 2. Patav. Exc. Voss. *fatis;* Vat. 4. et Guelph. *facis.* Paulo post, verba, *in amicum ex i. submitteris*, prætermiserunt codd. Guelph. Vatt. Paris. et Venett. 1. 2. *tunc maximus Imperator es* cod. Patav. Mox, *ex imperatore* prætermiserunt codd.

NOTÆ

[a] *Alii domini*] An enim eum ames, qui te ut servum adhibeat?

[b] *Amor imperatur*] Notum illud Claudiani, 'non extorquebis amari.' 'Amare' enim, 'et odisse res omnium liberrima,' Senec. de Brev. Vit. cap. 19.

[c] *Quod utrimque*] Id est, et ei qui diligitur, et ei qui diligit.

[d] *Familiaritatis officia*] Ita ut sæpe amicos cœnæ adhiberet, apud eosdem etiam diverteret, ægros inviseret, cum iis accumberet, in eadem lectica veheretur, ut habent Trajani vitæ scriptores.

agis. 6. Etenim, cum plurimis amicitiis fortuna principum indigeat, præcipuum est principis opus, amicos parare. 7. Placeat tibi semper hæc secta,[e] et, cum alias virtutes tuas, tum hanc, constantissime teneas;[c] neque unquam persuadeatur, humile esse principi, nisi odisse.[c] Jucundissimum est in rebus humanis amari; sed non minus, amare: quorum utroque ita frueris, ut, cum ipse ardentissime diligas, adhuc tamen ardentius diligaris. 8. Primum, quia facilius est, unum amare,[f] quam multos: deinde, quia tibi amicos tuos obligandi adest facultas tanta, ut nemo possit te, nisi ingratus, non magis amare.

Cap. LXXXVI. 1. Operæ pretium est referre, quod tormentum tibi injunxeris,[d] ne quid amico[g] negares. Dimisisti optimum virum, tibique carissimum, invitus, et tristis, et quasi retinere non posses. Quantum amares eum, desiderio expertus es,[e] distractus separatusque, dum

[c] *Quicquam indignum esse principe, præterquam odisse.*
[d] *Quam vim tibi feceris.* [e] *Ejus absentia sensisti.*

Guelph. Vatt. Paris. et Venett. 1. 2.—6 Schwarzian. *cum plurimis amicis.*—7 Vulgg. ante Schwarz. *nec unquam persuadeatur;* duo codd. Vat. et Schwarzian. *neque unquam persuadeatur;* alii, *ne unquam, &c.* Berneg. Hack. al. *nec unquam persuadetur.* Lips. in marg. ed. suæ conj. *humile esse principi nil, nisi odisse.* Mox, *Fœcundissimum est in rebus* cod. Paris. *ita fruaris* cod. Patav. Adverbium *ardentius* omiserunt Vatt. 2. 4. et Guelph.—8 *Plurimum, quia, &c.* edd. Puteol. et Beroald. *non magnopere amare* cod. Patav. et Exc. Voss.

Cap. LXXXVI. 1 Pro *tibique carissimum,* quam lectionem omnes codd. et edd. antiquiores, itemque recentiores Patarol. et Arntzen. exhibent, *tibi carissimum* legitur in edd. R. et H. Steph. Boxhorn. Cellar. Cev. et Gesn. *Quantum amares enim* Exc. Voss. *separatus* quædam edd. omissa copula *que.*

NOTÆ

[e] *Hæc secta*] Id est, ratio vitæ, seu agendi ratio: quo modo supra cap. 45. 'Quæ sibi secta vitæ, quod hominum genus placeat.' Et Cicero pro M. Cœlio cap. 40. 'qui hanc sectam rationemque vitæ secuti sumus.'

[f] *Unum amare*] In amicitia quæ est principem inter et subditos, laus potior est principis; subditis enim facilius est amare unum principem, quam principi subditos innumeros.

[g] *Ne quid amico*] An Licinio Suræ? Non putat Lipsius, quomodo enim, inquit ille, biennio post discessum illum consul fuisset, iterumque quadriennio interjecto? Verum quidni revocatus sit ille ex otio ad gerendos istos consulatus? Et vero, ut ex hoc Plinii loco patet, eum, de quo hic agitur, ex otio eduxerat, et eidem otio reddidit.

cedis, et vinceris. 2. Ita, quod fando inauditum, cum princeps, et principis amicus, diversa velletis, id potius factum est, quod amicus volebat. O rem memoriæ literisque mandandam! Præfectum prætorii[h] non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus,[f] legere, eundemque otio, quod pertinaciter amet, reddere; cumque sis ipse distentus imperii curis, non quietis gloriam cuiquam invidere. 3. Intelligimus, Cæsar, quantum tibi pro laboriosa ista statione et exercita debeamus; cum otium a te, tanquam res optima, et petatur, et detur. Quam ego audio confusionem[i] tuam fuisse, cum digredientem prosequereris! Prosecutus enim, nec temperasti tibi, quo minus exeunti in littore amplexus osculum ferres. 4. Stetit Cæsar in illa amicitiæ specula,[j] precatusque maria, celeremque, si tamen ipse voluisset,

[f] *Non unum ex iis qui se obtrudunt, sed ex iis qui honoribus se subducunt.*

—2 Cod. Patav. et Exc. Voss. *ita potius factum est.* Mox, Arntzenius annotavit, in cod. Guelph. legi, *ex ingerentibus se,* quam lectionem amplexus esset Schwarz. si in illo aut in alio codice deprehendisset. Ceterum omnes codd. pro *ex,* ante participium *subtrahentibus,* habent *e.* Deinde, omnes codd. Schwarzii, itemque edd. antiquiores, et recentior Arntz. habent *quem pertinaciter amet;* unde Schwarz. conj. *quem p. ames.* Pro *gloriam,* idem Schwarz. malit *gratiam;* Arntz. *gloria,* in casu sexto.—3 Codd. Vat. 4. Guelph. Venet. 1. Patav. et Gud. 2. *ista s. et exercitatione.* '*Et petatur, et detur*] Proba hæc lectio; quæ inquinata est in codice Salisb. et meo, ubi extat, *expectatur, et datur.* Sed Salisburgiensi alia manus jam veriorem scripturam restituit.' *Schwarz.* Mox, cod. Patav. et Exc. Voss. *confessionem tuam.* Deinde, *Prosecutus eum nec temperasti* cod. Venet. 1. Livineius notavit in margine, *Prosecutus enim es;* Baun. edidit *Prosecutus es enim.* In antecedentibus verbis Vatt. 1. 3. 4. et Guelph. habent, *cum d. prosequeris.* Codd. Vat. 4. Guelph. Salisb. et Schwarzian. *nec te imperasti tibi;* sic etiam Paris. omisso tamen pronomine *tibi;* at Exc. Voss. *nec imperasti tibi.* Denique, Patarol. interpungit, *amplexus, osculum ferres;* Heins. conj. *amplexus et osculum ferres;* Schwarz. *amplexum osculumque ferres.*—4 Codd. Salisb. et Schwarzian. *spectansque maria;* unde Schwarzius conj. *Stetit C. in i. a. specula, spectans, precatusque maria, &c.* vel,

NOTÆ

[h] *Præfectum prætorii*] Is præerat militibus, quos imperator ad sui custodiam allegerat. Qui magistratus ab Augusto institutus, stabilitus a Tiberio; tandem a Constantino sublatus est, cum prætoriani pro Maxentio contra ipsum stetissent. Hi ex equitibus primum, tum etiam ex senatoribus, atque adeo ex consularibus viris eligebantur. Tanta erat eorum auctoritas ut ab iis appellari non posset.

[i] *Confusionem*] Vox frequens non modo apud Plinium, sed apud alios illius temporis scriptores, pro eo quod est 'tristitia.'

[j] *Amicitiæ specula*] In littore eminentiore, inquit Lipsius, unde ami-

recursum; nec sustinuit recedentem non etiam atque etiam votis, lacrymis, sequi. 5. Nam de liberalitate taceo. Quibus enim muneribus æquari hæc cura principis, hæc patientia, potest, qua meruisti, ut ille sibi nimium fortis, ac prope durus, videretur? Nec dubito, quin agitaverit secum, an gubernacula[g] retorqueret: et fecisset, nisi quod pæne ipso contubernio principis felicius jucundiusque est desiderare principem[k] desiderantem. 6. Et ille[l] quidem, ut

[g] *Navim.*

spectans maria, precatusque celerem, &c. Exc. Voss. *nec abstinuit;* cod. Patav. *nec sustinuit recedentem, non abstinuit etiam atque etiam votis, lacrymis, sequi;* Salisb. et Schwarzian. *votis lacrymisque sequi.*—5 Salisb. et Schwarzian. *quam meruisti.* Vulgo, *desiderare principem.* 'In his verbis codex noster vocabulo *principem* addit *desiderantem.* Eandemque vocem prodit primus Gudii liber; et jam evulgarunt Cuspinianus, Rhenanus, Gruterus. Digna ea est, ex sententia Lipsii, quæ recipiatur; convenit enim argutiis Plinianis. Neque vero tam jucundum est, simpliciter desiderare absentem; quam desiderare eum, a quo sentias etiam te desiderari. Deinde legitur in libris omnibus impressis, *ut maxima fructus suscepti, &c.* Primus Livineius: '*Maximo,*' inquit, 'bene est in veteri codice; sed et *fructu* arbitror legendum, non *fructus.*' Atque, en, ita diserte codex noster, *maximo fructu suscepti, &c.* Inde locus hic ita concinnandus est: *Et fecisset, nisi quod pæne ipso contubernio principis felicius jucundiusque est, desiderare principem desiderantem. Et ille quidem, ut maximo fructu suscepti, ita majore depositi officii gloria, fruitur.* Non plane insolens est, dicere, 'fructu frui;' haud secus, ut veteres dixere, 'somniare somnium,' 'gaudere gaudium,' et quæ sunt longe plura generis ejusdem. Ac plane ita locutus est alius Panegyristes, in Paneg. Constantino Augusto dicto, cap. VII. 5. 'duplici fructu fruebantur.' Nihilominus, si nobis liceat sine auctoritate esse audacibus, voce *fructus* prorsus omissa, ut quæ forte ex verbo sequente *fruitur* conficta potuit irrepere, malimus reponere, *Et ille quidem, ut maxima suscepti, ita majore depositi officii, gloria fruitur.* Parum juvat, quod in altero Gudii libro pro *maxima, maxime,* et pro voce *depositi, deposita,* legamus.' *Schwarz.* 'Mihi quoque jamdudum in mentem venit probataque est tua emendatio ita rescribentis: *maxima suscepti.* Dum igitur sequeris tuum ingenium, felicior es, quam cum sequeris codicem tuum, in quo inepta argutia hæc verba extant: *desiderare principem desiderantem.* Quæso, ut cogites, an non pro *desiderare principem* scribendum sit *desiderari a principe.* Mihi quidem id non est dubium.' *Heuman.* 'Cum adeo certa hæc habeatur viro eruditissimo emendatio, *desiderari a principe,* omnes fateor intendi ingenii vires, ut undique colligerem ea argumenta, quibus et mihi persuaderi

NOTÆ

cum videret, et oculis prosequeretur abeuntem. Addo ego, ubi dabat omnibus perfectum amicitiæ signum. Hic enim locus duplicem pati sensum potest.

[k] *Desiderare principem*] Quam præsente frui. Plin. Epist. II. 15. 'Nihil enim æque gratum est adeptis, quam concupiscentibus.'

[l] *Ille*] Sura nimium durus, qui invito principe, cui ita carus erat, præfecturam deponeret ut in otium secederet.

maximo fructu suscepti, ita majore depositi officii gloria, fruitur: tu autem facilitate ista consecutus es, ne quem retinere videaris invitum.

CAP. LXXXVII. 1. Civile hoc erat, et parenti publico convenientissimum, nihil cogere;[h] semperque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam dari posse, ut non sit gratior potestate libertas. 2. Dignus es, Cæsar, qui officia mandes deponere optantibus; qui petentibus vacationem,[i] invitus quidem, sed tamen, tribuas; qui ab amicis, orantibus requiem, non te relinqui putes; qui semper invenias, et quos ex otio revoces, et quos otio reddas. 3. Vos quoque,[a] quos parens noster familiariter inspicere dignatur, fovete

[h] *Nemini in ulla re vim facere.*
[i] *Postulantibus facultatem vacandi a rebus publicis.*

posset, et veritas Plinio restitui. Sed, qui meus est stupor, nondum adeo felici esse contigit, ut vel in verosimilem aliquam rationem inciderim, qua permotus tam longe a ductibus literarum auderem recedere. Contra in participio *desiderantem* multo elegantius videbatur inesse, quod volebat Heumannus, *desiderari a principe:* ita utrumque conjungebatur, ut et princeps desideraret absentem, et ipse absens principem desiderantem. Ideo credere sustinui, nihil magis Plinianum vel dici vel fingi potuisse. Confirmarunt veritatem Livineii codex, Vossii et Guelph. editio anni 1476. Frobeniana, et nuper Patarol. et Gesnerus, sed aberat a Veneta 1498. et ex ea corrupta scriptura conjecerat Perizonius, *desiderare se principem.* In sequentibus vellem non adeo hæsitasse viros summos. Ignorantiæ librariorum id facile condonamus, qui ideo in Voss. dederunt *maximo fructus,* et in Guelph. *maxime fructus,* unde cum aliis conjiciebat optimus Cortius *maximo fructu,* et ita edidit Gesnerus: sensu quidem aperto, attamen contra genium auctoris, qui, ut toties jam dictum, in duobus orationis membris uno tantum utitur vel verbo vel substantivo, quod ad utrumque referri debeat; adeoque hic *fructu* abundaret, cum mox *gloria* sequatur. Vide ad cap. LX. 5. Omnis difficultas orta est ex ambiguitate vocis, cum *fructus* hic sit participium, non substantivum. Quare duo tempora distinguit orator, præteritum, quo tantus honor in eum esset delatus, et præsens, quo eum iterum deposuit. Lipsius, qui aliter hunc locum cepit, inter *fructum* illum etiam recenset *opes* ex gesta præfectura relatas. Sed non solet Plinius, nec optimus quisque, id viris cordatis et rectis ingeniis laudi ascribere, quod ex gestis honoribus auctiores et lautiores evaserint, et tali gloria fruerentur, quæ potius humiles animos et sordidos deceat. Perizonius, qui bene verum sensum perspexerat, tamen præferre malebat *fruitus:* ita clarior sane sententia, nescio tamen, an verior. Pro *videaris,* Voss. *videamus;* Guelph. *videmus.'* Arntz. Vide Nott. Varr.

CAP. LXXXVII. 1 *Civile erat* cod. Patav.—2 *Dignus es* desunt in cod. Schwarzian.—3 Cod. Patav. et Exc. Voss. *quos princeps noster.* Pro *fovete,* omnes codd. Schwarzii habent *fovet;* et sic edd. Puteol. Beroald. Catan. 1.

NOTÆ

[a] *Vos quoque*] Transfert orationem ad senatores quos præsentes videbat.

judicium ejus, quod de vobis habet. Hic vester labor est. 4. Princeps enim, cum in uno probavit, amare se scire, vacat culpa, si alios minus amat.[b] Ipsum quidem quis mediocriter diligat, cum leges amandi non det, sed accipiat? Hic præsens,[c] ille mavult absens, amari; uterque ametur, ut mavult: nemo in tædium præsentia, nemo in oblivionem absentia, *venit*. 5. Tenet quisque locum, quem *semel* meruit;[d] faciliusque est, ut oculis ejus vultus absentis, quam ut animo caritas excidat.

CAP. LXXXVIII. 1. Plerique principes, cum essent civium domini, libertorum erant servi.[e] Horum consiliis, horum nutu, regebantur; per hos audiebant, per hos loquebantur; per hos præturæ etiam, et sacerdotia, et consulatus; immo et ab his petebantur. 2. Tu libertis tuis summum quidem[f]

2. et Cuspin. *fovete* habent Ald. Catan. an. 1519. Ascens. Junt. Gryph. Sichard. et receutt. Omnino deest in cod. Guelph. *fovete sancte* Rhenan. idque notavit Livin. in marg. ed. suæ, sed ita, ut monuerit; forte pro *sancte* legendum esse *sane*.—4 Verba, *ut mavult*, desunt in cod. Guelpherbytano. codd. Salisb. Patav. et Exc. Voss. item edd. Puteol. et Beroald. *nemo interdum præsentia.* Pro simplici *præsentia* cod. Paris. habet *præsentia sua.* Mox, pro *venit*, quod servant codd. Patav. et Schwarzian. alii codd. cum edd. vulgg. habent *veniat.*—5 *Tenet quis locum* codd. ap. Schwarz. item edd. Beroald. et Catan. *Tenet quisque locum* edd. Puteol. Ald. Cuspin. Ascens. Junt. Gryph. et receutt. *quem semper meruit* cod. Patav. et edd. ante Livin. et Lips. omnes; *quem semel meruit* omnes alii codd. et edd. receutt. et sic conj. Livin. et Lips. *caritas abscedit* cod. Schwarzian.

CAP. LXXXVIII. 1 *Horum c. horum natu* codd. Venett. 1. 2. *Horum c. h. arbitratu* cod. Paris. Mox, Guelph. *per hos audiebat, per hos loquebatur.*—2 Pro *summum quidem honorem,* Lipsius censuit rescribendum, *suum quidem*

NOTÆ

[b] *Si alios minus amat*] Ut enim Trajanus amat bonos, sic quos non amat, habentur ab omnibus indigni hoc amore, idque eis vitio vertitur potius, quam principi.

[c] *Hic præsens*] Alii ita amari volunt a principe, ut abesse sibi ab aula liceat: alii, ut adesse semper. Utrumque concedit Trajanus.

[d] *Quem semel* [*semper*] *meruit*] Melius Lipsius, *quem semel meruit.*

[e] *Libertorum servi*] Ut Claudius, qui Posidis, Felicis, Harpocræ, Polybii, et Pallantis libertorum studio ac libidine honores et immunitates dispensabat. Suet. c. 28. et 29. De Narcisso Juvenal. Sat. XIV. 329. Galba item duorum libertorum arbitrio nihil non gerebat. Idem de Vitellio traditur.

[f] *Summum quidem*] Malim cum Lipsio, *suum quidem*, ut enim Plinius Epist. VI. 30. refert: cum Eurythmus Trajani libertus idem, et procurator, accusaretur, et hæredes pro sua erga imperatorem reverentia accusa-

honorem, sed tanquam libertis, habes; abundeque sufficere his credis, si probi et frugi existimentur. Scis enim, præcipuum esse indicium non magni principis, magnos libertos. 3. Ac primum neminem in usu habes, nisi aut tibi, aut patri tuo, aut optimo cuique [principum] dilectum: deinde statim hos ipsos [g] quotidie ita formas, ut se non tua

honorem, quæ scriptura Baudio, Cevæ, et Gesnero placuit. Hæ voces, *abundeque sufficere credis*, desiderantur in cod. Paris. *que* deest in Schwarzian. —3 'Olim in multis libris minus apte legebatur, *optimo cuiquam principum;* quam lectionem adhuc retinuit Patarol. Sed jam Beroaldus et Lipsius pro *cuiquam*, recte rescripserunt *cuique;* quod et codicum Mss. suffragiis nunc confirmatur; ac nominatim alterius libri Gudiani auctoritate etiam vocem *principum* eliminare velim. Quot enim ante Trajanum et Nervam erant principes optimi, quibus, qui tunc vivebant rerum administri, potuerint probari? Satis ad laudem eorum erat, si Trajano, aut Nervæ, aut cuique optimo, cujuscumque fortunæ homini, probati essent. Deinde Lipsius in hoc loco illud *statimque* corruptum existimavit, rescribendum opinatus, *dilectum æstimatumque;* verum nulla varietatis vestigia hic animadvertimus, neque necesse putamus, ut pristinam scripturam rejiciamus: contra autem particulam *et*, ante voces *tanto magis*, positam, malimus dimittere, aut saltem cum particula *at* commutare.' *Schwarz.* 'Bene *cuiquam*, quod erat in antiquissimis etiam editis, mutatum est in *cuique*, cum additus superlativus istam voculam requirat, ut latius ostendimus ad Victor. Epit. XLII. 21. Nec aliter statim cap. 90. 'Ille optimi cujusque spoliator et carnifex.' *Principum* rejecit quoque Gesnerus: exemplum id non ausus sum sequi, cum mihi persuadeam, oratorem hic Trajanum non tam cum reliquis civibus conferre, et ad eos respicere, quam potius reliquos præcedentes principes, quod per totum hunc Panegyricum facit ubique. Cur non licet intelligere Vespasianum, Titum, Nervam? In meis Vossii excerptis nihil hic desiderabatur. Deinceps repetitio et cumulatio tot adverbiorum non video, quomodo cuiquam possit, aut debeat placere, et tamen ita constanter reperi editum, nisi quod interpres Minellianus dederit *dictum:* (errore typothetarum certe pro *dilectum:*) *hos ipsos quotidie statimque deinde ita formas;* multo ineptius. Et codex Guelph. *statimque ut hos tam ipsos.* Etenim vix dubito, quin gravius ulcus lateat, quod non nisi a melioribus codicibus curationem expectat. Lipsii illud *æstimatumque* vereor, ne transcendat statum et conditionem libertorum, quibus satis erat, si existimarentur probi et frugi sub bonis principibus. Crederem ad principum illorum, qui non nisi meritos et dignos ad suam amicitiam admitterent, laudem potius pertinere, si dixisset, *dilectum probatumque*, quæ conjectura minus audax videtur, cum prima syllaba nota literæ *p* exprimatur. Et sic sane Noster Epist. VII. 9. 'Qui sint hi, adeo notum probatumque est, ut demonstratione non egeat.' Inspice ibi Cortium et Pricæum ad II. Timoth. 2. 15. Et si audaciori esse liceat, potuit vox *deinde*, quæ satis supervacua est, originem traxisse ex duabus ultimis syllabis præcedentis *quotidie;* ut legi posset, *dilectum probatumque; hos ipsos quotidie ita.* Vel co-

NOTÆ

tionem hanc remitterent, Trajanus pulcherrime dixit, 'Nec ille Polycletus, nec ego Nero.'

[g] *Statim hos ipsos*] Corruptum hunc locum ita restituunt Gruterus et Lipsius: *Aut optimo cuique principum dilectum, æstimatumque: hos ipsos quotidie deinde ita formas.*

fortuna,[h] sed sua,[i] metiantur; et tanto magis digni, quibus honor omnis præstetur a nobis,[j] quia non est necesse. 4. Justisne de causis S. P. Q. R. 'Optimi'[k] tibi cognomen adjecit? Paratum id quidem, et in medio positum,[k] novum tamen.[l] Scias, neminem ante meruisse; quod non erat excogitandum,[l] si quis meruisset. 5. An satius fuit, 'Felicem'[m] vocare? quod non moribus, sed fortunæ, datum est. Satius, 'Magnum?'[n] cui plus invidiæ, quam pulchritudinis, inest. Adoptavit te optimus princeps in suum,[o] senatus in 'Optimi,' nomen. 6. Hoc tibi tam proprium, quam paternum;[p] nec magis definite distincteque designat, qui

[k] *Facile illud quidem, et omnibus notum.*
[l] *Quod non erat magno labore quærendum.*

gitaveram aliquando, an scripsisset Plinius, *dein te ita formas.* Verum non libenter similibus conjecturis indulgeo. Conjunctionem *et* delendam crediderat Livineius, idemque illud in mentem venerat Perizonio. Puto male immerenti dicam scribi. Porro *quia est necesse* Guelph.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—4 *Scias n. ante te meruisse* cod. Patav.—5 *Adoptavit te optimum* edd. Boxhorn. et Cellar. Mox, *senatus in optimum nomen* codd. Salisb. et Schwarzian.—6 Plurimi codd. ap. Schwarz. *distincte definiteque.* In nonnullis codd.

NOTÆ

[h] *Non tua fortuna*] Cum se tanti imperatoris libertos sentiant.

[i] *Sed sua*] Sed libertina conditione sua.

[j] *A nobis*] Senatoribus.

[k] *Optimi*] Cognomen illud hoc anno Trajano datum est a senatu, sed ut supra cap. XI. diximus, nono tantum post anno in titulis est usurpatum.

[l] *Novum tamen*] At enim Scipio Nasica id nominis habuit, ut habet Seneca Ep. XIX. Omnino; sed non erat ille imperator. Idem assumsit Caius, inquit Suet. sed illud quidem assumsit, non habuit a senatu.

[m] *Felicem*] Fortasse Augustum: principibus enim acclamari solitum erat 'Felicior Augusto, Trajano melior:' vel potius L. Syllam Felicem cognomento dictum, seu quod hostes pæne innumeros feliciter superasset; seu quod placidam dictaturam, quod nemini hucusque contigerat, diu gessisset, et cum libitum fuerat deposuisset: seu demum quod, cum parvulus inter nutricis brachia gestaretur, de via occurrens mulier nescio qua: 'Salve,' inquit, 'puer, et tibi, et reipublicæ felix,' quod bonæ mulieris omen sibi non injucundum edicto longo post tempore confirmavit. Ita Plutarchus.

[n] *Magnum*] Pompeium puta: quem Africa subacta in urbem redeuntem occurrens Sylla 'Magnum' consalutavit, ut ait Plutarchus in ejus, et in Crassi Vita.

[o] *In suum*] Id est, in Nervæ nomen; nam dictus est M. Ulpius Nerva Trajanus.

[p] *Quam paternum*] Id est, quam Trajani nomen, quod a patre habes.

'Trajanum,' quam qui 'Optimum' appellat: ut olim frugalitate Pisones,[q] sapientia Lælii,[r] pietate Metelli,[s] monstrabantur; quæ simul omnia uno isto nomine continentur. Nec videri potest optimus, nisi qui est omnibus [optimis] in sua cujusque laude præstantior. 7. Merito tibi ergo, post ceteras appellationes,[t] hæc est addita, ut major. Minus est enim, imperatorem, et Cæsarem, et Augustum, quam omnibus imperatoribus, et Cæsaribus, et Augustis, esse meliorem. 8. Ideoque ille parens[u] hominum Deorumque 'Optimi' prius,[x] deinde 'Maximi' nomine, colitur. Quo præclarior laus tua, quem non minus constat optimum esse, quam maximum.

diffinite. 'In cod. Patav. et Exc. Voss. absurde scriptum est, *qui Tyrannum, quam, &c.*' Schwarz. '*Quæ simul omnia*] In codice Paris. legimus, *quod simul omne uno isto nomine continetur: nec enim videri potest optimus.* Præterea in cod. Patav. et Exc. Voss. pro *uno* scriptum est *nonne;* sed nihil in his mutamus.' *Idem.* Hæc verba, *nisi qui est omnibus*, desunt in codd. Vat. 3. et Venet. 1. *nisi qui est optimus* habent codd. Vat. 4. et Guelph. *nisi qui est omnibus optimus* codd. Venet. 2. Patav. Schwarzian. et a m. pr. Salisb. *in sua quisque, &c.* cod. Patav. et Exc. Voss. Vide Nott. Varr.—7 Pro *addita*, cod. Patav. habet *debita;* Paris. *addita, ut omnibus major.* Mox, idem codex, *et Augustum dici.* Codd. Salisb. et Schwarzian. *Minus est enim, Imperatorem, et Cæsarem, et Augustum, esse meliorem*, omissis intermediis.—8 Codd. Salisb. et Schwarzian. *quæ non minus;* cod. Patav. et Exc. Voss. *qua non minus.*—

NOTÆ

[q] *Frugalitate Pisones*] 'Frugales' dicti, non quia abstinentes, sed quia multis utiles, id est, fructuosi. Plin. lib. XVIII. Val. Max. IV. 3. 10.

[r] *Sapientia Lælii*] Fuit Scipioni intimus ejusque legatus perpetuus. Is cum agrariæ legi vellet intercedere, veritus ne civitatis locupletes, quos ea in re sibi adversos sentiebat, concitaret, ab incœpto destitit, et sapientis propterea cognomen meruit, ut habet Plutarchus, et Tullius pro Murænâ cap. 66. 'Quis vero C. Lælio sapientior?' &c.

[s] *Pietate Metelli*] Utrum L. Cæcilii Metelli, cujus egregia pietate Palladium ab incendio servatum refert Plinius VII. 43. an Q. Metelli, qui ad pedes Furii trib. plebis cum lacrymis in conspectu populi provolutus, et pro Numidico patre supplex, nihil quidem ab eo consecutus est, sed anno post a populo tandem obtinuit, ut pater ab exilio revocaretur. Ita Appianus Bell. Civ. lib. I.

[t] *Ceteras appellationes*] Ut 'imperatoris,' 'Cæsaris,' 'Augusti,' 'Germanici,' 'patris patriæ,' quibus ante donatus est, quam 'optimus' appellaretur.

[u] *Ille parens*] Antiqui Deos omnes 'patres' vocabant: sic Jupiter πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶντε· sic pater Apollo, Liber, Neptunus, Vulcanus, Mars, &c.

[x] *Optimi prius*] 'Jupiter ante optimus dicitur, id est, beneficentissimus, quam maximus: quia majus est certeque gratius prodesse omnibus, quam opes magnas habere,' Tullius de Nat. Deor. lib. II.

9. Assecutus es nomen, quod ad alium transire non possit, nisi ut appareat in bono principe alienum, in malo falsum: quod licet omnes postea usurpent, semper tamen agnoscetur ut tuum. 10. Etenim, ut nomine 'Augusti' admonemur ejus, cui primum dicatum est; ita hæc 'Optimi' appellatio nunquam memoriæ hominum sine te recurret, quotiesque posteri nostri 'Optimum' aliquem vocare cogentur, toties recordabuntur, quis meruerit vocari.

CAP. LXXXIX. 1. Quanto nunc, dive Nerva,[a] gaudio frueris, cum vides, et esse optimum, et dici, quem tanquam optimum elegisti! Quam lætum tibi, quod comparatus filio tuo vinceris![*] Neque enim alio magis approbatur animi tui magnitudo, quam quod optimus ipse non timuisti[b] eligere meliorem. 2. Sed et tu, pater Trajane, (nam tu quoque, si non sidera,[c] proximam tamen sideribus obtines sedem,) quantam percipis voluptatem, cum illum tribunum,[d] illum militem tuum, tantum imperatorem, tantum princi-

[*] *Inferior illo es.*

9 *Assecutus es nomen, quod ad alium transire non possit, nisi ut appareat usurpatum. Semper tamen agnoscitur ut tuum* cod. Patav. et Exc. Voss. *quod alium,* omissa præpositione, codd. Vat. 4. et Guelph. Pro *agnoscetur,* Vat. habet *cognoscetur.*—10 Guelph. in ultimis hujus cap. verbis, pro *meruerit,* habet *meminerit.*

CAP. LXXXIX. 1 In cod. Guelph. scriptum est *fueris* pro *frueris.* In Patav. et Exc. Voss. hæc verba transposita sunt: *cum vides, et esse optimum, et dici, tanquam optimum, quem elegisti.* In codd. Patav. et Exc. Voss. *invocerie* pro *vinceris;* et H. Steph. in margine annotavit, *vincereris.*—2 'Annon melius dixisset Plinius sic: *illum militem, illum tribunum tuum?*' Gesner. '*Pal-*

NOTÆ

[a] *Dive Nerva*] Convertit orationem ad Nervam, qui, anno post ejus mortem altero, fuerat a Trajano consecratus.

[b] *Non timuisti*] Quod fecisse Augustus a nonnullis reprehenditur, qui eo tantum Tiberium adoptavit, 'ut comparatione pessimi gloriam sibi augeret,' Tac. Annal. III. 10.

[c] *Si non sidera*] Debet enim aliquod esse discrimen inter privatum hominem, qualis fuerat Trajani pater, et Nervam imperatorem. Lucan. IX. 6. 'Quodque patet terras inter lunæque meatus, Semidei manes habitant, quos ignea virtus, Innocuos vita, patientes ætheris imi Fecit.' Manilius I. 168. 'Altius ætherei qua candet circulus orbis, Illa Deum sedes: hæc illis proxima, Divum Qui virtute sua similes vestigia tangunt.'

[d] *Illum tribunum*] Supra cap. XV. tribunum fuisse Trajanum dicit: haud dubie sub patre, sive in Judæa, sive apud Parthos, ut ostendimus in Trajani Vita.

pem, cernis; cumque eo, qui adoptavit, amicissime contendis, pulchrius fuisse [b] genuisse talem, an elegisse? 3. Macte uterque ingenti in rempublicam merito, cui hoc tantum boni contulistis! Licet alteri vestrum filii virtus triumphalia,[e] cœlum alteri, dederit: non minor tamen vestra laus, quod ista per filium, quam si ipsi meruissetis.

CAP. XC. 1. Scio, Patres Conscripti, cum ceteros cives, tum præcipue consules, oportere sic affici, ut se publice magis, quam privatim, obligatos putent.[c] 2. Ut enim malos principes rectius pulchriusque est ex communibus injuriis odisse, quam propriis;[d] ita boni speciosius amantur ob ea, quæ generi humano, quam quæ hominibus,[e] præstant. 3. Quia tamen in consuetudinem[f] vertit, ut consules, publica gratiarum actione perlata,[g] suo quoque nomine, quantum debeant principi, profiteantur: concedite me non pro me magis, munere isto, quam pro collega meo, Cornuto

[b] *Utrum gloriosius fuerit.*
[c] *Sic affectos esse debere, ut credant magis se obligatos esse principi ob beneficia, quæ in omnes, quam ob ea, quæ in se ipsos conferuntur.*
[d] *Propter communes injurias, quam propter privatas.*
[e] *Privatis.* [f] *Transiit in morem.* [g] *Habita.*

chrius fuisse] Vellem, *fueritne.*' Lips. '*Fuerit genuisse* conjiciebat in margine Livineius, minori multo cum mutatione, cum negandi particula in primo membro, tum a Nostro, tum ab aliis haud raro omittatur, de quo diximus ad cap. XL. 'Exigas, quod deberi non oportuerat, an constituas, ut debeatur?' Nihil tamen mutaverim, non enim video, cur non recte post *contendis* infinitivus tolerari possit; certe nihil variatur in codicibus, nisi quod *genuisse* extrudat Guelph.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—3 Solus cod. Patav. et Exc. Voss. *tantum bonum contulistis.*

CAP. XC. 1 In quibusdam libris, *obligatos principi putent.*—2 *Ut enim principes* cod. Patav. Exc. Voss. cum edd. Putean. et Baun.—3 Cod. Patav. et Exc. Voss. item edd. Puteol. Catan. Steph. Sichard. Cellar. et Gesn. *in consuetudinem venit;* codd. Livin. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. et Schwarzian. *in c. vertit;* verbum *vertit* habent etiam edd. Beroald. Lips. Putean. Grut. Baun. et Arntz. Mox, cod. Patav. et Exc. Voss. *actione præclari.* Vossius malit, *gratiarum actione peroruta.* Cod. Schwarzian. *actione prælata.* Paulo post, idem codex, pro *concedite*, habet *credite.* Deinde

NOTÆ

[e] *Triumphalia*] Non victoriam et triumphum, ut credere videtur Lipsius, quod non admodum Trajano patri esset honorificum, si victoriam suam puero debuisset, sed marmoream aut æream statuam, quæ in porticu, aut arcu imposita triumphantem exhiberet. Igitur Nervam adoptione patrem consecravit. Trajano autem patri statuam erexit.

Tertullo,[f] clarissimo viro,[g] fungi. 4. Cur enim non pro illo quoque gratias agam, pro quo non minus debeo? præsertim, cum indulgentissimus imperator in concordia nostra ea præstiterit ambobus, quæ si tantum in alterum contulisset, ambos tamen æqualiter obligasset. 5. Utrumque nostrum ille[h] optimi cujusque spoliator et carnifex, stragibus amicorum,[i] et in proximum jacto fulmine[j] afflaverat. Iisdem enim amicis gloriabamur; eosdem amissos lugebamus: ac, sicut nunc spes gaudiumque, ita tunc communis nobis dolor et metus erat. 6. Habuerat hunc honorem periculis nostris divus Nerva, ut nos, etsi minus, ut bonos

voces *clarissimo viro* desunt in ed. Patarol. In omnibus codd. et aliquot edd. tantum per siglas *C. V.* designantur; quæ siglæ in margine cod. Patav. explicantur *consulatui vestro.* At *consulari viro* in notis habet Catan. et in ipso contextu expresserunt Ald. Steph. Gryph. Sichard. et Boxhorn. Vide Nott. Varr.—4 Codd. Vatt. 1. et Patav. *pro quo minus debeo.* Mox, cod. Schwarzian. *quæ si tamen.*—5 Guelph. pro *afflaverat* habet *adfluerat.* Pro *eosdem amissos*, ed. Lips. habet *eosdem amicos.* Codd. Vat. 4. Paris. Venett. 1. 2. Guelph. Salisb. Patav. Schwarzian. et ed. Hack. *sicut spes*, omissa particula *nunc.*—6 'Lipsio hæc visa sunt in vitio esse, ægre sine libris tollendo. Idem nisus est defectum sic supplere: *etsi minus notos, ut bonos tamen, &c.* Quod supplementum in contextum Panegyrici admisere Berneggerus et Hackius. Codd. Venetus et Guelpherbytanus referunt vulgatam scripturam; Parisiensis codex, item et Noster, ac nonnulli libri excusi, omittunt particulam *tamen.* Nos aliquando opinabamur, *bonos* hoc loco more Sallustiano, pro optimatibus et opulentis hominibus dici. Sic enim loqui censetur Sallustius, in Catilin. XIX. 2. XXXIII. 3. et in Jugurth. XLII. 3. At nec nobis ipsis nunc hæc satisfacit explicatio. Acquiescimus interea vulgari lectione, usque dum melior e vetustis codicibus eruatur, existimantes, Plinium ex modestia noluisse ipsum se, suumque collegam, *bonos* vocare: haud secus fere, ac sequenti capite XCI. 3. 4. ait: 'Obstat verecundia, quo minus percenseamus, quo utrumque nostrum testimonio ornaris;...Merito, necne, neutram in partem decernere audeamus,'' &c. *Schwarz.* '*Etsi minus, ut bonos tamen prom.* Cell. *Et si minus ut b. p.* Hearn. *Etsi minus notos, ut bonos ta-*

NOTÆ

[f] *Cornuto Tertullo*] Cujus sanctitatem laudat Plinius Epist. XV. 5.

[g] *Clarissimo viro* [*C. V.*] Id est, *clarissimo viro* ut putat Livineius ex veteri codice. Alii legunt *consulari viro*, sed Cornutus Tertullus nullum adhuc consulatum gesserat.

[h] *Ille*] Domitianus, qui optimos quosque interfecerat, ut illorum bonis ditesceret.

[i] *Amicorum*] Plin. Epist. III. 11. 'Occisis Serecione, Rustico, Helvidio: relegatis Maurico, Gratilla, Arria, Fannia.'

[j] *Jacto fulmine*] Eo pertinet illud Plinii l. I. 'Tot circa me jactis fulminibus quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitium certis quibusdam notis augurabar.' Has imperatorum animadversiones Ovidius 'fulmina' appellat: 'Sævum prælustri fulmen ab arce venit.'

tamen promovere vellet; quia mutati sæculi signum et hoc esset, quod florerent, quorum præcipuum votum ante fuerat, ut memoriæ principis elaberentur.[h]

CAP. XCI. 1. Nondum biennium compleveramus in officio[k] laboriosissimo et maximo, cum tu nobis, optime principum, fortissime imperatorum, consulatum obtulisti; ut ad summum honorem gloria celeritatis accederet. 2. Tan-

[h] *Qui antea id præcipue optabant ut ne princeps de se cogitaret.*

men prom. etiam Gesnerus; sed quis talem jactantiam in Plinio non miraretur? Concinnum illud et breve dicendi genus iterum oratori fraudi fuit, propter quod toties inpuris manibus est laceratus innocens. *Tamen* abest a codice Livineii, Voss. et Guelph. teste ipsius Vossii manu et doct. Longolii; ab edit. 1476. et 1498. et a sequentibus aliis. Optime: sensus est: Si non extulerit nos ad dignitates, ideo quod boni essemus, id fecit tamen, ut honorem haberet nostris periculis; ideo scilicet, ut sub bono principe felicitate sæculi frueremur, qui sub malo damna pati debueramus. Nihil planius, nihil humanitate Pliniana dignius: et hanc expositionem sequentia confirmant. Omnis certe erroris causa orta est ex parva origine, cum non tulerint librarii, *etsi* poni, si non sequeretur *tamen*. Et hinc etiam in varios sententiarum gurgites abstracti sunt VV. DD. At hodie notum est satis, voculas 'etsi,' 'quamvis,' 'quanquam,' et similes poni, licet in sequentibus non respondeat *tamen*, sed ipsa cogitatione debeat suppleri. Plautus Mil. II. 6. 51. 'Etsi ea est, non est ea.' Egregie ita veterem scripturam vindicavit Gronovius ad Liv. XXII. 20. 'Quanquam terra hostium erat, armatamque aciem toto prætentam in littore cernebant, haud cunctanter insecuti.' Scilicet ibi vetustæ edd. eodem modo ac hic, *cunctanter tamen* largiebantur de suo. Avianus Fab. XVIII. 9. 'Et quamvis audax, factisque immanior esset, Tantorum solus viribus impar erat.' Consule ibi nostrum Cannegieterum, Cortium ad Sallust. Jug. XXV. 9. et Burmannum ad Suetonium Galba cap. 3. 'Quanquam brevi corpore atque etiam gibber, causas industrie actitavit.' Et ibi turbabatur, uti apud Nostrum Epist. IX. 1. ex Mediceo codice eruit Cortius: 'Quamvis legeris multis, legendosque dederis, nolo quenquam opinari;' licet in edendo illius fidem deseruerit, dubito, an bene, qui toties illius codicis integritatem perspectam habuit.' *Arntz.* Vide Nott. Varr. Mox, cod. Guelph. *primum votum.* Pro ultimo hujus cap. verbo, *elaberentur*, in cod. Vat. 1. Venett. 1. 2. Patav. Schwarzian. et Exc. Voss. item et in ed. Puteol. *elaberemur.*

CAP. XCI. 1 Libri scripti ap. Schwarz. habent *biennium compleveramus;* nonnulli impressi, *biennium compleramus.* Mox, Behrius conj. *gratia celerita-*

NOTÆ

[k] *In officio*] In præfectura ærarii. Ad quod munus una cum Cornuto promotus fuerat a Nerva. Quo tempore, quia Trajanus, licet ab urbe absens, Nervæ collega erat, Plinius videtur utrique acceptum id referre, Epist. x. 20. 'Ut primum me, domine, indulgentia vestra promovit ad præfecturam ærarii Saturni,' &c. De præfectura illa ipse Plinius Epist. I. 10. 'Distringor,' inquit, 'officio ut maximo, sic molestissimo. Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas; scribo plurimas, sed illiteratissimas literas.' Quam præfecturam quando gesserit, vide in Plinii Vita.

tum inter te et illos principes interest, qui beneficiis suis commendationem ex difficultate[1] captabant, gratioresque accipientibus honores arbitrabantur, si prius illos desperatio, et tædium, et similis repulsæ mora, in notam quandam, pudoremque,[a] vertissent. 3. Obstat verecundia, quo minus percenseamus, quo utrumque nostrum testimonio ornaris: ut amore recti, amore reipublicæ, priscis illis consulibus æquaveris.[b] 4. Merito, nec ne, neutram in partem decernere audeamus; quia nec fas est affirmationi tuæ derogare; et onerosum confiteri, vera esse, quæ de nobis, præsertim tam magnifica, dixisti. 5. Tu tamen dignus es, qui eos consules facias, de quibus possis ista prædicare. Tribuas veniam, quod inter hæc beneficia tua gratissimum est nobis, quod nos rursus[m] collegas esse voluisti. 6. Ita charitas mutua, ita congruens tenor vitæ, ita una eademque ratio propositi, postulabat: cujus ea vis, ut morum[n] similitudo concordiæ nostræ gloriam minuat; ac perinde sit mirum, si alter nostrum a collega, ac si a se ipse dissentiat. 7. Non ergo temporarium et subitum est, quod uter-

[a] *In ignominiam quandam et dedecus.*
[b] *Nos pares esse dixeris.*

tis; Vatt. 1. 4. et Guelph. habent *gloria claritatis;* cod. Patav. et Exc. Voss. *gloria celebritatis.*—2 *Tantum enim inter te* codd. Schwarzian. et Guelph. Mox, Schwarz. conj. *si prius illis desperatio, &c.*—3 Nonnulli codd. *illis consulibus æquaris.*—4 *Merito, nec neutram, &c.* codd. Salisb. et Schwarzian. *Meritone, neutram, &c.* cod. Patav. et Exc. Voss.—5 In codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venett. 1. 2. et Schwarzian. hæ voces sic transponuntur, *ista possis.* Exc. Voss. non agnoscunt illud *possis;* et in iisdem, itemque in cod. Patav. pro *Tribuas,* scriptum est *Tribuis.* Mox, in verbis, *quod nos rursus, &c.* pronomen *nos* desideratur in codd. Vat. 4. Paris. et Schwarzian.—6 In verbis *ita una eademque ratio,* duas priores voces, *ita una,* prorsus omittit cod. Patav. itemque punctis subnotatas, easque tanquam delendas, exhibet liber Vossii. 'Mox, vulgo legitur, *a se ipse dissentiat;* at codd. Livin. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Patav. et Schwarzian. item edd. Puteol. Cuspin. et Philomus. habent *a se ipse dissentiat;* quod multo elegantius esse putat Arntzenius, eandemque dicendi rationem exemplis comprobat. Ipse Plinius supra, LXXI. 5. 'Si se ipse submittat.'' *Schwarz.*—7 Cod. Guelph.

NOTÆ

[1] *Ex difficultate*] Eo enim res pluris fiunt, quo difficilius parantur.

[m] *Rursus*] Qui collegæ in ærarii præfectura jam fuimus.

[n] *Ut morum*] Ut qua sumus morum similitudine, non admodum mirum sit aut gloriosum, quod tam concordes vivamus.

que collegæ consulatu, tanquam iterum suo, gaudet; nisi, quod tamen, qui rursus consules fiunt, bis quidem, sed temporibus diversis, obligantur: nos duos consulatus accipimus simul, simul gerimus, alterque in altero consules, sed iterum et pariter sumus.

CAP. XCII. 1. Illud vero quam insigne, quod nobis præfectis ærario consulatum ante, quam successorem,[a] dedisti? Aucta est dignitas dignitate: nec continuatus tantum, sed geminatus[b] est honor, finemque potestatis alterius, tanquam parum esset excipere, prævenit.[c] 2. Tanta tibi integritatis nostræ fiducia fuit, ut non dubitares, te, salva diligentiæ tuæ ratione, facturum, si nos post maximum officium privatos esse non sineres. Quid, quod eundem in annum[d] consulatum nostrum contulisti? Ergo non alia nos pagina,[e] quam *quæ* te consulem, accipiet: et nostra quoque nomina addentur fastis, quibus ipse præscriberis.

tanquam iterum suo gaudeat. Mox, codd. Livin. Vatt. Salisb. Patav. et Schwarzian. *accepimus simul, simul gerimus;* ubi omnes edd. habent *accipimus.* Deinde pro *consules*, quod legitur in cod. Paris. edd. Lips. Boxhorn. et Cellar. *cos.* habent edd. H. Steph. Elz. et Rivin. *cons.* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Salisb. et Guelph. itemque in edd. Puteol. Catan. Cuspin. Rhenan. et Philomus. *consul* cod. Venet. 2. et Exc. Voss. pariterque in edd. Beroald. Ald. R. Steph. Livin. Gryph. Sichard. et Baun. *et iterum* conj. Behrius.

CAP. XCII. 1 Cod. Patav. *quam successionem dedisti.* Vulgo, *neque continuatus;* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venett. 1. 2. Guelph. et Schwarzian. *nec continuatus.* Pro *excipere* cod. Schwarzian. habet *accipere.* Pro *prævenit* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venet. 1. Salisb. et Patav. habent *pervenit;* Schwarzian. *quæ venit.* Livineius conj. *altera prævenit,* probante Rittersh.—2 Vulgo, *esse facturum;* sed deest infinitivus in codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. et Schwarzian. *Quid? quod eundem inannum* (sic) *consulatus tui consulatum nostrum contulisti* ex vetere quodam cod. scripsit Onuphrius Panvinius, Fast. I. p. 7. Livin. conj. *Quid? quod tuum in annum, &c.* Mox, *quæ* deest in omnibus codd. et edd. ante Schwarz. uno cod. Parisiensi excepto, unde sumtum. Deinde pro *præscriberis*, quod servant cod. Paris. edd. Catan. Junt. Lips. et al. *perscriberis* legitur in codd. Vat. 4. Venett. 1. 2. Salisb. Schwarzian. Patav. et Exc. Voss. item in edd. Ald. Philomus. Rhe-

NOTÆ

[a] *Successorem*] In ærarii præfectura.

[b] *Geminatus*] Tum quia eodem tempore et præfecti ærario eramus, et consules saltem designati, tum quia uterque collegæ sui honore tanquam suo gaudebat.

[c] *Prævenit*] Vide chronologicam tabulam, a nobis huic operi præfixam.

[d] *Eundem in annum*] Quo tu consulatum gessisti.

[e] *Pagina*] Fastorum, in qua consulum nomina inscribebantur.

3. Tu comitiis nostris præsidere, tu nobis sanctissimum illud carmen præire,[f] dignatus es. Tuo judicio consules facti, tua voce renuntiati sumus, ut idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator, existeres. 4. Nam, quod eum potissimum mensem[g] attribuisti, quem tuus natalis exornat, quam pulchrum nobis! quibus edicto,[h] quibus spectaculo, celebrare continget diem illum, triplici gaudio[i] lætum, qui principem abstulit pessimum; dedit optimum; meliorem optimo genuit. 5. Nos sub oculis tuis augustior[j] solito currus accipiet; nos inter secunda omina, et vota certantia, quæ præsenti tibi conferentur, vehemur alacres, et incerti, ex utra[k] parte major auribus nostris accidat clamor.

Cap. xciii. 1. Super omnia tamen prædicandum videtur, quod pateris consules esse,[l] quos fecisti: quippe nullum periculum, nullus ex principe metus, consulares animos debilitat et frangit: nihil invitis audiendum, nihil coactis

nan. et Gryph. quod prætulit Arntzenius.—3 *Tuo indicio* in quibusdam codd. —4 *Nam quod ei p. mensi* codd. Vatt. Guelph. et Schwarzian. *Nam q. eos p. mensi* codd. Livin. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Patav. et Exc. Voss. Schwarzius conj. *quod ei nos p. mensi.*—5 In codd. quibusdam, ut Venet. 2. Schwarzian. Patav. Exc. Voss. item in edd. Beroald. Catan. Sichard. et Putean. *inter secunda omina.* Plurimi fere libri excussi verbo *vehemur* præponunt copulam, *et vehemur, &c.* quam copulam neque quatuor Vatt. agnoscunt, neque ambo Veneti, neque Paris. Salisb. Guelph. et Schwarzian. et nunc etiam prætermiserunt recentiores edd. Mox, in nonnullis codd. *ex utraque parte.*

Cap. xciii. 1 Cod. Patav. et Exc. Voss. *quippe nullum periculum in principe, nullus metus, consulares, &c.* Pro *metus*, cod. Guelph. habet *motus.* Mox,

NOTÆ

[f] *Carmen præire*] De hac consuetudine supra cap. 63.

[g] *Mensem*] Septembrem, ut liquet ex iis quæ sequuntur, quem ut consulatum gereremus, assignasti.

[h] *Edicto*] Consul enim in honorem natalium principis justitium et ludos indicebat. Sic 'natalem Augusti' apud Dionem legimus 'annuis circensibus, idque decreto in perpetuum celebratum.'

[i] *Diem illum, triplici gaudio*] Decimumquartum Kal. Octob. felicem 1. Domitiani morte, 2. Nervæ imperio, 3. Trajani natalibus. Sic Cæsar de alio die, 'Fortuna, quæ dicitur ludere in rebus humanis, mirificos casus in eundem diem conjecit.'

[j] *Augustior*] Eo quem, cum tribunus aut prætor esset, habuerat.

[k] *Ex utra*] Utrum a dextra, an a sinistra circi parte, major plausus audiatur.

[l] *Consules esse*] Consulum non tantum nomen, sed etiam auctoritatem retinere.

decernendum erit. Manet manebitque honori veneratio sua;[c] nec securitatem auctoritate[d] perdemus. 2. Ac, si quid forte ex consulatus fastigio fuerit diminutum, nostra hæc erit culpa, non sæculi. Licet enim, quantum ad principem, licet tales consules agere, quales ante principes erant. 3. Ullamne tibi pro beneficiis referre gratiam parem possumus, nisi tantum[m] illam, ut semper nos meminerimus consules fuisse, et consules tuos? Ea sentiamus, ea censeamus, quæ consularibus digna sunt. Ita versemur in republica, ut credamus, esse rempublicam. 4. Non consilium nostrum, non operam, subtrahamus; nec disjunctos nos,[4] et quasi dimissos consulatu, sed quasi[e] astrictos et devinctos putemus, eundemque[n] locum laboris et curæ, quem reverentiæ dignitatisque, teneamus.

CAP. XCIV. 1. In fine[o] orationis præsides custodesque

[c] *Manebit debita consulatui reverentia.* [d] *Propter auctoritatem.*
[e] *Nec liberatos nos curis consularibus, sed quasi, &c.*

Venet. 1. *manebitque honoris veneratio sua.* Pro nomine *securitatem*, in Gud. 2. annotatum est *severitatem.*—2 Cod. Schwarzian. *fuit diminutum.*—3 *Nisi tamen* conj. Livin. *tantum* habent cod. Guelph. omnes edd. vett, Cellar. Hearn. Patarol. Gesn. al. Emend. Livineii comprobavit Bucherus ad Plin. Epist. VIII. 17. *Ea sentiamus, ea teneamus* cod. Paris. In codd. Vatt. 2. 4. Paris. Guelph. et Schwarzian. omissa sunt hæc verba, *ut credamus, esse rempublicam;* quia nempe proxime antecesserat vox *republica.*—4 '*Demissos* vetustiores editi: male. Illud huic loco convenientissimum, hoc alienius, et vide ita librarios aberrantes in notis nostris ad Victor. Ill. cap. LXX. et Epit. cap. VIII. Paulo ante *nec disjunctos nos* exhibent omnes editiones, quas videre licuit. In suo exemplari et Cuspin. editione *defunctos* reperit Livineius, qui tamen eam notam addidit, 'Non placet.' At verissima ea est lectio, quam confirmant etiam Voss. et Guelph. '*Defunctus* honoribus' dicitur is, qui honores gessit, et ab iis est dimissus. Servius ad Virg. Æn. VI. 83. 'Defuncte autem, liberate, nam dicimus defunctos officio, qui officia compleruнt, unde et honoribus functi. Hinc et defunctos mortuos dicimus, qui compleverunt vitæ officia.' Val. Max. IV. 5. ex. 1. 'Consulatus jam honore defunctus:' ubi, non sunt audiendi codices, qui 'functus' legunt: sic enim idem V. 9. ex. 1. 'Honoribus ad censuram defunctus.' Et ita optimus quisque. Mox pro *devinctos* conjecerat Perizonius *revinctos.*' Arntz. Vide Nott. Varr. Solus cod. Schwarzian. habet *eum denique locum.*

NOTÆ

[m] *Nisi tantum*] Ex consuetudine Plinii pro 'nisi solum.'

[n] *Eundemque*] Id est, ut sicut primum in republica magistratum gerimus, ita omnium maxime ad reipublicæ salutem et gloriam invigilemus.

[o] *In fine*] A precatione duxerat orationis exordium; nunc eandem obsecratione religiosa concludit.

imperii, Deos,[p] ego consul pro rebus humanis, ac te præcipue, Capitoline Jupiter, precor, ut beneficiis tuis[q] faveas, tantisque muneribus addas perpetuitatem. 2. Audisti, quæ malo principi precabamur; exaudi, quæ pro dissimillimo optamus. Non te distringimus[r] votis:[f] non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes, oramus, non honores; simplex cunctaque ista complexum unum omnium votum est, 'salus principis.' 3. Nec vero nova tibi injungimus. Tu enim jam tunc illum in tutelam recepisti, cum

[f] *Non te multitudine votorum distrahimus.*

CAP. XCIV. 1 Omnes fere codd. ap. Schwarz. item edd. Puteol. et Beroald. *Divos, ego consules, &c.* cod. Patav. habet, *Divos ergo consules;* Exc. Voss. *Divo ergo consules.* Primi nostram lectionem prodidere Catan. Ald. et Cuspin.—2 Cod. Paris. *quæ sub malo principe precabamur;* Vatt. Guelph. Patav. et Schwarzian. *quæ pro malo principe precabamur;* Venet. 2. et Salisb. *quæ malo principe precabamur;* et sic etiam scriptum invenerat Livineius. Lipsius conj. *imprecabamur;* et sic edidere Berneg. et Hack. Paulo post, vox *unum* omissa est in codd. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Patav. et Schwarzian. item in ed. Puteol. et Beroald. Pro *omnium,* Puteol. habet *aium;* unde Beroald. *animum.* In codd. Vatt. et Patav. *notum* pro *votum.*—3 *Nec vero novam tibi injungimus curam* edd. Cuspin. Gryph. et Sichard. *Nec vero novam tibi injungimus. Tu enim, &c.* codd. Venett. Paris. Salisb. et Exc. Voss. qui

NOTÆ

[p] *Custodesque imperii, Deos*] Sui erant singulis urbibus Dii tutelares custodesque, quorum nomina studiose occultabantur. Veteres enim in ea erant opinione, urbes capi non posse, quin ante Dii illi, seu sponte, seu magicis carminibus evocati, excessissent. Sic ante excidium Trojæ: 'Excessere omnes adytis, arisque relictis Dii quibus imperium hoc steterat,' Æneid. II. 251. Sic ante ruinam Hierosolymitanam, 'Expansæ repente delubri fores, exaudita major humana vox, excedere Deos, simul ingens motus excedentium,' Tacit. Hist. l. v. Quare apud Curtium lib. IV. cum Tyriis, quorum urbem Alexander obsidebat, visus esset in somnis Apollo ipsorum urbem relinquere: hujus statuam illico ad Herculis, hoc est, ad Deorum omnium fortissimi aram arctissime alligarunt, a quo retineretur strenue. Atque hinc est, cur adhuc hodieque inter viros doctos controversum sit, utrum Jupiter, an Mars, an Luna, an Opis concivia, aut Angerona, quæ ore obligato obsignatoque quasi ad præcipiendum arcanum exhibebatur, fuerit Dea urbis Romæ tutelaris. Ejusdem urbis Romæ fuit nomen alterum, sed pari religione occultum; ut Valerius Soranus capite luerit, quod illud evulgasset. Plin. III. 5.

[q] *Ut beneficiis tuis*] Ut Trajanum, quem nobis tanquam singulare beneficium concessisti, serves.

[r] *Distringimus*] Districtus negotiis dicitur cujus maximæ sunt ac variæ occupationes, quique ut singulis det operam quasi dividere se ac distrahere necesse habet.

prædonis avidissimi[s] faucibus eripuisti. Neque enim sine auxilio tuo, cum altissima quæque quaterentur, hic, qui omnibus excelsior, inconcussus stetit. Præteritus est a pessimo principe, qui præteriri[t] ab optimo non potuit. 4. Tu clara judicii tui signa misisti, cum proficiscenti ad exercitum tuo nomine, tuo honore, cessisti. Tu voce imperatoris, quid sentires, locutus, filium illi, nobis parentem, tibi pontificem maximum, elegisti. 5. Quo majore fiducia iisdem illis votis, quæ ipse pro se nuncupari jubet, oro et obtestor; si bene rempublicam, si ex utilitate omnium, regit, primum, ut illum nepotibus nostris ac pronepotibus serves; deinde, ut quandoque successorem ei tribuas, quem genuerit,[u] quem formaverit, similemque fecerit adoptato; aut, si hoc fato negatur, in consilio sis eligenti, monstresque aliquem, quem adoptari[v] in Capitolio deceat.

Cap. xcv. 1. Vobis, Patres Conscripti, quantum debeam, publicis etiam monumentis[a] continetur. Vos mihi in tribunatu[b] quietis, in prætura[c] modestiæ; vos in istis officiis etiam, quæ e studiis nostris circa tuendos socios[d]

in omnibus excelsior cod. Schwarzian. *qui pro omnibus excelsior* codd. Vatt. et Guelph. *qui omnibus excelsior erat* al. ap. Schwarz. *Perterritus est ... perterreri* omnes codd. ap. Schwarz. præter Patav. qui vulgatam tuetur. Guelph. *non poterit.*—4 *Tum clara* in quibusdam scriptis.—5 In cod. Paris. omissæ sunt hæ voces, *nostris ac pronepotibus.* In eodem cod. et Venett. 1. 2. *si legenti;* in Patav. *si eligenti;* in Exc. Voss. *seligente;* in Salisb. *in consilio similem monstres aliquem.* Copulam *que* nonnulli codd. prætermittunt, et sigillatim Vatt. 1. 2. 3. 4. Guelph. et Schwarzian. habent, *in consilio sibi legenti monstres aliquem.* In antecedentibus Guelph. habet *aut si hoc facto.*

Cap. xcv. 1 Guelph. *in tribunatum q. in præturam.* Idem codex et Vatt. 1. 2. 3. 4. *vos in istis officiis et studiis nostris, quæ circa tuendos socios injunxeratis, cum constantia, &c.* Paris. *vos in istis officiis, et quæ e studiis c. t. s.*

NOTÆ

[s] *Prædonis avidissimi*] Domitiani.

[t] *Qui præteriri*] Qui præteriri non potuit a Nerva egregium successorem sibi quærente.

[u] *Quem genuerit*] Nullos, quod sciam, liberos habuit Nerva.

[v] *Quem adoptari*] Id est, qui ut alter Trajanus, adoptari coram Diis mereatur.

[a] *Publicis monumentis*] In quæ senatorum elogia super Plinii tribunatu et prætura relata erant.

[b] *In tribunatu*] Cum tribuni plebis turbarum ferme auctores aut fautores essent, Plinius quieti ac tranquillitati studuit.

[c] *In prætura*] De hoc magistratu supra cap. LXXVII.

[d] *Tuendos socios*] Quas causas egerit Plinius, vide in ejus Vita.

injunxeratis,[z] cuncti constantiæ antiquissimum testimonium perhibuistis. 2. Vos proxime destinationem consulatus mei his acclamationibus approbavistis, ut intelligam, etiam atque etiam enitendum mihi, ut hunc consensum vestrum complectar, et teneam, et in dies augeam. 3. Etenim memini, tunc verissime judicari, meruerit quis honorem, necne, cum adeptus est.[e] 4. Vos modo favete[f] huic proposito, et credite, si cursu quodam provectus[g] ab illo insidiosissimo principe, ante quam profiteretur odium bonorum, postquam professus est, substiti; cum viderem, quæ ad honores compendia paterent, longius iter malui. 5. Si malis temporibus inter mœstos et paventes; bonis, inter securos gaudentesque, numeror; si denique in tantum diligo optimum principem, in quantum invisus pessimo fui. 6. Ego reve-

[z] *Quæ imposuistis mihi, ut, pro mea dicendi facultate, causam sociorum defenderem.*

1. *cum tum constantiæ, &c.* Venett. 1. 2. *vos in istis officiis etiam, quæ et e studiis nostris c. t. s. i. cum tum constantiæ, &c.* et sic Salisb. et Schwarzian. nisi quod pro *cum tum*, solum habeant *cum*, et Schwarzian. præterea præpositionem *e* prætermittat. Vox *cuncti* in nullo cod. integra exprimitur. In cod. Schwarzian. pro *perhibuistis*, scriptum est *prohibuistis;* in Exc. Voss. *pertribuistis.*—2 Cod. Schwarzian. *his a. probavistis;* Vat. et Guelph. *his a. approbastis,* Mox, duæ particulæ, *atque etiam,* omissæ sunt in Vat. et Guelph. Deinde, pro verbo *complectar,* scriptum est in cod. Paris. *amplectar.*—3 Nonnulli codd. *verissime indicari.*—4 Codd. Vatt. 1. 4. et Guelph. pro *provectus* habent *profectus.* Iidem codd. Vatt. Salisb. Venett. 1. 2. et Paris. pro *quodam* referunt *quondam;* ed. Beroald. *quoddam.* Paris. pro *malui* præbet *maluit.*—5 'Acute eruditissimus Heumannus censet scribendum esse, *Si denique in tantum diligor optimo principi.* Verumtamen contra auctoritatem omnium librorum nihil muto. Prius hujus sententiæ membrum se recte habet, facitque vel maxime ad declarandam Plinii erga Trajanum pietatem; magisque eum decebat hanc suam erga principem charitatem pietatemque testari, quam principis erga se amorem gratiamque jactare. Quod alterum membrum attinet, equidem ἀντιθέσεως rhetoricæ ratio requirere videbatur, ut Plinius diceret, *Si denique in tantum diligo optimum principem, in quantum odi pessimum;* sed plus modestiæ ac prudentiæ ex vulgata lec-

NOTÆ

[e] *Cum adeptus est*] Scilicet vestris suffragiis, quæ dignissimis tantum impertimini. Potest etiam ita explicari: cum illum magistratum gerit.

[f] *Favete*] Sensus est: 'Favete, et credite; si substiti, si,' &c. modus loquendi venustus, ut ille Ovidii: 'Si fuit hic animus nobis, ita parcite divi,' id est, ut hic animus nobis fuit.

[g] *Provectus*] A Domitiano ad præturam, mox eidem imperatori invisus, ut videri potest in Plinii Vita.

pem, cernis; cumque eo, qui adoptavit, amicissime contendis, pulchrius fuisse[b] genuisse talem, an elegisse? 3. Macte uterque ingenti in rempublicam merito, cui hoc tantum boni contulistis! Licet alteri vestrum filii virtus triumphalia,[e] cœlum alteri, dederit: non minor tamen vestra laus, quod ista per filium, quam si ipsi meruissetis.

Cap. xc. 1. Scio, Patres Conscripti, cum ceteros cives, tum præcipue consules, oportere sic affici, ut se publice magis, quam privatim, obligatos putent.[c] 2. Ut enim malos principes rectius pulchriusque est ex communibus injuriis odisse, quam propriis;[d] ita boni speciosius amantur ob ea, quæ generi humano, quam quæ hominibus,[e] præstant. 3. Quia tamen in consuetudinem[f] vertit, ut consules, publica gratiarum actione perlata,[g] suo quoque nomine, quantum debeant principi, profiteantur: concedite me non pro me magis, munere isto, quam pro collega meo, Cornuto

[b] *Utrum gloriosius fuerit.*
[c] *Sic affectos esse debere, ut credant magis se obligatos esse principi ob beneficia, quæ in omnes, quam ob ea, quæ in se ipsos conferuntur.*
[d] *Propter communes injurias, quam propter privatas.*
[e] *Privatis.* [f] *Transiit in morem.* [g] *Habita.*

chrius fuisse] Vellem, *fueritne*.' Lips. '*Fuerit genuisse* conjiciebat in margine Livineius, minori multo cum mutatione, cum negandi particula in primo membro, tum a Nostro, tum ab aliis haud raro omittatur, de quo diximus ad cap. xl. 'Exigas, quod deberi non oportuerat, an constituas, ut debeatur?' Nihil tamen mutaverim, non enim video, cur non recte post *contendis* infinitivus tolerari possit; certe nihil variatur in codicibus, nisi quod *genuisse* extrudat Guelph.' *Arntz.* Vide Nott. Varr.—3 Solus cod. Patav. et Exc. Voss. *tantum bonum contulistis.*

Cap. xc. 1 In quibusdam libris, *obligatos principi putent.*—2 *Ut enim principes* cod. Patav. Exc. Voss. cum edd. Putean. et Baun.—3 Cod. Patav. et Exc. Voss. item edd. Puteol. Catan. Steph. Sichard. Cellar. et Gesn. *in consuetudinem venit;* codd. Livin. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. et Schwarzian. *in c. vertit;* verbum *vertit* habent etiam edd. Beroald. Lips. Putean. Grut. Baun. et Arntz. Mox, cod. Patav. et Exc. Voss. *actione præclari.* Vossius malit, *gratiarum actione perorata.* Cod. Schwarzian. *actione prælata.* Paulo post, idem codex, pro *concedite*, habet *credite.* Deinde

NOTÆ

[e] *Triumphalia*] Non victoriam et triumphum, ut credere videtur Lipsius, quod non admodum Trajano patri esset honorificum, si victoriam suam puero debuisset, sed marmoream aut æream statuam, quæ in porticu, aut arcu imposita triumphantem exhibeiet. Igitur Nervam adoptione patrem consecravit. Trajano autem patri statuam erexit.

Tertullo,[f] clarissimo viro,[g] fungi. 4. Cur enim non pro illo quoque gratias agam, pro quo non minus debeo? præsertim, cum indulgentissimus imperator in concordia nostra ea præstiterit ambobus, quæ si tantum in alterum contulisset, ambos tamen æqualiter obligasset. 5. Utrumque nostrum ille[h] optimi cujusque spoliator et carnifex, stragibus amicorum,[i] et in proximum jacto fulmine[j] afflaverat. Iisdem enim amicis gloriabamur; eosdem amissos lugebamus: ac, sicut nunc spes gaudiumque, ita tunc communis nobis dolor et metus erat. 6. Habuerat hunc honorem periculis nostris divus Nerva, ut nos, etsi minus, ut bonos

voces *clarissimo viro* desunt in ed. Patarol. In omnibus codd. et aliquot edd. tantum per siglas *C. V.* designantur; quæ siglæ in margine cod. Patav. explicantur *consulatui vestro*. At *consulari viro* in notis habet Catan. et in ipso contextu expresserunt Ald. Steph. Gryph. Sichard. et Boxhorn. Vide Nott. Varr.—4 Codd. Vatt. 1. et Patav. *pro quo minus debeo*. Mox, cod. Schwarzian. *quæ si tamen*.—5 Guelph. pro *afflaverat* habet *adfluerat*. Pro *eosdem amissos*, ed. Lips. habet *eosdem amicos*. Codd. Vat. 4. Paris. Venett. 1. 2. Guelph. Salisb. Patav. Schwarzian. et ed. Hack. *sicut spes*, omissa particula *nunc*.—6 'Lipsio hæc visa sunt in vitio esse, ægre sine libris tollendo. Idem nisus est defectum sic supplere: *etsi minus notos, ut bonos tamen, &c.* Quod supplementum in contextum Panegyrici admisere Berneggerus et Hackius. Codd. Venetus et Guelpherbytanus referunt vulgatam scripturam; Parisiensis codex, item et Noster, ac nonnulli libri excusi, omittunt particulam *tamen*. Nos aliquando opinabamur, *bonos* hoc loco more Sallustiano, pro optimatibus et opulentis hominibus dici. Sic enim loqui censetur Sallustius, in Catilin. XIX. 2. XXXIII. 3. et in Jugurth. XLII. 3. At nec nobis ipsis nunc hæc satisfacit explicatio. Acquiescimus interea vulgari lectione, usque dum melior e vetustis codicibus eruatur, existimantes, Plinium ex modestia noluisse ipsum se, suumque collegam, *bonos* vocare: haud secus fere, ac sequenti capite XCI. 3. 4. ait: 'Obstat verecundia, quo minus percenseamus, quo utrumque nostrum testimonio ornaris;...Merito, necne, neutram in partem decernere audeamus,'' &c. *Schwarz.* '*Etsi minus, ut bonos tamen prom.* Cell. *Et si minus ut b. p.* Hearn. *Etsi minus notos, ut bonos ta-*

NOTÆ

[f] *Cornuto Tertullo*] Cujus sanctitatem laudat Plinius Epist. XV. 5.

[g] *Clarissimo viro* [*C. V.*] Id est, *clarissimo viro* ut putat Livineius ex veteri codice. Alii legunt *consulari viro*, sed Cornutus Tertullus nullum adhuc consulatum gesserat.

[h] *Ille*] Domitianus, qui optimos quosque interfecerat, ut illorum bonis ditesceret.

[i] *Amicorum*] Plin. Epist. III. 11. 'Occisis Serecione, Rustico, Helvidio: relegatis Maurico, Gratilla, Atria, Fannia.'

[j] *Jacto fulmine*] Eo pertinet illud Plinii l. l. 'Tot circa me jactis fulminibus quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitium certis quibusdam notis augurabar.' Has imperatorum animadversiones Ovidius 'fulmina' appellat: 'Sævum prælustri fulmen ab arce venit.'

tamen promovere vellet; quia mutati sæculi signum et hoc esset, quod florerent, quorum præcipuum votum ante fuerat, ut memoriæ principis elaberentur.[h]

CAP. XCI. 1. Nondum biennium compleveramus in officio[k] laboriosissimo et maximo, cum tu nobis, optime principum, fortissime imperatorum, consulatum obtulisti, ut ad summum honorem gloria celeritatis accederet. 2. Tan-

[h] *Qui antea id præcipue optabant ut ne princeps de se cogitaret.*

men prom. etiam Gesnerus; sed quis talem jactantiam in Plinio non miraretur? Concinnum illud et breve dicendi genus iterum oratori fraudi fuit, propter quod toties inpuris manibus est laceratus innocens. *Tamen* abest a codice Livineii, Voss. et Guelph. teste ipsius Vossii manu et doct. Longolii; ab edit. 1476. et 1498. et a sequentibus aliis. Optime: sensus est: Si non extulerit nos ad dignitates, ideo quod boni essemus, id fecit tamen, ut honorem haberet nostris periculis; ideo scilicet, ut sub bono principe felicitate sæculi frueremur, qui sub malo damna pati debueramus. Nihil planius, nihil humanitate Pliniana dignius: et hanc expositionem sequentia confirmant. Omnis certe erroris causa orta est ex parva origine, cum non tulerint librarii, *etsi* poni, si non sequeretur *tamen*. Et hinc etiam in varios sententiarum gurgites abstracti sunt VV. DD. At hodie notum est satis, voculas 'etsi,' 'quamvis,' 'quanquam,' et similes poni, licet in sequentibus non respondeat *tamen*, sed ipsa cogitatione debeat suppleri. Plautus Mil. II. 6. 51. 'Etsi ea est, non est ea.' Egregie ita veterem scripturam vindicavit Gronovius ad Liv. XXII. 20. 'Quanquam terra hostium erat, armatamque aciem toto prætentam in littore cernebant, haud cunctanter insecuti.' Scilicet ibi vetustæ edd. eodem modo ac hic, *cunctanter tamen* largiebantur de suo. Avianus Fab. XVIII. 9. 'Et quamvis audax, factisque immanior esset, Tantorum solus viribus impar erat.' Consule ibi nostrum Cannegieterum, Cortium ad Sallust. Jug. XXV. 9. et Burmannum ad Suetonium Galba cap. 3. 'Quanquam brevi corpore atque etiam gibber, causas industrie actitavit.' Et ibi turbabatur, uti apud Nostrum Epist. IX. 1. ex Mediceo codice eruit Cortius: 'Quamvis legeris multis, legendosque dederis, nolo quenquam opinari;' licet in edendo illius fidem deseruerit, dubito, an bene, qui toties illius codicis integritatem perspectam habuit.' *Arntz.* Vide Nott. Varr. Mox, cod. Guelph. *primum votum.* Pro ultimo hujus cap. verbo, *elaberentur*, in cod. Vat. 1. Venett. 1. 2. Patav. Schwarzian. et Exc. Voss. item et in ed. Puteol. *elaberemur.*

CAP. XCI. 1 Libri scripti ap. Schwarz. habent *biennium compleveramus*; nonnulli impressi, *biennium compleramus.* Mox, Behrius conj. *gratia celerita-*

NOTÆ

[k] *In officio*] In præfectura ærarii. Ad quod munus una cum Cornuto promotus fuerat a Nerva. Quo tempore, quia Trajanus, licet ab urbe absens, Nervæ collega erat, Plinius videtur utrique acceptum id referre, Epist. X. 20. 'Ut primum me, domine, indulgentia vestra promovit ad præfecturam ærarii Saturni,' &c. De præfectura illa ipse Plinius Epist. I. 10. 'Distringor,' inquit, 'officio ut maximo, sic molestissimo. Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas; scribo plurimas, sed illiteratissimas literas.' Quam præfecturam quando gesserit, vide in Plinii Vita.

tum inter te et illos principes interest, qui beneficiis suis commendationem ex difficultate[1] captabant, gratioresque accipientibus honores arbitrabantur, si prius illos desperatio, et tædium, et similis repulsæ mora, in notam quandam, pudoremque,[a] vertissent. 3. Obstat verecundia, quo minus percenseamus, quo utrumque nostrum testimonio ornaris: ut amore recti, amore reipublicæ, priscis illis consulibus æquaveris.[b] 4. Merito, nec ne, neutram in partem decernere audeamus; quia nec fas est affirmationi tuæ derogare; et onerosum confiteri, vera esse, quæ de nobis, præsertim tam magnifica, dixisti. 5. Tu tamen dignus es, qui eos consules facias, de quibus possis ista prædicare. Tribuas veniam, quod inter hæc beneficia tua gratissimum est nobis, quod nos rursus[m] collegas esse voluisti. 6. Ita charitas mutua, ita congruens tenor vitæ, ita una eademque ratio propositi, postulabat: cujus ea vis, ut morum[n] similitudo concordiæ nostræ gloriam minuat; ac perinde sit mirum, si alter nostrum a collega, ac si a se ipse dissentiat. 7. Non ergo temporarium et subitum est, quod uter-

[a] *In ignominiam quandam et dedecus.*
[b] *Nos pares esse dixeris.*

tis; Vatt. 1. 4. et Guelph. habent *gloria claritatis;* cod. Patav. et Exc. Voss. *gloria celebritatis.*—2 *Tantum enim inter te* codd. Schwarzian. et Guelph. Mox, Schwarz. conj. *si prius illis desperatio, &c.*—3 Nonnulli codd. *illis consulibus æquaris.*—4 *Merito, nec neutram, &c.* codd. Salisb. et Schwarzian. *Meritone, neutram, &c.* cod. Patav. et Exc. Voss.—5 In codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venett. 1. 2. et Schwarzian. hæ voces sic transponuntur, *ista possis.* Exc. Voss. non agnoscunt illud *possis;* et in iisdem, itemque in cod. Patav. pro *Tribuas,* scriptum est *Tribuis.* Mox, in verbis, *quod nos rursus, &c.* pronomen *nos* desideratur in codd. Vat. 4. Paris. et Schwarzian.—6 In verbis *ita una eademque ratio,* duas priores voces, *ita una,* prorsus omittit cod. Patav. itemque punctis subnotatas, easque tanquam delendas, exhibet liber Vossii. 'Mox, vulgo legitur, *a se ipse dissentiat;* at codd. Livin. Vatt. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Patav. et Schwarzian. item edd. Puteol. Cuspin. et Philomus. habent *a se ipse dissentiat;* quod multo elegantius esse putat Arntzenius, eandemque dicendi rationem exemplis comprobat. Ipse Plinius supra, LXXI. 5. 'Si se ipse submittat.'' *Schwarz.*—7 Cod. Guelph.

NOTÆ

[1] *Ex difficultate*] Eo enim res pluris fiunt, quo difficilius parantur.

[m] *Rursus*] Qui collegæ in ærarii præfectura jam fuimus.

[n] *Ut morum*] Ut qua sumus morum similitudine, non admodum mirum sit aut gloriosum, quod tam concordes vivamus.

que collegæ consulatu, tanquam iterum suo, gaudet; nisi, quod tamen, qui rursus consules fiunt, bis quidem, sed temporibus diversis, obligantur: nos duos consulatus accipimus simul, simul gerimus, alterque in altero consules, sed iterum et pariter sumus.

CAP. XCII. 1. Illud vero quam insigne, quod nobis præfectis ærario consulatum ante, quam successorem,[a] dedisti? Aucta est dignitas dignitate: nec continuatus tantum, sed geminatus[b] est honor, finemque potestatis alterius, tanquam parum esset excipere, prævenit.[c] 2. Tanta tibi integritatis nostræ fiducia fuit, ut non dubitares, te, salva diligentiæ tuæ ratione, facturum, si nos post maximum officium privatos esse non sineres. Quid, quod eundem in annum[d] consulatum nostrum contulisti? Ergo non alia nos pagina,[e] quam *quæ* te consulem, accipiet: et nostra quoque nomina addentur fastis, quibus ipse præscriberis.

tanquam iterum suo gaudeat. Mox, codd. Livin. Vatt. Salisb. Patav. et Schwarzian. *accepimus simul, simul gerimus;* ubi omnes edd. habent *accipimus.* Deinde pro *consules*, quod legitur in cod. Paris. edd. Lips. Boxhorn. et Cellar. *cos.* habent edd. H. Steph. Elz. et Rivin. *cons.* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Salisb. et Guelph. itemque in edd. Puteol. Catan. Cuspin. Rhenan. et Philomus. *consul* cod. Venet. 2. et Exc. Voss. pariterque in edd. Beroald. Ald. R. Steph. Livin. Gryph. Sichard. et Baun. *et iterum* conj. Behrius.

CAP. XCII. 1 Cod. Patav. *quam successionem dedisti.* Vulgo, *neque continuatus;* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venett. 1. 2. Guelph. et Schwarzian. *nec continuatus.* Pro *excipere* cod. Schwarzian. habet *accipere.* Pro *prævenit* codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Venet. 1. Salisb. et Patav. habent *pervenit;* Schwarzian. *quæ venit.* Livineius conj. *altera prævenit,* probante Rittersh.—2 Vulgo, *esse facturum;* sed deest infinitivus in codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. et Schwarzian. *Quid? quod eundem inannum* (sic) *consulatus tui consulatum nostrum contulisti* ex vetere quodam cod. scripsit Onuphrius Panvinius, Fast. I. p. 7. Livin. conj. *Quid? quod tuum in annum, &c.* Mox, *quæ* deest in omnibus codd. et edd. ante Schwarz. uno cod. Parisiensi excepto, unde sumtum. Deinde pro *præscriberis,* quod servant cod. Paris. edd. Catan. Junt. Lips. et al. *perscriberis* legitur in codd. Vat. 4. Venett. 1. 2. Salisb. Schwarzian. Patav. et Exc. Voss. item in edd. Ald. Philomus. Rhe-

NOTÆ

[a] *Successorem*] In ærarii præfectura.

[b] *Geminatus*] Tum quia eodem tempore et præfecti ærario eramus, et consules saltem designati, tum quia uterque collegæ sui honore tanquam suo gaudebat.

[c] *Prævenit*] Vide chronologicam tabulam, a nobis huic operi præfixam.

[d] *Eundem in annum*] Quo tu consulatum gessisti.

[e] *Pagina*] Fastorum, in qua consulum nomina inscribebantur.

3. Tu comitiis nostris præsidere, tu nobis sanctissimum illud carmen præire,[f] dignatus es. Tuo judicio consules facti, tua voce renuntiati sumus, ut idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator, existeres. 4. Nam, quod eum potissimum mensem[g] attribuisti, quem tuus natalis exornat, quam pulchrum nobis! quibus edicto,[h] quibus spectaculo, celebrare continget diem illum, triplici gaudio[i] lætum, qui principem abstulit pessimum; dedit optimum; meliorem optimo genuit. 5. Nos sub oculis tuis augustior[j] solito currus accipiet; nos inter secunda omina, et vota certantia, quæ præsenti tibi conferentur, vehemur alacres, et incerti, ex utra[k] parte major auribus nostris accidat clamor.

CAP. XCIII. 1. Super omnia tamen prædicandum videtur, quod pateris consules esse,[l] quos fecisti: quippe nullum periculum, nullus ex principe metus, consulares animos debilitat et frangit: nihil invitis audiendum, nihil coactis

nan. et Gryph. quod prætulit Arntzenius.—3 *Tuo indicio* in quibusdam codd. —4 *Nam quod ei p. mensi* codd. Vatt. Guelph. et Schwarzian. *Nam q. eos p. mensi* codd. Livin. Paris. Venett. 1. 2. Salisb. Patav. et Exc. Voss. Schwarzius conj. *quod ei nos p. mensi.*—5 In codd. quibusdam, ut Venet. 2. Schwarzian. Patav. Exc. Voss. item in edd. Beroald. Catan. Sichard. et Putean. *inter secunda omina.* Plurimi fere libri excussi verbo *vehemur* præponunt copulam, *et vehemur, &c.* quam copulam neque quatuor Vatt. agnoscunt, neque ambo Veneti, neque Paris. Salisb. Guelph. et Schwarzian. et nunc etiam prætermiserunt recentiores edd. Mox, in nonnullis codd. *ex utraque parte.*

CAP. XCIII. 1 Cod. Patav. et Exc. Voss. *quippe nullum periculum in principe, nullus metus, consulares, &c.* Pro *metus*, cod. Guelph. habet *motus.* Mox,

NOTÆ

[f] *Carmen præire*] De hac consuetudine supra cap. 63.

[g] *Mensem*] Septembrem, ut liquet ex iis quæ sequuntur, quem ut consulatum gereremus, assignasti.

[h] *Edicto*] Consul enim in honorem natalium principis justitium et ludos indicebat. Sic 'natalem Augusti' apud Dionem legimus 'annuis circensibus, idque decreto in perpetuum celebratum.'

[i] *Diem illum, triplici gaudio*] Decimumquartum Kal. Octob. felicem 1. Domitiani morte, 2. Nervæ imperio, 3. Trajani natalibus. Sic Cæsar de alio die, 'Fortuna, quæ dicitur ludere in rebus humanis, mirificos casus in eundem diem conjecit.'

[j] *Augustior*] Eo quem, cum tribunus aut prætor esset, habuerat.

[k] *Ex utra*] Utrum a dextra, an a sinistra circi parte, major plausus audiatur.

[l] *Consules esse*] Consulum non tantum nomen, sed etiam auctoritatem retinere.

decernendum erit. Manet manebitque honori veneratio sua;[c] nec securitatem auctoritate[d] perdemus. 2. Ac, si quid forte ex consulatus fastigio fuerit diminutum, nostra hæc erit culpa, non sæculi. Licet enim, quantum ad principem, licet tales consules agere, quales ante principes erant. 3. Ullamne tibi pro beneficiis referre gratiam parem possumus, nisi tantum[m] illam, ut semper nos meminerimus consules fuisse, et consules tuos? Ea sentiamus, ea censeamus, quæ consularibus digna sunt. Ita versemur in republica, ut credamus, esse rempublicam. 4. Non consilium nostrum, non operam, subtrahamus; nec disjunctos nos,[e] et quasi dimissos consulatu, sed quasi astrictos et devinctos putemus, eundemque[n] locum laboris et curæ, quem reverentiæ dignitatisque, teneamus.

CAP. XCIV. 1. In fine[o] orationis præsides custodesque

[c] *Manebit debita consulatui reverentia.* [d] *Propter auctoritatem.*
[e] *Nec liberatos nos curis consularibus, sed quasi, &c.*

Venet. 1. *manebitque honoris veneratio sua.* Pro nomine *securitatem*, in Gud. 2. annotatum est *severitatem*.—2 Cod. Schwarzian. *fuit diminutum*.—3 *Nisi tamen* conj. Livin. *tantum* habent cod. Guelph. omnes edd. vett. Cellar. Hearn. Patarol. Gesn. al. Emend. Livineii comprobavit Bucherns ad Plin. Epist. VIII. 17. *Ea sentiamus, ea teneamus* cod. Paris. In codd. Vatt. 2. 4. Paris. Guelph. et Schwarzian. omissa sunt hæc verba, *ut credamus, esse rempublicam;* quia nempe proxime antecesserat vox *republica*.—4 ‘*Demissos* vetustiores editi: male. Illud huic loco convenientissimum, hoc alienius, et vide ita librarios aberrantes in notis nostris ad Victor. Ill. cap. LXX. et Epit. cap. VIII. Paulo ante *nec disjunctos nos* exhibent omnes editiones, quas videre licuit. In suo exemplari et Cuspin. editione *defunctos* reperit Livineius, qui tamen eam notam addidit, ‘Non placet.’ At verissima ea est lectio, quam confirmant etiam Voss. et Guelph. ‘*Defunctus* honoribus’ dicitur is, qui honores gessit, et ab iis est dimissus. Servius ad Virg. Æn. VI. 83. ‘Defuncte autem, liberate, nam dicimus defunctos officio, qui officia compleruut, unde et honoribus functi. Hinc et defunctos mortuos dicimus, qui compleverunt vitæ officia.’ Val. Max. IV. 5. ex. 1. ‘Consulatus jam honore defunctus:’ ubi, non sunt audiendi codices, qui ‘functus’ legunt: sic enim idem V. 9. ex. 1. ‘Honoribus ad censuram defunctus.’ Et ita optimus quisque. Mox pro *devinctos* conjecerat Perizonius *revinctos*.’ Arntz. Vide Nott. Varr. Solus cod. Schwarzian. habet *eum denique locum*.

NOTÆ

[m] *Nisi tantum*] Ex consuetudine Plinii pro ‘nisi solum.’

[n] *Eundemque*] Id est, ut sicut primum in republica magistratum gerimus, ita omnium maxime ad reipublicæ salutem et gloriam invigilemus.

[o] *In fine*] A precatione duxerat orationis exordium; nunc eandem obsecratione religiosa concludit.

imperii, Deos,[p] ego consul pro rebus humanis, ac te præcipue, Capitoline Jupiter, precor, ut beneficiis tuis[q] faveas, tantisque muneribus addas perpetuitatem. 2. Audisti, quæ malo principi precabamur; exaudi, quæ pro dissimillimo optamus. Non te distringimus[r] votis:[f] non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes, oramus, non honores; simplex cunctaque ista complexum unum omnium votum est, 'salus principis.' 3. Nec vero nova tibi injungimus. Tu enim jam tunc illum in tutelam recepisti, cum

[f] *Non te multitudine votorum distrahimus.*

CAP. XCIV. 1 Omnes fere codd. ap. Schwarz. item edd. Puteol. et Beroald. *Divos, ego consules, &c.* cod. Patav. habet, *Divos ergo consules;* Exc. Voss. *Divo ergo consules.* Primi nostram lectionem prodidere Catan. Ald. et Cuspin.—2 Cod. Paris. *quæ sub malo principe precabamur;* Vatt. Guelph. Patav. et Schwarzian. *quæ pro malo principe precabamur;* Venet. 2. et Salisb. *quæ malo principe precabamur;* et sic etiam scriptum invenerat Livineius. Lipsius conj. *imprecabamur;* et sic edidere Berneg. et Hack. Paulo post, vox *unum* omissa est in codd. Venett. 1. 2. Salisb. Guelph. Patav. et Schwarzian. item in ed. Puteol. et Beroald. Pro *omnium,* Puteol. habet *aium;* unde Beroald. *animum.* In codd. Vatt. et Patav. *notum* pro *votum.*—3 *Nec vero novam tibi injungimus curam* edd. Cuspin. Gryph. et Sichard. *Nec vero novam tibi injungimus. Tu enim, &c.* codd. Venett. Paris. Salisb. et Exc. Voss. *qui*

NOTÆ

[p] *Custodesque imperii, Deos*] Sui erant singulis urbibus Dii tutelares custodesque, quorum nomina studiose occultabantur. Veteres enim in ea erant opinione, urbes capi non posse, quin ante Dii illi, seu sponte, seu magicis carminibus evocati, excessissent. Sic ante excidium Trojæ: 'Excessere omnes adytis, arisque relictis Dii quibus imperium hoc steterat,' Æneid. II. 251. Sic ante ruinam Hierosolymitanam, 'Expansæ repente delubri fores, exaudita major humana vox, excedere Deos, simul ingens motus excedentium,' Tacit. Hist. l. v. Quare apud Curtium lib. IV. cum Tyriis, quorum urbem Alexander obsidebat, visus esset in somnis Apollo ipsorum urbem relinquere: hujus statuam illico ad Herculis, hoc est, ad Deorum omnium fortissimi aram arctissime alligarunt, a quo retineretur strenue. Atque hinc est, cur adhuc hodieque inter viros doctos controversum sit, utrum Jupiter, an Mars, an Luna, an Opis concivia, aut Angerona, quæ ore obligato obsignatoque quasi ad præcipiendum arcanum exhibebatur, fuerit Dea urbis Romæ tutelaris. Ejusdem urbis Romæ fuit nomen alterum, sed pari religione occultum; ut Valerius Soranus capite luerit, quod illud evulgasset. Plin. III. 5.

[q] *Ut beneficiis tuis*] Ut Trajanum, quem nobis tanquam singulare beneficium concessisti, serves.

[r] *Distringimus*] Districtus negotiis dicitur cujus maximæ sunt ac variæ occupationes, quique ut singulis det operam quasi dividere se ac distrahere necesse habet.

prædonis avidissimi[s] faucibus eripuisti. Neque enim sine auxilio tuo, cum altissima quæque quaterentur, hic, qui omnibus excelsior, inconcussus stetit. Præteritus est a pessimo principe, qui præteriri[t] ab optimo non potuit. 4. Tu clara judicii tui signa misisti, cum proficiscenti ad exercitum tuo nomine, tuo honore, cessisti. Tu voce imperatoris, quid sentires, locutus, filium illi, nobis parentem, tibi pontificem maximum, elegisti. 5. Quo majore fiducia iisdem illis votis, quæ ipse pro se nuncupari jubet, oro et obtestor; si bene rempublicam, si ex utilitate omnium, regit, primum, ut illum nepotibus nostris ac pronepotibus serves; deinde, ut quandoque successorem ei tribuas, quem genuerit,[u] quem formaverit, similemque fecerit adoptato; aut, si hoc fato negatur, in consilio sis eligenti, monstresque aliquem, quem adoptari[v] in Capitolio deceat.

Cap. xcv. 1. Vobis, Patres Conscripti, quantum debeam, publicis etiam monumentis[a] continetur. Vos mihi in tribunatu[b] quietis, in prætura[c] modestiæ; vos in istis officiis etiam, quæ e studiis nostris circa tuendos socios[d]

in omnibus excelsior cod. Schwarzian. *qui pro omnibus excelsior* codd. Vatt. et Guelph. *qui omnibus excelsior erat* al. ap. Schwarz. *Perterritus est ... perterreri* omnes codd. ap. Schwarz. præter Patav. qui vulgatam tuetur. Guelph. *non poterit.*—4 *Tum clara* in quibusdam scriptis.—5 In cod. Paris. omissæ sunt hæ voces, *nostris ac pronepotibus.* In eodem cod. et Venett. 1. 2. *si legenti;* in Patav. *si eligenti;* in Exc. Voss. *seligente;* in Salisb. *in consilio similem monstres aliquem.* Copulam *que* nonnulli codd. prætermittunt, et sigillatim Vatt. 1. 2. 3. 4. Guelph. et Schwarzian. habent, *in consilio sibi legenti monstres aliquem.* In antecedentibus Guelph. habet *aut si hoc facto.*

Cap. xcv. 1 Guelph. *in tribunatum q. in præturam.* Idem codex et Vatt. 1. 2. 3. 4. *vos in istis officiis et studiis nostris, quæ circa tuendos socios injunxeratis, cum constantia, &c.* Paris. *vos in istis officiis, et quæ e studiis c. t. s.*

NOTÆ

[s] *Prædonis avidissimi*] Domitiani.

[t] *Qui præteriri*] Qui præteriri non potuit a Nerva egregium successorem sibi quærente.

[u] *Quem genuerit*] Nullos, quod sciam, liberos habuit Nerva.

[v] *Quem adoptari*] Id est, qui ut alter Trajanus, adoptari coram Diis mereatur.

[a] *Publicis monumentis*] In quæ senatorum elogia super Plinii tribunatu et prætura relata erant.

[b] *In tribunatu*] Cum tribuni plebis turbarum ferme auctores aut fautores essent, Plinius quieti ac tranquillitati studuit.

[c] *In prætura*] De hoc magistratu supra cap. lxxvii.

[d] *Tuendos socios*] Quas causas egerit Plinius, vide in ejus Vita.

injunxeratis,[g] cuncti constantiæ antiquissimum testimonium perhibuistis. 2. Vos proxime destinationem consulatus mei his acclamationibus approbavistis, ut intelligam, etiam atque etiam enitendum mihi, ut hunc consensum vestrum complectar, et teneam, et in dies augeam. 3. Etenim memini, tunc verissime judicari, meruerit quis honorem, necne, cum adeptus est.[e] 4. Vos modo favete[f] huic proposito, et credite, si cursu quodam provectus[g] ab illo insidiosissimo principe, ante quam profiteretur odium bonorum, postquam professus est, substiti; cum viderem, quæ ad honores compendia paterent, longius iter malui. 5. Si malis temporibus inter mœstos et paventes; bonis, inter securos gaudentesque, numeror; si denique in tantum diligo optimum principem, in quantum invisus pessimo fui. 6. Ego reve-

[g] *Quæ imposuistis mihi, ut, pro mea dicendi facultate, causam sociorum defenderem.*

i. *cum tum constantiæ, &c.* Venett. 1. 2. *vos in istis officiis etiam, quæ et e studiis nostris c. t. s. i. cum tum constantiæ, &c.* et sic Salisb. et Schwarzian. nisi quod pro *cum tum*, solum habeant *cum*, et Schwarzian. præterea præpositionem *e* prætermittat. Vox *cuncti* in nullo cod. integra exprimitur. In cod. Schwarzian. pro *perhibuistis*, scriptum est *prohibuistis;* in Exc. Voss. *pertribuistis.*—2 Cod. Schwarzian. *his a. probavistis;* Vat. et Guelph. *his a. approbastis,* Mox, duæ particulæ, *atque etiam,* omissæ sunt in Vat. et Guelph. Deinde, pro verbo *complectar,* scriptum est in cod. Paris. *amplectar.*—3 Nonnulli codd. *verissime indicari.*—4 Codd. Vatt. 1. 4. et Guelph. pro *provectus* habent *profectus.* Iidem codd. Vatt. Salisb. Venett. 1. 2. et Paris. pro *quodam* referunt *quondam;* ed. Beroald. *quoddam.* Paris. pro *malui* præbet *maluit.*—5 'Acute eruditissimus Heumannus censet scribendum esse, *Si denique in tantum diligor optimo principi.* Verumtamen contra auctoritatem omnium librorum nihil muto. Prius hujus sententiæ membrum se recte habet, facitque vel maxime ad declarandam Plinii erga Trajanum pietatem; magisque eum decebat hanc suam erga principem charitatem pietatemque testari, quam principis erga se amorem gratiamque jactare. Quod alterum membrum attinet, equidem ἀντιθέσεως rhetoricæ ratio requirere videbatur, ut Plinius diceret, *Si denique in tantum diligo optimum principem, in quantum odi pessimum;* sed plus modestiæ ac prudentiæ ex vulgata lec-

NOTÆ

[e] *Cum adeptus est*] Scilicet vestris suffragiis, quæ dignissimis tantum impertimini. Potest etiam ita explicari: cum illum magistratum gerit.

[f] *Favete*] Sensus est: 'Favete, et credite; si substiti, si,' &c. modus loquendi venustus, ut ille Ovidii: 'Si fuit hic animus nobis, ita parcite divi,' id est, ut hic animus nobis fuit.

[g] *Provectus*] A Domitiano ad præturam, mox eidem imperatori invisus, ut videri potest in Plinii Vita.

rentiæ vestræ sic semper inserviam, non ut me consulem, et mox consularem, sed ut candidatum consulatus, putem.

tione apparet, quam ut ea corrigi debeat.' *Schwarz.*—6 Schwarzius conj. *reverentiæ vestri inserviam.* Vide Nott. Varr.

C. G. SCHWARZII

EXCURSUS

AD

PANEGYRICUM PLINII.

EXCURSUS I.

Cap. i. 5. Panegyristes, Trajanum Imperatorem divinitus constitutum esse, probaturus: *Non enim occulta*, inquit, *potestate fatorum, sed ab Jove ipso coram ac palam repertus, electus est: quippe inter aras et altaria, eodemque loci, quem Deus ille tam manifestus ac præsens, quam cœlum ac sidera, insedit.* Ita hæc verba leguntur in Cellarii ed. an. 1698. quam editionem nunc quasi fundamenti loco pono, cum ea in plurimorum sit manibus. In plurimis aliis, cum scriptis, tum excusis libris, colo interpunguntur hæc verba: *electus est: quippe*, &c. Innutriti Plinio legendo facile animadvertent, in his verbis nihil quidem sententiæ, at aliquid concinnitati Plinianæ videri deesse. Noster codex videtur primum paulo obscurior: *Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Jove ipso coram ac palam repertus electus quippe inter aras et altaria*, &c. Sed præteritio vocis *est* nobis suspicandi occasionem dedit, saltem non necesse esse, ut hoc ipsum verbum in eo, quem in vulgaribus libris occupavit, loco consistat; deinde, interpunctione rectius posita, sententiam posse reddi planiorem. Hunc ergo in modum ibi legendum censemus: *Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Jove ipso coram ac palam repertus est: electus quippe inter aras et altaria*, &c. Cui nostræ lectioni postea etiam calculum addidit cl. Gesnerus. Immo, qui codicis Ms. vestigia pressius secuturus, verbum *est* prorsus omittat, nihil facile tentet, quod Plinii conciso dicendi generi adversetur, dummodo interpunctione demonstrata utatur. Unicus codex Patavinus habet, *repertus electusque est.* Sed non prætereundum est, jam an. 1552. Hieron. Frobenium, et an. 1601. Paulum Stephanum, ac postea 1643. Chouetios, et demum recentius cl. Arntzenium, sententiam hujus loci non minus commoda interpunctione adjuvisse: *Sed ab Jove ipso coram ac palam repertus: electus est quippe inter aras et altaria, eodemque loci, quem Deus ille tam manifestus ac præsens, quam cœlum ac sidera, insedit.* Quæ posteriora verba in Is. Vossii libro, qui in Bibliotheca Lugdunensi

Batavorum asservatur, sic manu correcta leguntur: *eodemque loci, quo Deus ille tam manifestus ac præsens, cum cælum ac sidera insedit.* Sed nos uti illam Hieronymi Frobenii lectionem non repudiamus, si quis eam præferat nostræ conjecturæ: ita ex adverso Vossiani libri varietatem prætereundam esse censemus. In Capitolio autem factam esse adoptionem adeoque electionem Trajani, Xiphilinus inter opera Dionis Cassii, lib. LXVIII. pag. 770. commemorat.

EXCURSUS II.

CAP. II. 5. *Intelligamus ergo bona nostra, dignosque nos illius usu probemus, atque identidem cogitemus, si majus principibus præstemus obsequium, qui servitute civium, quam qui libertate lætantur.* Pronomen *illius* habent omnes, quos consulere nobis licuit, codices Mss. habent et omnes fere libri impressi; nisi quod Lipsius primo quidem tradit posse referri ad Trajanum; at deinde hæc verba subjicit: 'Sed melius, quod olim ego: *illis usu.* Bonis illis nos dignos probemus, utendo. Libertas et veritas redierunt? usurpemus.' Quam emendationem probavit Gruterus, ita tamen, ut eam nondum receperit in contextum orationis. At recepere Jac. de la Baune, Gallus, et Laurentius Patarol, Venetus; et nunc V. C. Gesnerus, in utraque editione. Ac sane, si ita verba extra contextum spectes, hæc correctio sententiam videtur reddere planiorem. Nihil tamen mutandum censemus contra auctoritatem veterum librorum omnium. Pronomen enim *illius* referendum est ad Trajanum Imperatorem, de quo mentio facta est in verbis proxime antecedentibus. Quidni vero bene possit dici, *usu probemus nos dignos illius (principis)*: h. e. præstemus ostendamusque nos dignos Principis, si cum eo bene recteque vivamus, et, si erga eum nos, pro eo ac decet, geramus, ejusdemque imperio obsequamur. Vocabulum enim *usus*, haud secus, ac Græcorum χρῆσις, sic aliquando recte explicatur: v. g. apud Plinium infra LXXIX. 2. 'Tolerabilius fuit, experimentum tui nobis, quam usum negari.' Et LXXXVIII. 3. 'Neminem in usu habes, nisi aut tibi, aut patri tuo, aut optimo cuique principum dilectum.' Sed nominis hujus notio clarius patet ex verbo, apud Horat. I. Epist. 17. 1. 'Quamvis, Scæva, satis per te tibi consulis, et scis, Quo tandem pacto deceat majoribus uti,' &c. Ad quæ verba bene commentatur Lambinus: "'Majoribus uti,' i. e. erga majores se gerere; nosti, quo pacto majores et potentiores tractandi sint. Sic loquuntur et Græci, χρῆσθαι. Epicharmus: γνῶθι, πῶς ἄλλῳ κέχρηται. *Cognoscito, quo pacto se adversus alium gesserit.* Et Xenophon: ἵνα καλοί τε καὶ ἀγαθοὶ γενόμενοι, καὶ οἴκῳ, καὶ οἰκέταις, καὶ οἰκείοις, καὶ φίλοις, καὶ πόλει, καὶ πολίταις δύναιντο καλῶς χρῆσθαι. *Ut viri boni atque honesti effecti, et sua domo, et servis, et propinquis, et amicis, et civitate, et civibus bene uti possent.*' Sic et huc pertinet, quod Horatius in eadem Epistola, vs. 13. et 14. scribit: 'Si pranderet olus patienter, regibus uti Nollet Aristippus: si sciret regibus uti, Fastidiret olus, qui me notat.' Ubi Diogenes Laërtius, cum ista retulit de Aristippo, dixit: ὁμιλεῖν ἀνθρώποις καὶ τυράννοις. Adjectum vero *dignus*, etiam apud alios bonos solutæ orationis auctores aliquando cum casu gignendi construi, jam Bangius, aliique observarunt. Cetera hujus loci Pliniani verba in omnibus li-

bris, quorum conferendorum copia nobis fuit, sine varietate deprehenduntur, si a primo libro Gudii, et a Cuspiniani editione discesseris. Etenim nihil refert in prioribus Catanæi editionibus pro *præstemus*, legi *præstamus:* atque in codice Salisburgensi scriptum esse, *Si mavis principibus præstemus obsequium;* item in libro primo Gudii pro verbo *probemus*, annotatum esse *præbeamus*. Gruterus, qui alioqui satis moderatus religiosusque est in mutandis scriptorum verbis, fassus est, pro verbo *cogitemus*, sibi aliquando in mentem venisse *rogitemus;* atque id neque postea valde displicuisse. Verum non videmus, quomodo hinc plus lucis accedere possit huic loco? Frischmannus vero, seu potius Berneggerus, diserte docuit particulam *si* hoc loco positam esse pro *an;* quemadmodum εἰ apud Græcos; hujusque notionis exempla quædam ex aliis scriptoribus arcessivit. Idem, cumulatis quibusdam exemplis, docuere Jac. de la Baune, Kirchmaierus, Cellarius, alii. Ita nempe omnes in ista interpretatione semel inventa acquievere, nullum defectum, nullamque corruptelam amplius suspicati. Sed, si vel maxime istam notionem particulæ *si*, eamque rariorem, et, quantum nobis constat, nusquam alibi Plinio usurpatam, admittamus, adeoque ejus loco particulam interrogandi *an* assumamus; non tamen, nisi languida et Pliniano acumini parum congruens sententia, inde existere videtur; quam multo vividiorem acrioremque reddit supplementum illud, quod in egregia Cuspiniani ἐκδόσει animadvertimus, ubi hæc verba pleniora, multoque concinniora, sic legimus: *atque identidem cogitemus, quam sit indignum, si majus principibus præstemus obsequium, qui servitute civium, quam qui libertate, lætantur.* Neque est, cur hanc loquendi rationem vel novam, vel Plinio minus dignam opinemur, cum Cuspinianus istos Panegyricos Veterum ex vetustis codicibus recensuerit; cumque Plinius etiam in hoc ipso Panegyrico eadem fere formula uti consueverit. Sic enim LIV. 1. 'Sed illud indignum,' inquit, 'quod eodem tempore, in senatu et in scena, ab histrione et a consule, laudabantur.' Et congruentius LXXVII. 7. 'Quippe etiam fortunæ videbatur indignum, si posset honores dare, qui gerere non posset.' Quid? quod eadem verba, *quam sit indignum*, hoc loco annotata deprehendi in libro primo Gudii; quanquam nesciam, unde is ea acceperit? Miror igitur, cur tam apta et luculenta lectio non dudum postliminio restituta fuerit Plinio.

EXCURSUS III.

CAP. IV. 3. *Utrumque, Cæsar Auguste, moderate: et quod alibi tibi gratias agi non sinis, et quod hic sinis. Non enim a te ipso tibi honor iste, sed ab agentibus, habetur.* Plana hæc sunt verba, neque facile mutanda; cum omnium, quos consuluimus, librorum auctoritate se tueantur. Nihili enim est, quod in codice Parisiensi loco pronominis *tibi*, legitur *nihil;* et pro verbo *habetur*, in codice Guelpherbytano *agetur*. At, cum in meo codice Ms. omissa præpositione *ab*, hæc scripta sint, *non enim a te ipso tibi honor iste, sed agentibus habetur;* cogitandum est, annon sic argutior sententia hinc existat? quasi dixerit panegyristes: Non a te ipso tibi honor iste habetur, i. e. non tui

honoris causa permittis injungisque, ut publice tibi gratiæ agantur; sed agentium causa, h. e. ut iis potius, qui tibi gratias ultro decernunt aguntque, honor inde habeatur, ne tu scilicet senatus decretum dedignari videaris, ac ne senatus, omissa omni laudatione gratiarumque actione, parum gratus, parumque erga te pius existimetur: inde ultro cedis, et quasi obsequeris affectibus nostris. Tunc vero forte sic luculentius scribendum esset: *non enim a te, ipsi tibi honor iste, sed agentibus habetur.* Atque brevius hanc codicis mei lectionem ita exponit Gesnerus: 'Cum permittis tibi gratias agi publice, ea in re non tibi habes honorem, sed nobis, qui agimus.' Sed in tam constanti consensu omnium ceterorum librorum, malo retinere vulgatam lectionem; cui et sua constaret sententia, etiamsi præpositio *ab* non denuo exprimeretur, sed saltem repeteretur animo. Placuit tamen eruditissimo Gesnero codicis nostri auctoritatem sequi. At ego defectum præpositionis *ab* in meo codice habeo pro errato librarii; cum neque codex Salisburgensis, neque Vaticanus consentiat codici meo; qui alias sæpius inter se conspirant. Nihilominus hoc erratum numero inter felicia errata, quæ commodam, et aliquando fere acutiorem, quam vetustior scriptura, τυχικῶς efficiunt sententiam.

EXCURSUS IV.

Cap. iv. 5. *Alium toga, sed non et arma honestarunt: reverentiam ille terrore; alius amorem humanitate captavit.* Levem, sed tamen non contemnendam, varietatem in his verbis ostendunt omnes, quos adii, codices Mss. ubi, pro *humanitate*, habent *humilitate*. Probe certe; orator enim edisserit, neminem adhuc extitisse, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. Laudandus est princeps, qui reverentia auctoritatem majestatemque suam munit; sed vitio ei vertitur, si reverentiam non nisi metu et terrore parare satagit. Bene recteque agit princeps, qui a suis vult amari; sed minus prudenter, si amorem istum non nisi *humilitate*, i. e. quadam abjecti animi demissione, et nimia familiaritate, aut, uti Pacatus, Paneg. cap. 2. loquitur, 'ventosa popularitate' aucupatur. Talem humilitatem, qua quondam senatus Romanus erga Pallantem, libertum Claudii, se ultra, quam decori dignitatisque ratio pateretur, demiserat, reprehendit Plin. Epist. viii. 6. 15. Confer supra notam nostram ad lxxi. 5. 'Humilitas' adeo ista, non vero 'humanitas,' vituperanda est in principe; qui rectius 'humanitate' sibi 'conciliare,' quam 'captare,' aliorum amorem diceretur. Atque sic etiam in altero Gudii libro annotatur: *humilitate.* Eandem vocem exhibuerant Catanæus, Cuspinianus, Frobenius an. 1552. atque in margine annotarunt Seb. Gryphius, Sichardus, H. Stephanus, et Livineius; nunc Gesnerus quoque et Arntzenius receperunt: quam adeo merito vindicamus Plinio.

EXCURSUS V.

Cap. v. 2. *An fas erat, nihil differre inter Imperatorem, quem homines, et quem Dii fecissent? Quorum quidem in te, Cæsar, judicium et favor, tunc statim, cum*

ad exercitum proficiscereris, et quidem inusitato, enituit. Illud leve est, quod annotemus, vocabulo *Cæsar* adjici *Auguste* in codicibus Mss. item a Cuspiniano, Gryphio, Sichardo, Livineio, Lipsio, Grutero, de la Baune, Patarolo, et aliis. Præterea vero vocabulo *inusitato* Cuspinianus addiderat *judicio*, verisimili errato typographi, pro *indicio;* cum jam sub initium horum verborum *judicium* affuerit. Unde et Livineius in margine monuit, forte legendum *indicio*. Quam vocem, quamvis eam in nullo invenerim codice Ms. utique probavit Rittershusius; eandemque in ipsum contextum orationis admisere Lipsius, Berneggerus, Jac. de la Baune, Hackius, Ceva, et nunc Gesnerus atque Arntzenius; sed et in margine primi libri Gudiani eadem annotata erat. Denique pro ultimo verbo *enituit*, quod vulgo in libris editis, at solummodo in Guelpherbytano et Patavino scriptis legitur, codices Mss. Vaticani, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis et meus, exhibent *enotuit*. Quod verbum etiam Sichardus, et nunc Arntzenius, prodidere. Ac nescio, an non Beroaldus in edit. an. 1501. idem jusserit exprimi, cum inquinate ibi legatur *enutuit*. Verbum 'enotesco,' i. e. in notitiam aliorum venio, divulgor, non simpliciter est spernendum; saltem a stylo Plinii non est alienum; utpote qui Epist. II. 10. 'enotuerunt,' inquit, 'quidam tui versus:' quam lectionem præter causam sollicitavit Cortius, qui in codice Mediceo invenerat *enituerunt*, ac præoptavit *emicuerunt*. Haud secus et Tranquillus, Plinii æqualis, eodem verbo usus est in vita Othonis cap. 3. 'Id satis visum, ne pœna acrior mimum omnem divulgaret; qui tamen sic quoque hoc disticho enotuit,' &c. item et Tacitus Hist. II. 34. 'Quod ubi enotuit,' &c. Et sane, si assumatur nomen *indicio*, perplacet verbum *enotuit*. Sin id rejiciatur, aut certe si panegyricæ dictionis habeatur ratio, forte magis nitesceret *enituit*. Nam 'enitescere,' etiam pro inclarescere, notum fieri, et innotescere aliquando poni, aut saltem proxime ad notionem verbi 'enotescere,' videtur accedere. Gellius XII. 21. 'Jam fama virtusque felicitatis Romanæ apud exteras gentes enitescere cœptabat.' Auctor ad Heren. IV. 44. 'Potitus est gloria, quæ cum summa laude prodita, vetustate quotidie magis enitescit.' Neque adeo adhuc necesse esse videtur, ut vulgatam lectionem illico deseramus. *Inusitato* quidem, tanquam adverbium, parum usitate positum videtur, cum Cicero aliique scriptores maluerint dicere 'inusitate.' Neque nobis, præter hunc locum Plinianum, succurrit alterius scriptoris auctoritas, qua adverbium *inusitato* tueamur. Interim nec in universum refragatur ἀναλογία linguæ Latinæ, in qua et alia quædam adverbia in *e* et *o* simul desinunt. E. g. 'arcane' et 'arcano;' 'commode' et 'commodo;' 'tacite' et 'tacito;' 'false' et 'falso;' de quibus adire licet Vossium de Arte Gramm. VI. 19. Ut tamen vocabulum *indicio* omitteretur, occasionem dormitanti librario dare potuit vox proxime præcedens *inusitato*; cui idem initium et exitus, qui est voci *indicio*. Utcumque est, haud diffiteor, nec nomen *indicio*, nec verbum *enotuit*, Plinio indignum videri: quamobrem jam tum, cum primum has ederem observationes, professus sum, mihi magis placere hanc lectionem, *inusitato indicio enotuit;* et prope abest, quin nunc malim, ne in textu recensendo ab hac sententia recesserim.

EXCURSUS VI.

CAP. V. 9. *Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur.* Omnes quibus usus sum codices Mss. adhæc in impressis Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Rhenanus, Cratander, Gryphius, Ascensius, Sichardus, Livineius, Stephanus habent *noscantur.* Si extra contextum orationis hæc verba consideres, ac sigillatim vocem *vices*, et in proximis *semina* respicias; satius erit legere *nascantur.* Ita judicat, et ex illo *vices* colligit Petrus Faber Semestrium lib. II. pag. 261. Et hanc lectionem etiam Cuspinianus, Philomusus, et ceteri, quos jam nondum nominavi, prodidere. Sin attendas animum ad contextum orationis, et maxime ad ea quæ mox sequuntur: *Occultat utrorumque semina Deus, et plerumque bonorum malorumque causæ sub diversa specie latent;* tum magis arriserit verbum *noscantur*, i. e. interprete Lipsio, 'dijudicentur melius, et sentiantur, ex sensu contrariorum.' Nam, quod Catanæus ait, 'adversa faciunt, ut magis prospera intelligamus.' Et, quod idem etiam e Seneca bene annotavit: 'Si bonum est rerum scientia, non possumus adversa intelligere, nisi secundorum cognitione; nec secunda, nisi adversorum.' Diu hæsitavi utrum admitterem verbum, inprimis propter consensum tot codicum Mss. Tandem recepi verbum *nascantur;* quod etiam Arntzenio et Gesnero placuisse animadverti. Unum adhuc noto, sequentia verba in codice Salisburgensi sic scripta legi: *Occultat utrorumque semina Deus, et plerumque bonorum malorumque censura diversa specie latet;* pro quibus tamen alia, eaque non minus antiqua manus, in margine codicis lectionem vulgatam reposuit.

EXCURSUS VII.

CAP. VI. 2. *Postremo coactus Princeps, quos nollet, occidere, ut daret Principem, qui cogi non posset.* In omnibus codicibus nostris pro *nollet* scriptum est *nolebat.* Sic etiam Puteolanus, Beroaldus, Philomusus, Rhenanus, Lipsius, Gruterus, Puteanus, Berneggerus, Hackius, Bannius, Patarol, Arntzenius edidere. Gesnerus retinuit quidem vulgarem lectionem *nollet;* at in nota subjecta scripsit, 'Non damnarim hanc lectionem; sed tamen magis placet, quod est in Ms. Schwarz.' Cuspinianus pro *nolebat* habet *nolebas*, ut opinor, ex errato typographico. Bene autem Cellarius ex Xiphilino annotavit, Nervam coactum esse, ut occidi juberet, quos nolebat interfici, hoc est, interfectores Domitiani.

EXCURSUS VIII.

CAP. VI. 5. *Solus ergo adhuc, qui pro munere tanto paria accipiendo fecisti, immo ultra dantem obligasti.* Ita hæc verba, *adhuc, qui,* Cellarius edidit, suum, opinor, Boxhornium secutus; quanquam et Puteolanus, et Beroaldus, et Catanæus, Aldusque, et plures alii, eandem prodiderint lectionem. Codices

Mss. variant: in Guelpherbytano legimus, *Solus ergo ad hoc, qui pro, &c.* in Parisiensi et Patavino, *Solus ergo ad hoc, cui pro, &c.* Cui propius accedit editio Gryphii, et Sichardi, *Solus ergo adhuc, cui pro, &c.* At in istis tribus codicibus vocabulum *ævi* facili lapsu mutatum corruptumque est: in uno quidem in casum nominandi pronominis relativi, *qui;* in ceteros vero, in casum dandi, *cui;* cum medio ævo scribi solitum, *cui,* loco *ævi.* Veriorem lectionem exhibent codices Mss. Vaticani, Venetus, Salisburgensis, meus, et liber Gudianus I. atque in excusis libris, Cuspinianus, Lipsius, Berneggerus, Hackius, Ceva, ac recentius, Gesnerus et Arntzenius. His proxime accedunt liber Vossii, Gruterus, Puteanus, Baunius, et Patarol; nisi quod hi præter necessitatem etiam pronomen *qui* addunt: *Solus ergo ad hoc ævi, qui pro munere, &c.* Nos amplectimur illam plurium codicum Mss. scripturam, licet eam rejiciat celeberr. Heumannus Pœciles tom. III. l. IV. p. 523. 'Non placet hoc,' inquit; 'quippe non satis Latinum. Mihi hæc videtur scripsisse Plinius: *Solus ergo adhuc dato munere tanto paria accipiendo fecisti; immo ultro dantem obligasti.*' Hæc Heumannus. At enimvero sic vox *dato* orationi infercitur, quam nullus unquam liber hoc loco agnovit; et præpositio *pro,* quam omnes probant libri, violenter extruditur, totaque sententia redditur obscurior. Ego omnino credo, istam loquendi formulam, *ad hoc ævi,* satis esse Latinam, et Plinio convenientem. Nonne enim Plinius hic æque dicere potuit *hoc ævi,* uti Cicero dixit 'hoc literarum,' Fam. Epist. II. 8. 'hoc molestiæ,' ad Q. Fr. II. 10. 'id temporis,' Catil. I. 4. 'id ætatis,' Fam. Epist. VI. 20. sive, ut Terent. Eun. III. 4. 8. 'Quid hoc hominis ?' aut ut Lucretius II. 15. 'Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis, Degitur hoc ævi ?' Et ipse Plinius alibi, nempe Epist. I. 11. 7. 'habebat hoc moris;' et V. 6. 6. 'hoc studii.' Sed et præpositio *ad* nominibus temporis et loci recte jungitur; v. g. Cæs. B. G. I. 79. 'Hæc ad id tempus Cæsar ignorabat.' Sallust. Jug. LXXXV. 7. 'Ita ad hoc ætatis a pueritia fui,' &c. Quid multa ? Ipse avunculus Plinii nostri diserte ad hunc modum loquitur, Hist. Nat. XVI. 4. 'Cedunt et rostratæ (coronæ) quamvis in duobus maxime ad hoc ævi (i. e. ad hoc usque tempus) celebres.' Piget plura hujus generis exempla conquirere. De formula 'paria facere,' i. e. par pari referre, vide notam in 'Paria fecisti,' &c. LXXXI. 1. De particulis 'ultro' et 'ultra,' quæ promiscue in hoc loco occurrunt, vid. Nott. Varr. His, qui receperunt 'ultro,' adde Puteolanum, Stephanum, Arntzenium; qui putat *ultro* hic notare, 'ultra,' 'insuper;' qua de causa citat Servium ad Virgil. Æneid. IX. 727. et XII. 3. et Grævium ad Cic. pro Quint. c. 23. qui Grævius particulam *ultro* in hoc Plinii loco ita interpretatur, h. e. 'insuper etiam dantem obligasti.' Jac. de la Baune hæc commentatur: 'Torquent se hoc,' &c. [Vid. Not. Delph.] Gesnerus admisit quidem etiam *ultro;* at in altera editione hanc addit notam: 'Sed nec damnaverim *ultra,* quod habent quidam: ut corrigat illud *paria fecisti. Ultra,* i. e. amplius tu illum, quam ille te, obligasti.'

EXCURSUS IX.

CAP. VII. 4. *Ascivit enim te filium non vitricus, sed Princeps.* Ex his Plinii verbis, et ex Victoris Epitome cap. XII. Tristanus, *Histoire des Empereurs par*

Médailles, tom. I. colligere voluit. Nervam habuisse uxorem, et ex ea filium, Calpurnium dictum. Sed inanis ista est conjectura; cum Plinius nihil aliud indicare voluerit, quam adoptionem Trajani diversam fuisse a Tiberii et Neronis adoptione: Trajanum a Nerva ex mera in patriam charitate; Tiberium vero a vitrico Augusto, et Neronem a vitrico Claudio, in gratiam uxorum adoptatos esse. Sed nec aliud dicit Victor, quam Calpurnium quendam Crassum cum uxore sua, (non cum uxore Nervæ,) a Nerva ob majestatis crimen fuisse relegatum. Vide Spanhem. de Præst. et Usu Numism. vol. II. pag. 287.

EXCURSUS X.

Cap. vii. 5. *An senatus populique Romani exercitus, provincias, socios, transmissurus uni, successorem e sinu uxoris accipias?* Hanc quidem lectionem evulgarunt aliquot editores, v. g. Aldus, Gryphius, Sichardus, Navius, Stephanus, alii. Propius ad veriorem lectionem accedunt, quamvis ex parte adhuc mendum admittant, codices Mss. Vaticanus 3461. et Guelpherbytanus, in quibus legimus, *An senatum populique Romani exercitus, &c.* Rectius et plenius hanc sententiam exhibent Vaticanus 1475. Venetus, Patavinus, Salisburgensis, meus, et liber Vossii; quibuscum in impressis consentiunt Beroaldus, Catanæus, Cuspinianus, Rhenanus, Lipsius, Gruterus, alii. Hæc lectio etiam Livineio, quamvis ei nondum dederit locum in contextu, arrisit, quia eandem invenerat in antiquo codice, et quia firmatur simili loquendi ratione Metii Falconii Nicomachi apud Vopiscum cap. 6. in vita Taciti; cujus hæc sunt verba: 'Teque, Tacite Auguste, convenio, petens, obsecrans, libere pro communis patriæ legibus deposcens, ne parvulos tuos, si te citius fata prævenerint, facias Romani hæredes imperii: ne sic rempublicam, patresque conscriptos, populumque Romanum, ut villulam tuam, ut colonos tuos, relinquas.' Nec Plinius suo ævo, ubi jam senatus populusque Romanus in potestate et tutela erat Imperatoris, potuit recte convenienterque dicere, *senatus populique Romani exercitus, provincias, socios;* cum neutiquam omnes provinciæ exercitusque essent senatus populique Romani; et cum jam Augustus, teste Dione lib. LIII. provincias cum senatu divisisset; quanquam et tum Imperatores de omnibus pro lubitu disponere possent. Nihilo minus tamen hæc lectio, quam jam primum propositis observationibus meis vindicandam sumseram, probare se non potuit cl. Heumanno. Is enim, Pœciles tom. III. lib. IV. 'Non hæc,' inquit, 'probari debet emendatio: Plinius enim veteris majestatis reip. Romanæ memor, et hoc loco, et hujus orationis aliis, senatui populoque Romano tribuit exercitus et provincias, Trajanum non habens pro rege Romanorum, sed pro principe senatus.' At enimvero, etsi Trajanus non dicebatur 'rex Romanorum,' Principis tamen nomine complectebatur omnem potestatem; et ipse Plinius ei mox summam ascribit potestatem; nusquam vero, quantum memini, senatui populoque Romano sigillatim ascribit exercitus, provincias, et socios. Quid vero? Nonne etiam mitissimo Principi Imperii debuit curæ esse, ne senatum æque populumque Romanum, ac provincias et exercitus, transmitteret ad hæredem summæ potestatis successoremque indignum, ac tanto

imperio imparem? Sed non necesse habeo, pluribus sententiam meam tueri; cum cl. Arntzenius obvia humanitate mihi jam afferit patronus, pro me causam gratis dicere paratus.

EXCURSUS XI.

CAP. VIII. 1. *Sedulo ergo vitavit hunc casum; nec judicium hominum, sed Deorum etiam, in consilium assumsit.* Codices Mss. Vaticanus, Parisiensis, Venetus, Patavinus, et meus, item et in excusis libris, Puteolanus, Beroaldus, Aldus, et Philomusus, corrupte produnt *judicio;* pro eo quod expresse beneque habent codex Guelpherbytanus, Salisburgensis ex correctione antiquæ manus, (cum ante etiam *judicio* scriptum fuisse videatur,) et liber Vossii; quam scripturam nunc amplexi quoque sunt Gesnerus et Arntzenius. Plurimi alii editores evulgarunt *judicium.* At vero et alibi Plinius, ubi de plurium hominum judicio loquitur, numero multitudinis uti solet; v. g. LXIII. 8. 'Ut te et religioni Deorum, et judiciis hominum exhiberes.' LXXXIV. 8. 'Verum honorem in judiciis hominum reponant.' In vulgatis libris, ubi *judicium* editur, parum grata *ὁμοιόπτωτα* plurium nominum similiter cadentium occurrunt. Cuspinianus, quod mirum, mendose edidit *nec in judicium hominum,* quod Th. Hearne etiam tribuit Scaligero; quoniam in libro, quem Scaliger quondam possedit, sine dubio ex Cuspiniani editione, hæc lectio annotata erat. Bene animadvertit cl. Arntzenius, in his verbis Plinium brevitatis causa omisisse particulam *solum,* sive *modo,* sive *tantum;* cum plenius dicere debuisset, *nec tantum judicia hominum, sed Deorum etiam, in consilium assumsit.* Sic et Livius XXXIX. 28. 'Non (modo) cum Maronitis mihi, aut cum Eumene, disceptatio est; sed etiam nobiscum, Romani.'

EXCURSUS XII.

CAP. VIII. 2. *Sibi enim Dii gloriam illam vindicaverunt: horum opus, horum illud imperium; Nerva tantum minister fuit. Uterque, qui adoptaret, jam paruit, quam tu, qui adoptabaris.* In unico codice Vaticano 3461. mendose scriptum est, *hoc opus, horum illud, &c.* pro *horum opus, &c.* cum non solum in ceteris tribus Vaticanis, sed etiam in aliis libris omnibus, lectio vulgata extet. Porro, *Nerva tantum* in codicibus Mss. Vaticanis, Guelpherbytano, et meo, atque in quibusdam excusis; at in ceteris *Nerva tamen* invenitur, pro solita illa harum particularum *tantum* et *tamen,* propter compendiosam scripturam, confusione. Potissimum vero scrupulum movet vox *uterque,* quo referatur; utpote quæ prorsus abundare videtur, nisi quis, rejecto nomine *Nerva,* ita hæc verba rescribenda suspicetur: *Tantum minister fuit uterque: qui adoptarat, tam paruit, quam tu, qui adoptabaris.* Ego enim malim legere *adoptarat,* sive *adoptabat,* quam, quod vulgo expressum est, *adoptaret:* propterea, quod eodem sermonis tenore sequitur *adoptabaris.* Mira in his verbis refingendis audacia fuit Bebrii, qui ea sic rescribenda suadet: *Horum opus hoc, quorum hoc est imperium. Nerva tantum minister fuit: sed tu quoque. Uterque Diis*

obsecuti estis, et, si rem licet dicere, qui adoptabat, tam paruit, quam tu, qui adoptabaris. Primum exemplar Gudianum hæc margini ascripta habet: *horum opus, horum illud imperium: uterque tamen minister fuit. Tam paruit Nerva, qui adoptabat; quam tu, qui adoptabaris.* Satis bene se habet ista translocatio, si quidem e codice vetusto, et non forte ex ingenio emendatoris, fuerit profecta. Sed non prætereundum est, codices tres Vaticanos 3461. 1775. et 1776. item Parisiensem, et meum, loco vocabuli *uterque,* exhibere *utque;* idemque margini alterius exemplaris Gudiani fuisse ascriptum: id quod h. l. pro *utique* positum putamus. Adhæc, in codice Veneto scriptum est *utrique,* quod propius accedit ad particulam *utique,* si istinc superflua litera *r* rejiciatur. Denique etiam in codice Salisburgensi legitur vox *utque,* quæ vero ibi literæ *t* semicircellum habet appictum *ut'que;* unde hanc vocem, vel *utique,* vel *uterque,* legere possis. Igitur ex hac tam levi mutatione plana omnino existit sententia: *Sibi enim gloriam illam Dii vindicarunt: horum opus, horum illud imperium; Nerva tantum minister fuit. Utique, qui adoptarat, tam paruit, quam tu, qui adoptabaris.* Neque particula *utique,* quæ non solum corrigendi, sed et asseverandi vim habet, et per 'omnino,' vel 'certe' explicari potest, ab hoc loco est aliena; quam etiam cl. Gesnerus non indignam existimavit, cui in contextu panegyrici locum daret.

EXCURSUS XIII.

CAP. VIII. 5. *Atque adeo temere fecerat Nerva, si adoptasset alium.* Non solicito hunc locum, omnium librorum suffragiis suffultum; peculiarem tamen loquendi formulam notandam duco; cum Plinius scripserit *fecerat,* ubi ordinarie scribendum videretur *facturus fuisset.* Sed et aliis linguæ Latinæ auctoribus illa enallage temporum aliquando usitata fuit; v. g. Livio XXXIV. 29. 'Difficilior facta oppugnatio erat, ni T. Quintius cum quatuor millibus delectorum militum supervenisset,' i. e. difficilior oppugnatio futura fuisset, &c. Eidem Livio XXV. 32. 'Quod ni tam in tempore subvenisset, victoribus victisque pariter perniciosa fames instabat.' Sic et Seneca loquitur in Consolatione ad Marciam cap. 1. 'Magnum mehercule detrimentum respublica ceperat, si illum (librum) ob duas artes pulcherrimas in oblivionem conjectum, eloquentiam et libertatem, non eruisses.' Item Suetonius Jul. LII. 1. 'Et eadem nave pæne Æthiopia tenus Ægyptum penetravit, nisi exercitus sequi recusasset.' Adhæc Tacitus Ann. III. 14. 5. 'Effigies Pisonis traxerant in Gemonias, ac divellebant, ni jussu Principis protectæ repositæ forent.' Conf. Freinshem. ad Flor. IV. 2. 19. ubi Florus: 'Et peractum erat bellum sine sanguine, si Pompeium Brundisii opprimere potuisset.' Idem Flor. IV. 1. 'Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa conjuratio in Ciceronem incidisset.'

EXCURSUS XIV.

CAP. VIII. 5. *Oblitine sumus, ut nuper post adoptionem non desierit seditio, sed cœperit? Irritamentum istud irarum, et fax tumultus fuisset, nisi incidisset*

in te. Disputant commentatores, ad quod exemplum adoptionis respiciatur, post quam nuper non desierit seditio, sed cœperit? Lipsius, Cellarius, Arntzenius, Gesnerus referunt ad Galbam, qui adoptaverat Pisonem; Catanæus, Livineius, Baudius, Berneggerus, et Patarol, ad Nervam, a quo adoptatus est Trajanus. Mihi probabilius est, potius proponi exemplum Pisonis, quam Trajani adoptati; quia Plinius diserte ait, adoptato Trajano, statim desiisse seditionem, et consedisse omnem tumultum; quæ narratio cum historia Xiphilini convenit, qui et ipse refert, tunc illico compressum fuisse prætorianorum tumultum, quem Calpurnius Crassus, et Ælianus Casperius excitarant: quomodo igitur nunc de eadem adoptione Trajani dicere potuisset, *post eam non desiisse seditionem, sed cœpisse?* Sed aliter se res habebat cum adoptione Pisonis. Equidem sub Galba, jam ante adoptionem, se moverant exercitus superioris Germaniæ; Romæ tamen non nisi clandestina adhuc a seditiosis agebantur consilia. Cum itaque Galba facile sentiret, suam senectutem orbitatemque cœpisse esse fastidio; Pisonem Frugi Licinianum repente e media salutantium turba apprehendit, filiumque appellans, perduxit in castra, ac pro concione adoptavit. Quæ adoptio vero, tantum abest, ut felicem habuerit exitum, ut jam multo plures gravioresque turbas excitarit, ita ut mox ipse Galba pariter atque Piso a tumultuantibus fuerint trucidati. Id quod, cum Suetonius in Vita Galbæ, tum Tacitus Hist. I. 15. 16. et 18. pluribus commemorant. Recte ergo dicere potuit Plinius, post adoptionem Pisonis seditionem cœpisse apertius erumpere, vehementiusque in perniciem adoptantis juxta ac adoptati ingravescere. Comparat adeo orator ex adoptione Trajanum cum Pisone; ut ostendat, hujus personam fuisse populo Romano odiosam; illius vero Trajani gratiosam et exoptatam. Si Plinius de sola Trajani adoptione orationem continuasset, non facile additurus fuisset particulam *nuper*, qua auditoris, vel lectoris animum quasi ad aliud exemplum avocavit. Ita nempe aliquoties Trajanum comparat cum aliquo superiore Imperatore; v. g. XX. 4. 'Quam dissimilis nuper alterius Principis transitus.' Cap. XLVIII. 3. 'Remoramur, resistimus, ut in communi domo, quam nuper immanissima bellua plurimo terrore munierat.' Falluntur vero, qui putant, propter particulam *nuper*, hoc exemplum non posse referri ad Pisonem a Galba adoptatum; quoniam hic non *nuper*, sed jam pridem perierit. Periit autem Galba anno post Christum natum 69. decimo quinto die Januarii; adoptatus est Trajanus a Nerva anno 97. mense Septembri, hoc est, viginti octo annis post. At vox *nuper* non raro *ἐν πλάτει* accipitur. Cic. Verr. II. 49. ait, 'nuper L. Licinio et Qu. Mutio Coss.' qui ante annos XXV. Consules fuerant. Tacitus, qui, docente Gerh. Jo. Vossio, de Historicis Latinis, demum post mortem Nervæ, adeoque post annum Christi 98. libros suos Historiarum scribere exorsus est, Hist. IV. 17. nihilominus ait, 'Nuper certe, cæso Quintilio Varo, pulsa e Germania servitus.' Jam autem Quintilius Varus, legatus pro prætore, cum tribus legionibus ab Arminio cæsus est, A. U. C. 762. sive A. C. 10. adeoque ante annos circiter 88. Plura exempla affert noster quondam Rupertus ad Enchiridion Pomponii, p. 247.

EXCURSUS XV.

Cap. ix. 1. *Nam successor, etiam si nolis, habendus es; non es habendus socius, nisi velis.* Rectius codices Mss. Vaticani, Venetus, Salisburgensis, itemque in libris impressis, Puteolanus, Beroaldus, Aldus, Cuspinianus, Philomusus, Livineius, Cratander, Sichardus, Puteanus, Baunius, Berneggerus, Patarol, nunc etiam Gesnerus, et Arntzenius habent, *Nam successor, etiam si nolis, habendus est; non est habendus socius, nisi velis.* Liber Vossii priore, et meus codex altero loco omittit verbum substantivum *est*. Codex Guelpherbytanus in verbo *nolis* admisit mendum, *etiam si nobis, habendus est; non est habendus.* Bene se habet plurium codicum Mss. scriptura, et rejicienda est Catanæi, aliorumque vulgaris lectio, *habendus es; non es habendus.* Neque enim his verbis Plinius solum affatur Trajanum; sed impersonaliter loquitur, quasi dixerit: Nam successorem, etiamsi aliquis nolit, quisque Imperator post mortem necessario habebit; quia nemo, ut Vulcatius Gallicanus dixit, 'successorem suum tollit;' at socius, nisi velis, non est necessario habendus.

EXCURSUS XVI.

Cap. ix. 5. *Eodem illo uti jure posse putes, cum ad imperium revocet, quo sit usus, cum ad exercitum miserit.* Pronomen *illo* sic in omnibus reperitur codicibus Mss. quibus usus sum; pro hoc maluit Lipsius *illum.* Quam lectionem jam ante evulgarat Cuspinianus; quam et nos probamus, ita tamen, ut et vulgatiorem lectionem ferri posse putemus; cum per ἔλλειψιν *Nervam* intelligamus. Sic et Baudius ferendam recte censet lectionem verbi, *revocet;* quamvis ex conjectura scripsisset, legi posse, *te vocet.* At cum in omnibus nostris codicibus Mss. et antiquioribus editionibus etiam hæ voces desiderentur, *posse putes;* eas jam prodidit Catanæus, et opportune restituit idem Cuspinianus; atque Philomusus quoque in margine editionis suæ notavit, easdem in quibusdam exemplaribus legi; unde merito posthæc vulgo receptæ sunt, ita vero, ut non nulli editores, e. g. R. H. et P. Stephani, Gryphius, Ascensius, Sichardus, et alii, assumserint quidem verba, *posse putes;* sed retinuerint pronomen *illo*, conjunxerintque cum nomine *jure;* alii vero cum Cuspiniano et Grutero eandem lectionem, quam in contextum recepimus, sint complexi. Atque adeo recentius Arntzenius edidit, *eodem illo uti jure posse putes;* Gesnerus vero nostrum exemplum secutus, *eodem illum uti jure posse putes.*

EXCURSUS XVII.

Cap. xi. 1. *Dicavit cœlo Tiberius Augustum, sed ut majestatis numen induceret; Claudium Nero, sed ut irrideret.* In plurimis fere editionibus, et in uno codice Mss. Guelpherb. hic locum invenit vocabulum *numen.* Baudius testatur, quosdam habere *nomen;* et hoc invenio in Philomusi editione. Sic etiam legit vetus interpres Germanicus, cum ita scribat: *Tiberius hat Au-*

gustum in die hymel geopfert; aber darum, dass er domit einfueret den namen der majestät, als ob sie Götter wärn. At *nomen majestatis* jam etiam viguit in republica libera, et extra consecrationem esse potuit; neque debuisset exprobrari Tiberio. Sed nec *numen majestatis* satis huic loco congruit; quia id potius venerationem honoremque, quam *metum civium*, intulerit; neque tunc institutum Tiberii satis distinctum fuisset a Titi et Domitiani consilio ac proposito, quod in consecrandis antecessoribus suis sunt secuti. Livineius et Lipsius, quamvis retinuerint vocem *numen*, magis tamen propensi fuisse videntur ad probandam vocem *crimen;* quia Plinius docere voluerit, Tiberium non nisi eo consilio et fine consecrasse Augustum, ut, quemadmodum idem Plinius mox dicit, 'ad metum civium' introduxerit auxeritque *crimen majestatis*, h. e. eo frequentiorem occasionem delatoribus attulerit accusandi alios 'læsarum religionum, violatæque majestatis,' ut loquitur Tacitus Annal. III. 24. Sub Tiberio enim, quod jam Lipsius e Seneca de Benef. IV. 26. annotavit, 'frequens et publica pæne fuit rabies accusandi, quæ omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium; nihil erat tutum; omnis sæviendi placebat occasio.' Pleraque vero crimina inscripta 'titulo majestatis.' Quicquid dictum, factumve, Augustum, aut ejus stirpem, vel leviter tangeret, crimen ἀσεβείας erat, i. e. crimen *impietatis*, sive *majestatis*. Immo, quod Tacitus Annal. I. 72. ait: 'Tiberius legem majestatis reduxerat; cui nomen apud veteres idem, sed alia in judicium veniebant.' Et III. 38. 'addito majestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat.' Idem III. 67. 'ne quis necessariorum juvaret periclitantem, majestatis crimina subdebantur, vinculum et necessitas silendi.' Sicut ergo Plinius reprehendit Tiberium, quod in damnum 'metumque civium' cœlo dicarit Augustum, ut accusando crimini majestatis frequentiorem daret occasionem; ita Trajanum e contrario laudat, quod in consecrando Nerva haudquaquam tam impium consilium sit secutus; sed potius, secundum cap. XLII. 1. 'metum criminis majestatis' tandem penitus sustulerit. Dignum ergo est hoc vocabulum *crimen*, quod in contextum orationis rursus recipiatur; cum id jam exhibuerint Gryphius an. 1542. Sichardus, Gruterus, Puteanus, Jac. de la Baune, Patarol, et nunc Arntzenius atque Gesnerus. Confirmatur vero hæc ipsa lectio etiam auctoritate codicum Mss. Vaticanorum, Parisiensis, Veneti, Salisburgensis, et mei. Eandem etiam in duobus optimis codicibus repererat Livineius. Etiam Cuspinianus jam hanc vocem *crimen* evulgavit, sed ita, ut typographus mendum simul admiserit: *Dicavit cœlo Tiberius Augustum, sed ut majestatis crimen induceret; Claudium Nero; sed ut majestatis nomen induceret; Claudium Nero, sed ut irrideret, &c.* Neque est, nisi mendum librarii habendum, quando in codice Patavino, et libro Vossii legimus, *sed ne majestatis crimen indueret.* Sed vide, quid D. D. Heumannus de ista correctione hujus loci censuerit, Pœcil. tom. III. lib. IV. 'Exhibes non correctionem, sed corruptionem magnorum quidem hominum; at hominum. Equidem non dubito, quin hæc vera sit scriptura: *Dicavit cœlo Tiberius Augustum, sed ut majestati suæ numen induceret.*' Cui censorio judicio respondere quid opus est? Non tamen displiceret hæc correctio, si, omisso pronomine *suæ*, cujus nullum in

aliquo libro vestigium restat, simpliciter rescriberetur, *ut majestati numen induceret*, i. e. superadderet, sive, superinduceret.

EXCURSUS XVIII.

Cap. xi. 4. *Num hos proximos, divinitate parentum desides ac superbos potius, quam illos veteres et antiquos, æmuleris, qui hoc ipsum imperium peperere, quod modo hostes invaserant contemserantque? cujus pulsi fugatique non aliud magis habebatur indicium, quam quod triumpharetur.* Hunc locum vitio laborare, jamdudum viri eruditi animadverterunt. Mira varietas et lacuna in codicibus Mss. hæc verba deformavit; quorum varias lectiones fideliter recensebo. Vaticani habent, *æmuleris; qui hoc ipsum imperium q̄m. imp. cujus pulsi fugatique non aliud majus habebatur indicium, quam si triumpharet.* Similiter scriptum est in codice Parisiensi; nisi quod hic compendium q̄m integris literis exprimitur per *quoniam.* Neque hinc discedit codex Venetus, præterquam quod in fine habet, *quam quod triumpharet.* In codice Salisburgensi lego, *æmuleris: qui hoc ipsum imperium quoniam Imperatoris, cujus pulsi fugatique non aliud majus habebatur indicium, quam si triumpharet.* In meo codice, *æmuleris; qui hoc ipsum imperium quoniam Imper. cujus pulsi fugatique non aliud magis habebatur indicium, quam si triumpharet.* In codice Guelpherbytano, *æmuleris; qui hoc ipsum imperium ip̄m imp.* (sic librarius scripsit, quod alii codices habent, q̄m *imper.*) *cujus quibus pulsi fugatique non aliud magis habebatur, quam si triumpharet. Ergo sustulerat animos, ut jugum excusserant.* In codice Patavino, et libro Vossii, *æmularis: qui hoc ipsum imperium: qui cujus pulsi fugatique non aliud majus habebatur. Ergo sustulerant animos.* Sed in libro Vossii annotatum est in codice, post verbum *habebatur,* alia manu adjectum esse, *indicium, quam si triumpharet.* Dolendum est, codices Mss. hic non satis sanos integrosque esse: et actum erat de integritate hujus loci, nisi et impressi, et scripti libri mutuum quasi auxilium ad restituendam lectionem veriorem nobis ferant. Equidem etiam primæ editiones Puteolani et Beroaldi hic mancæ sunt, cum hæc verba pariter prodant: *æmuleris? qui hoc ipsum imperium cujus pulsi fugatique non aliud majus habebatur indicium, quam si triumpharetur.* At primus lacunam quandam explevit Catanæus: *æmuleris? qui hoc ipsum imperium peperere, quod modo hostes invaserant contemserantque; cujus pulsi fugatique non aliud majus habebatur indicium, quam si ab illis triumpharetur.* Sed remanet in his adhuc parva lacuna: inutilis vero illa appendix, *ab illis,* quæ in fine horum verborum, in Catanæi editione an. 1506. et 1510. legitur, in tertia editione an. 1519. omissa, et sic correcta est; *quam quod triumpharetur.* Catanæi majus supplementum sex vocum omnes deinceps editores exhibuerunt, sive Catanæum, sive alios codices scriptos, secuti; nisi quod in ceteris verbis quidam pro *æmuleris,* rescripsere *æmularis;* pro voce *majus, magis;* et in fine hujus periodi, modo, *quam si triumpharetur;* modo, *quam quod triumpharetur.* Sic e. g. Lipsius in Plantiniana editione, item Berneggerus, et Hackius, et forte alii, *æmularis; qui hoc ipsum imperium peperere, quod modo hostes invaserant contemserantque, cujus pulsi fugatique non aliud magis habebatur indicium, quam si triumpharetur.* Contra, Aldus, Cuspinianus, Phi-

lomusus, R. Stephanus, Gryphius, Livineius, Sichardus, Navius, et alii retinent *æmuleris* et *majus*. Verum, si omnium antecedentium editionum lectionem assumas, nescies tamen, quo in his verbis referas pronomen *cujus:* utpote quod haudquaquam apte referri potest ad vocem præcedentem *imperium;* cum Germanice quidem aliquando, non autem satis Latine, dicamus, 'imperium,' vel 'regnum, pelli fugarique.' Certe nulla hujus locutionis exempla ex probatæ Latinitatis auctoribus hucusque afferri potuerunt. Multo minus vero pronomen istud *cujus* pertinet ad *hostes:* propterea, quod non solum in tam comto expolitoque panegyrico σολοῖκον foret, si nomini in numero multitudinis posito responderet pronomen numeri singularis; sed præterea etiam frigidissima hinc existeret sententia, quasi Plinius inutiliter, et sine ullo acumine, dixerit, indicium pulsi fugatique hostis esse, si de eo Romæ triumphus agàtur. Multo, opinor, argutius dictum foret, si sermo referri possit ad aliquem, gloriæ et honoris triumphorum cupidum, cujus nihilo minus victi fugatique indicium fuerit, si ipse de hoste minus victo triumphum egerit. Itaque omnino aliquid huic loco in editionibus adhuc vulgatis deesse apparet, ad quod illud pronomen *cujus*, opportunius, quam ad vocabulum *imperium*, vel *hostes* referatur. Medicinam ergo ei afferre tentarunt non nulli, sed fere frustra. Lipsius hiatum deprehendit; at de vera emendatione prope desperavit. Aliquid hinc excidisse, etiam Livineius testatum fecit ex vetere codice; interim quædam verba sic immutanda putavit, ut scribantur, *hostis invaserat contemseratque;* quo numerus cum sequentibus verbis, *cujus pulsi fugatique*, concordaret. Sed correctio illa recte improbatur a Lipsio; improbatur et a Cellario; quia mox numerus multitudinis in his verbis recurrit, *Ergo sustulerant animos, et jugum excusserant*. Hoc certum est, pluresque, præter Lipsium, jam animadverterunt, his verbis tangi Domitianum, cujus hæc demens fuerit vanitas, ut, cum male pugnasset, fugatusque ipse fuisset ab hoste, nihilominus Romæ egerit triumphum, adeo, ut tandem solennes ejus triumphi non pro victoriæ, sed fugæ et cladis, indicio tunc haberi consueverint. Pro eruenda hac sententia, quæ Plinio utique convenit, sic ejus verba reformari posse putavit Lipsius: *cujus non pulsi fugatique*. Sed ipse fassus est, hanc lectionem sibi non placere, atque aliquid omnino delinquere. Baudius quidem pronomen *cujus* cum nomine *civis* commutandum censuit; sed nec hæc correctio meruit calculum; quia novus quasi hiatus hinc existit, deestque omne vinculum, quo sententiæ istæ cohæreant. Quid ergo? Impressi libri omnes, quos vidimus, pertinaci consensu sibi fere constant; nisi quod Puteolani et Beroaldi editiones, ut supra diximus, adhuc pejorem fecerint hiatum. Nos aliquando, cum hunc Panegyricum publicis illustraremus recitationibus, et ante quidem, quam codicem Ms. sumus nacti, inter verba illa, *contemserantque ... cujus pulsi*, e conjectura putabamus has duas voces, *eo imperante*, ponendas esse; sed nullius veteris libri tunc nobis succurrebat auctoritas. Postquam vero favente fortuna mihi comparavi codicem membranaceum Panegyricorum Veterum, et animadverti, in hoc nostro loco, non scriptum esse *eo imperante*, sed *quoniam imper.* sine mora cogitabam, ibi forte, levi diductione, rescribendum esse, *quoniam imperabat is*. Opinabar, me jam tum veram invenisse lectionem; et sane ea ipsa jam sufficiebat exprimendæ Plinii sententiæ; quin ista opinio

mea adhuc magis confirmabatur, cum mox forte inciderem in Jo. Frid. Gronovii librum novum Observationum, ubi is locum Plinianum similiter sanare instituit. Sed audiamus ipsum, cap. 16. ita de proposito loco disserentem: 'Vitium manifestarium, de quo tollendo adhuc spes exiguæ. ... Nos quatuor scriptos hujus potissimum loci caussa consuluimus; in quibus non nota modo, sed prorsus lacuna erat; carebant enim his verbis, *peperere, quod modo hostes invaserant contemserantque.* Contra quos tamen favemus aliis, unde hæc primum sunt edita: nam si quis audaculus ea subdidisset, sequentium utique illis quocumque modo aptandorum et curam habuisset. Contextum autem orationis carere illis non posse, animadvertes ex eo, quo nos juverunt, quos inspectos nobis modo dicebamus. Membranaceus Archiepiscopi Salisburgensis, *qui hoc ipsum imperium quoniam imperatoris, cujus pulsi fugatique non alius majus habebatur indicium, quam si triumpharet.* Eodemque modo Bavaricus Monacensis, (qui codex hodie ibi desideratur,) nisi quod deerat vox *Imperatoris.* At Veneti, alter D. Marci, *quam imperatorem, cujus pulsi, &c.* alter D. Antonii, *qm. imp. cujus pulsi, &c.* deinde uterque, *triumphante.*' Hinc ergo Gronovius eadem leni mutatione in Plinii verbis parvam lacunam explevit: *qui hoc ipsum imperium peperere? quod modo hostes invaserant contemserantque, quoniam imperabat is, cujus pulsi fugatique non aliud majus habebatur indicium, quam si triumpharet.* Etsi igitur in hoc supplemento, si sententiam Plinii spectemus, facile possemus acquiescere; accidit tamen, ut, cum postea totum contextum hujus Panegyrici recenserem, paulo diligentius expenderim codicum Mss. variantes lectiones, ad hunc locum annotatas, maxime vero eam, quam Gronovius produxerat ex codice Salisburgensi, (cujus codicis mihi etiam deinceps ad aliquot menses perclementer facta est copia;) ubi scilicet librarius scripserat, *quoniam Imperatoris.* In qua scriptura antiquam, eamque veram, lectionem latere deprehendi, dummodo vox *Imperatoris,* quæ per inertiam librarii ex duabus vocibus coaluit, rursus in duas, *Imperator is,* diducatur, ut in posterum ita legamus hunc locum integriorem: *illos veteres et antiquos æmuleris, qui hoc ipsum imperium peperere? quod modo hostes invaserant contemserantque: quoniam imperator is, cujus pulsi fugatique non aliud majus habebatur indicium, quam si triumpharet.* Nihil sane hac emendatione potest esse verisimilius; nihil Plinii sententia et dictione dignius. Sic vel ex unius codicis scriptura veram lectionem eruimus; nam et ab uno codice aliquando servari potest lectio verior; quamvis ad hunc locum sanandum etiam alii codices supra enumerati non certe nihil reliquerint vestigii. Sic sententiam habemus plenam, et argutam, et cum illis, quæ antecedunt, tum illis, quæ sequuntur, optime convenientissimeque respondentem. Sic nullum insolens verbum, nulla incongruens, aut minus usitata loquendi formula occurrit, cujusmodi erat, *imperium pelli, fugari*; item, *hostes, cujus pulsi fugatique, &c.* Sic neque frigida sententia obtruditur Plinio, quasi dixerit, *hostis pulsi, fugatique indicium fuisse, si Romæ triumpharetur.* Immo, sic etiam per verbum emendatum, *triumpharet,* omnia cohæreant melius, et congruunt acumini concinnitatique Plinii, qui allusit ad mimicos et ridiculos Domitiani triumphos, actos de Germanis ac Dacis, a quibus tamen ipse potius victus fugatusque fuerat, testibus Tacito, Xiphilino, et Orosio. Simul vero hinc patet, quæ res occasionem dederit tantæ corruptelæ et lacunæ in hunc lo-

eam admittendæ. Nempe, dum duo cognata vocabula, *imperium*, et *imperator*, in una periodo concurrerunt, oscitans quidam librarius jam ante aliquot sæcula a primo ad alterum oculis divertit, et verba interjecta temere transiliit; qui error deinceps in plures alios libros dimanavit: cujusmodi erroris et corruptelæ exempla passim in multis hujus Panegyrici exemplaribus animadvertimus, et quædam ad c. LIX. annotavimus. Si cui vero scrupulus injiciatur, et quædam dubitatio, an ipsi Plinio tribuenda sit hujusmodi collocatio vocabulorum, *Imperator is*, ex quorum vicinitate et conjunctione facile una vox, *Imperatoris*, coalescere potuerit? is sciat, ejus generis concursum vocum neque ab optimis quibusque scriptoribus prorsus evitatum esse; cum satis habuerint, talia vocabula, cum scriptione, tum pronuntiatione, posse distingui, et quasi a se invicem separari. Ex multis exemplis pauca nunc libet apponere: v. g. Liv. xxv. 12. 'Iis ludis faciendis præerit prætor is, qui jus populo plebique dabit summum.' Annon etiam hinc fieri potuisset, 'prætoris?' Cic. in Pison. c. 1. 'Tu, cum quæstor es factus:' et mox, 'Tu consul es renuntiatus.' Idem pro Planc. cap. 6. 'Si quotiescumque præteritus erit is, qui non debuit præteriri.' Idem de Harusp. Resp. cap. 13. 'Quæ vir is accepit, qui est optimus P. R. judicatus.' Offic. III. 3. 'Cum sit is, qui id solum bonum judicet.' Idem in Cat. cap. 5. 'Quod non faciebat is, cujus modo mentionem feci, Ennius.' Fam. Epist. I. 3. 'Potest is, qui provinciam tradit.' Ibid. v. 12. 'Neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias.' Attic. I. 5. 'Quantæ mihi curæ fuerit, ut Quinti fratris animus in eam esset is, qui esse deberet.' Ipse Plinius Epist. II. 19. 'Cum alioquin præcipue auditor iis affici debeat,' &c. Cujus generis exempla plura si congerere vellem, tempore et charta abusurus viderer. Majorem autem in modum lætatus sum, cum animadverterem, virum eruditissimum, qui in Novis Actis Eruditorum Lipsiæ, Kalend. Febr. an. cIↃ IↃCCXXXX. publicatis, recensuit Plinii Panegyricum a cl. Arntzenio editum, pag. 55. in eandem incidisse emendationem hujus loci, eamque strenue defendisse. Quamvis vero ea plagula, in qua ego hanc emendationem proposui, dudum ante typis excusa esset, quam Arntzeniana editio prodiit, eademque in Actis Eruditorum potuit recenseri; quod vel ex nota in, 'Nam milites,' &c. XXIII. 4. cognoscere licet; nihilo minus prærogativa hujus correctionis lubens cedo isti viro doctissimo, qui eam prius publicavit, quam a me potuit publicari; dummodo mihi testimonium qualiscumque diligentiæ in veriore lectione scrutanda agnoscendaque relinquatur. Quod vero ad viros clarissimos, Arntzenium et Gesnerum attinet; ille quidem hanc vulgatam retinuit lectionem: *illos veteres et antiquos æmularis? qui hoc ipsum imperium peperere, quod modo hostes invaserant contemseruntque; cujus pulsi fugatique non aliud majus habebatur indicium, quam quod triumpharetur.* Scilicet pronomen *cujus* per synesin refert ad *hostes*, cujusmodi dicendi generis non pauca affert exempla; sed non satis ostendit, an ista synesis etiam hic apte locum habere possit, et an ista dicendi ratio Plinio sit familiaris? Recte vero laudatus auctor recensionis istius in Actis Eruditorum: 'Jam,' inquit, 'si cum Livineio, Cortio, Arntzenio, pronomen *cujus* refertur ad *hostes*, primo perit acrimonia satyrica, qua Domitiani triumphi mimici perfricantur, et quos ridere voluisse Plinium, etiam ex oppositione patet. Deinde totum illud, *cujus . . . triumpharetur*,

abundat, et salvo contextu abesse potest.' Cel. Gesnerus autem in primam Panegyrici editionem recepit Gronovianam emendationem, quam in primis Observationibus proposueram, *quoniam imperabat is*. Deinde vero, mutata sententia, in altera editione vulgatam quoque lectionem restituit Plinio, arbitratus, satis Latine dici, *imperium pelli et fugari*. Hi sunt varii isti conatus hujus loci illustrandi emendandique, quorum historiam quod tam copiose exposuerim, merito veniam a lectoribus benevolis peto.

EXCURSUS XIX.

Cap. xii. 2. *Accipimus obsides ergo, non emimus: nec ingentibus damnis, immensisque muneribus, paciscimur, ut vicerimus.* Meus codex Ms. pro *damnis* habet *donis*, haud secus, ac Lucan. x. 107. cecinit, 'Pax ubi parta duci, donisque ingentibus emta est.' Equidem sic videatur Plinio quædam ταυτολογία inferri; cum mox sequatur, *immensisque muneribus*. Sed non est, quod hinc scrupulus nobis injiciatur. Nolumus quidem huc advocare discrimen illud inter *donum* et *munus*, quod Grammatici exponunt; v. g. Donatus, vetus Scholiastes, ad Terentii Eunuchum v. 9. 27. Cornelius Fronto inter Gothofredi auctores Linguæ Latinæ, pag. 1348. et Ausonius Popma, de Differentiis Verborum, sub his vocibus; aut quod Jurisconsulti explicant; v. g. Ulpianus leg. 194. π. de Verbor. Signific. 'Inter donum et munus hoc interest, quod inter genus et speciem,' &c. Atque aliter Marcianus, leg. 214. sub eodem titulo. Satis est, alios etiam scriptores classicos melioris ævi aliquoties ista nomina, sine vitio ταυτολογίας, conjunxisse. Sic e. g. loquitur Plautus Mil. iii. 1. 120. 'certatim dona mittunt et munera.' Sic ipse Cicero, princeps eloquentiæ Romanæ, pro Archia, cap. 8. 'Ennius,' inquit, 'sanctos appellat poëtas, quod quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.' Idem pro Cluent. cap. 24. 'tantum donis datis muneribusque perfecerat.' Conf. Petr. Victor. Variar. Lect. xi. 22. Quid? quod et ipse Plinius alibi eadem nomina connectit. Epist. enim v. 14. ait, 'Quam me juvat, quod in causis agendis non modo pactione, dono, munere, verum etiam xeniis, semper abstinui!' Quidni ergo credamus, eundem Plinium istas voces etiam in panegyrica oratione, exaggerandæ rei causa, apte potuisse conjungere? cum e contrario, eadem verborum structura atque connexione, quæ in vulgari lectione est, parum congruenter dici videatur, *damnis muneribusque pacisci*. Etenim, sicut 'donis muneribusque,' ita 'ingentibus damnis, immensisque jacturis,' vel, 'damnis detrimentisque,' aut similia, rectius consociarentur. Vix igitur primum dubitavi, quin codicis mei lectio sit genuina; quamvis a nullo editore adhuc fuerit animadversa. Deinceps vero, cum nactus essem occasionem plures codices Mss. consulendi, in nullo alio, præter meum, hoc loco inveni nomen *donis*; verum in Vaticanis, n. 3461. et 1475. item in Parisiensi, Guelpherbytano, Patavino, haud secus ac in omnibus impressis legitur *damnis*. Et quamvis in Vaticanis n. 1775. et 1776. in Veneto, et Salisburgensi, mendose scriptum sit *damus*; nemo tamen non videt, in hoc mendo verisimilius *damnis*, quam *donis*,

latere. Quapropter ne tot librorum suffragiis sine necessitate refragarer, mutata sententia, posthæc in contextu exhibui vulgatam lectionem; ad quam etiam Gesnerus rediit in altera editione, qui in priorem ex mea observatione receperat vocem *donis.* Sic et Arntzenius fatetur, se jamdudum conjecisse, ex adjuncta voce *muneribus,* hic rescribendum esse *donis;* qui tamen et ipse postea a pristina sententia discessit, cum animadvertisset, *τὸ damnis* magis indignitatem rei exaggerare, et eodem sensu *damna* passim significare nimias profusiones, nimiasque largitiones. Quod ad rem ipsam attinet, jam aliunde constat, aliquot Romanorum imperatores hostibus, quos armis vincere non potuerant, annuum solvisse tributum, et *requiem pacemque fœda mercede pactos fuisse,* ut loquitur Claudian. in Stilic. I. 209. ut eos vicisse, ac tranquillitatem imperio restituisse, viderentur, illam ipsam tributi pensionem honestiore vocabulo 'donorum,' et 'munerum,' et 'stipendiorum,' appellantes. Quem perversum morem, uti jam observavit Bandius, planis luculentisque verbis depinxit Salvianus Massiliensis. Libro enim VI. de Gubernatione Dei, circa finem: 'Timebantur,' inquit, 'Romani veteres: nos timemus. Vectigalia illis solvebant populi barbarorum; nos vectigales barbaris sumus. Vendunt nobis hostes lucis usuram. Tota admodum salus nostra commercium est.—Insuper etiam ridiculos ipsi nos facimus: aurum, quod pendimus, 'munera' vocamus; dicimus, 'donum' esse, quod pretium est.' Vides hic quasi vulgari more de eadem re simul usurpata ista duo nomina. Adi, si vis, Casaubonum ad Spartiani Hadrianum, cap. 6. ubi is etiam e Procopio commemorat, Justinianum imperatorem pacem Persarum auro emisse, et, velandæ ignominiæ causa, 'donum,' aut 'fœdus,' appellare, quod fuerit tributum. Respicit vero Plinius potissimum Domitianum, qui, ut videretur vicisse Decebalum, hunc ingentibus donis muneribusque demulsit. Quod docet Dion, lib. LXVII. pag. 762. edit. Wechel. Ὁ Δομιτιανὸς πολλοῖς τὴν ἑορτὴν πομπείοις ἐκόσμησεν, οὐκ ἐξ ὧν εἷλε, πάντα γὰρ τοὐναντίον, καὶ προσανάλωσε ταῖς σπονδαῖς, συχνὰ μὲν καὶ αὐτίκα χρήματα, καὶ δημιουργοὺς παντοίας τέχνης, καὶ εἰρηνικῆς, καὶ πολεμικῆς τῷ Δεκεβάλῳ δούς· συχνὰ δὲ καὶ ἀεὶ δώσειν ὑποσχόμενος. *Domitianus multis pompam triumphalem splendide adornavit; non iis sane, quæ ipse ab hostibus cepisset; omnia enim aliter se habebant; sed ad pacem obtinendam fecit impensas; cum magnam mox pecuniæ vim, et opifices peritos variorum artificiorum, tam pace, quam bello utilium, Decebalo donaret; aliaque plura semper ei daturum promitteret.* Quod reliquum est, haud placet nobis ista interpungendi ratio, quam his in verbis secuti sunt, Catanæus, Ascensius, R. et H. Stephani: *nec ingentibus damnis immensisque muneribus paciscimur. Ut vicerimus, rogant, supplicant: largimur, negamus.* Post verbum enim *vicerimus,* quod hoc loco idem est, ac vicisse dicamur, rectius perfecta interpunctio locum habet. Multo minus autem probamus, pro verbo *emimus,* in codicibus Vaticanis 1775. et 1776. in Parisiensi, Patavino, et meo, item ab Aldo, Cuspiniano, Junta, Cratandro, Sichardo, et R. Stephano, adverbium *eminus* perperam esse repositum. Nec minus vitiosum est, quod pro verbo *paciscimur,* codices Mss. Parisiensis, Patavinus, et meus; atque in impressis, Puteolanus, Beroaldus, et Cuspinianus habent *pascimur;* quod etiam habuit liber Vossii, ita tamen, ut alia manus minus feliciter rescripserit *poscimus.* Omnino autem hic locus corruptus est in codice Veneto D. Marci: *quibus*

Imperatorum nomen addebant. Contectica ædibus campi et infecta victoriis maria accipimus. Obsides ergo non emimus, nec indigentibus damus. Immensisque muneribus pascimur. Ut vicerimus, rogant, &c. Hic invenissent ingenia occasionem sese exercendi, nisi meliores libri nobis servati fuissent.

EXCURSUS XX.

Cap. xiv. 1. *Nonne incunabula hae tibi, Cæsar, et rudimenta; cum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augeres; nomenque Germanici jam tum mererere, cum ferociam superbiamque Partherum ex proximo auditus magno terrore cohiberes; Rhenumque et Euphratem admirationis tuæ fama conjungeres?* Pro *Nonne*, habent *Non* codices Mss. Vaticani, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, Guelphicus, Patavinus, meus, et liber Vossii; *Nonne* vero plurimæ editiones, et inprimis antiquiores. Parum interest, utram lectionem assumas; cum *Non* tam apud Plinium, quam apud alios scriptores, haud raro pro *Nonne* ponatur. Vide notam in, 'Non remissionibus tuis,' &c. xlix. 4. Adhæc pro *Parthica lauro gloriam*, codex Guelpherbytanus habet *Parthicam lauro gloriam;* et pro verbo *augeres*, quod omnium codicum Mss. auctoritate confirmatur, participium *augens*, non satis commode quondam vulgarant Puteolanus, R. Stephanus, Sichardus, et Navius; Philomusus *agens;* et codex Patavinus, ac liber Vossii pejus exhibent *erigens*. Gravissimum vero mendum adhuc in hoc egregio Panegyrici Pliniani latuit loco, ad quod antehac paucissimi editores attenderunt. Nihil vitii hic subodorati sunt Catanæus, Lipsius, Baudius, alii. De hoc solus Behrius ista animadvertit: 'Hoc certum, Parthica lauro nomen Germanici mereri Trajanum non potuisse. Unde locus suspectus.' At vide quam ille inconcinne et audacter locum hunc corrigendum putarit! *Nonne, quem incunabula hæc disciplinæ bellicæ, Cæsar, et rudimenta, minata virum fuerint, commemorem, cum puer admodum parta lauro, &c.* Hoc non est emendare, sed corrumpere, veteres scriptores. Lenius aptiusque remedium adhibebis, si periculo nostro pro unica voce *Parthorum*, rescripseris legerisque *barbarorum;* per hos autem, e more loquendi Romanis consueto, intellexeris ipsos Germanos. Eorum enim, tanquam barbarorum, ferociam ab antiquis Romanis crebrius notari, quis nescit? Sic nulla ingrata Plinio affingitur ταυτολογία. Cum enim is modo mentionem fecisset Parthicæ laurus, hoc est, veræ victoriæ jam de Parthis relatæ; quomodo in eodem verborum ambitu, rursus subjicere apte potuisset, Trajanum, ex proximo auditum, ferociam Parthorum magno terrore cohibuisse? Et quomodo nomen *Germanici*, i. e. victoris Germanorum, mereri potuisset, Parthorum ferocia cohibita? At vero ex nostra emendatione, cohærent omnia rectius, nosque facilius intelligimus, quemadmodum Trajanus jam tum nomen *Germanici* meruerit, scilicet, non cum Parthos vinceret, sed cum, post Parthici belli tempus, accessisset Germaniam, aut cum a Domitiano ex Hispania in Germaniam evocatus esset, et ex proximo auditus ferociam horum, ut vocabantur, barbarorum terruisset, hoc est, 'cum assedisset ferocissimis populis,' forte eo ipso tempore, 'cum Danubius ripas gelu jungeret, duratusque

glacie ingentia tergo bella transportaret,' prout ipse Panegyristes noster loquitur XII. 3. Nec est, cur mireris, huic emendationi nostræ nullum adhuc librum, sive scriptum, sive impressum, astipulari. Satis est, suffragari nobis rem ipsam, et necessarium nexum. Potuit enim jam ipsius etiam Plinii tempore librarius oscitabundus, cum proxima verba, *Parthica lauro*, adhuc in animo haberet, facillimo lapsu pro nomine *barbarorum*, propter similitudinem quandam pronuntiationis, scribere *Parthorum:* unde hæc labes, in recognoscendo forte non animadversa, in reliquos libros dimanavit omnes. Jam vero dispiciamus, an etiam in postremis hujus περιόδου verbis mendum lateat. Putat id Behrius, jubetque, pro vocabulo *admirationis*, reponi *fortitudinis;* sed neque sententiæ necessitate, neque auctoritatis alicujus præsidio adjutus. In codice Patavino et libro Vossiano, item et in libris impressis Puteolani, Beroaldi, R. et H. Stephanorum, Sichardi, Navii, Livineii, Plantini, legimus, *admirationis tuæ fama.* Mihi in mentem venerat, ista verba hunc in modum concinnare, *admiratione tuæ famæ*, pro, *admirationis tuæ fama.* Sed nullus nobis addicit liber; neque necesse est hanc admittere correctionem. Etsi enim *admiratio tui* rectius et frequentius παθητικῶς dicatur, quam *admiratio tua*, uti ipse Plinius in hoc ipso cap. § 5. loquitur, 'tantam admirationem tui conceperit,' non tamen in universum rejicienda est παθητικὴ significatio, *admirationis tuæ;* quamvis hæc sit multo rarior. Nonne enim ad eundem modum loquitur Demipho Terentianus, Phorm. v. 8. 27.? 'Nam neque negligentia tua, neque odio id fecit tuo,' i. e. negligentia et contemtu tui, atque odio tui. Sic et Cic. Catil. II. 2. ait, 'L. Catilinam non modo invidiæ meæ, verum etiam vitæ periculo, sustulissem.' Ubi 'invidia mea' dicitur, qua mihi invidetur. At pro *fama*, codices Mss. Vaticani, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, Guelpherbytanus, et meus exhibent *societate*, hunc in modum: *Rhenumque et Euphratem admirationis tuæ societate conjungeres.* Quam lectionem etiam Livineius ex suo vetere codice Ms. in margine annotavit. Eandem refert et uterque Gudii liber, et expressit Cuspinianus; itemque margini adjecere Stephanus, Gryphius, Sichardus, et Rivinus. In hac varietate, si respiciamus verba proxime antecedentia, *ex proximo auditus*, malimus admittere *fama;* sin verbum *conjungeres*, præferemus vocabulum *societate*, quod certe librarios istos non tam ex suo ingenio finxisse, quam ex vetustiore codice descripsisse videri potest. Atque hanc vocem nunc etiam viri doctissimi, Gesnerus et Arntzenius, recepere. Cum vero pro vocabulo *Parthorum*, suaserim ut reponatur *barbarorum*, Arntzenius quidem fassus est, hanc meam conjecturam adeo blandiri, ut eam fere in justæ emendationis locum receperit, nisi retractus sit reliquorum conspiratione, crediderítque, dicere voluisse Plinium, 'Jam eas res gesseras, propter quas eodem jure ex devicta gente agnomen assumere potuisses, quo postea id fecisti de Germanis.' Quæ sententia quomodo fluat ex vulgari lectione, dijudicabunt alii.

EXCURSUS XXI.

CAP. XIV. 2. *Et necdum Imperator, necdum Dei filius eras, Germaniamque cum plurimæ gentes, ac prope infinita vastitas interjacentis soli, tum Pyrenæus,*

Alpes, immensique alii montes, nisi his compararentur, muniunt, dirimuntque. Locus hic non levibus difficultatibus obstructus videtur. At enim vero, quamvis is non solum a Cellario, sed etiam jam ante ab Henr. Stephano, Livineio, et aliis, hoc modo interpungatur; attamen, post verbum *eras*, perfecta interpunctio ponenda est; quam etiam Cuspinianus, Philomusus, Rhenanus, Cratander, Plantinus, de la Baune posuere. Ista enim verba respiciunt superiora, ita, ut Panegyristes innuere voluerit, Trajanum et Parthicam laurum meruisse, et cohibuisse ferociam Germanorum, ac Rhenum Euphratemque admiratione virtutis suæ implevisse, orbemque terrarum non pedibus magis, quam laudibus peragrasse; cum necdum imperator, necdum Nervæ consecrati filius adoptivus fuerit. At, quid deinde faciemus cum sequentibus verbis, quæ certe sic non satis cohærent? Lipsius, alias sospitator Plinii, 'Defectum aliquem,' inquit, 'hic video, sed levem.' Nullam medelam a codice Ms. nullam ab omnibus, quos evolvere nobis contigit, libris impressis, sperare licet. Jacobus de la Baune credidit, excidisse *Hispaniam;* unde hæc existeret sententia: 'Hispaniam Germaniamque cum dirimunt plurimæ gentes, atque inprimis Galliæ, Pyrenæusque; tum muniunt Alpes, et infiniti alii montes, qui immensi viderentur, nisi cum Alpibus Pyrenæisque compararentur.' Thomas Ceva annotat, aliquos legendum putare *Galliam Germaniamque*, simili certe sententia. Utraque conjectura non spernenda videtur; sed nescio, quo modo sic nihilominus Plinius, præter consuetudinem suam, nimis abrupte, et sine ulla particula, quæ sequentia cum antecedentibus connectat, loqui videretur. Adhæc, criticis religioni debet esse, quoad nulla urget necessitas, plane novam vocem, cujus nulla supersunt vestigia, scriptoribus ex ingenio interserere. Quid vero, si non quidem plane aliam vocem assumamus, sed leviori correctione in sola particula *que*, quam codex Salisburgensis, et meus, per compendium *q.* at ceteri omnes integre scriptam exhibent, vestigia medelæ quæramus, proque ea reponamus *quidem*, atque hunc in modum novam sententiam et περίοδον ordiamur? *Germaniam quidem, cum plurimæ gentes, &c.* Si enim, quod Manutius in explanatione notarum, quæ ejus Orthographiæ adjuncta est, pag. 180. et Ursatus in commentario de notis Romanorum, p. 379. itemque Ernstius ad Valerium Probum, cap. 16. docent, veteres librarii, dum compendio scribendi usi sunt, aliquando particulam *quidem* per solum *q.* vel per *qd.* expressere; facile intelligitur, quam prono lapsu alii rudiores librarii deinde inter describendum eandem siglam in *que* convertere potuerint. At particulam *quidem*, haud secus ac *equidem*, non raro formulis transeundi et connectendi inservire, vel ex aliis locis ipsius Plinii nostri cognoscimus, v. g. XXIII. 5. 'Ut quidem iisdem vestigiis institisti, quibus parens tuus ingens illud Deorum prolaturus arcanum! quæ circumstantium gaudia! quam recens clamor!' LXXI. 6. 'Mihi quidem non tam humanitas tua, quam intentio ejus, admirabilis videbatur.' LXXVI. 3. 'Ceteri quidem defixi et attoniti,' &c. Nec ipse Cicero alienus est ab ejusmodi usu particulæ *quidem*. In Catone Majore, cap. 6. ait, 'Apud Lacedæmonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam appellantur senes.' Cap. 17. 'Marcum quidem Valerium Corvinum accepimus ad centesimum annum vitam produxisse,' &c. Conf. idem in Lælio, cap. 7. 'Agrigentinum quidem,' &c.

item ad Famil. IV. 8. 13. 'Servius quidem tuus,' &c. Potuisset etiam particula *et* præponi: *Et Germaniam quidem;* prout nec raro ista transeundi formula utitur Plinius, v. g. in hoc ipso Panegyrico II. 60. 'Et populus quidem.' Ac XXXII. 2. 'Et cœlo quidem nunquam benignitas tanta,' &c. Non tamen necesse est, ut ista copula *et* hoc loco requiratur. Cum itaque Plinius proxime injecisset Germanicæ expeditionis mentionem, jam cetera, quæ huc pertinent, adjungit per hanc connectendi rationem: *Germaniam quidem, &c.* Quasi explicandi causa dixeris, 'Jam, quod ad Germaniam attinet, eam,' &c. Latet vero hic περίοδος κρυπτική, quæ si more Ciceroniano explicetur, per particulas *etsi* et *tamen*, sic facile breviterque cum sequentibus connecti possit: *Etsi Germaniam quidem, cum plurimæ gentes, tum immensi montes, muniunt, et ab aliis regionibus dirimunt; tamen per hoc omne spatium, cum legiones duceres, non vehiculum unquam, non equum respexisti.* At hic non prætereunda est alia difficultas. Si scilicet in his verbis solius Germaniæ habeatur ratio, neque defectus aliquis præsumatur; non illico apparet, quomodo Plinius dicere potuerit, Germaniam Pyrenæo muniri dirimique. Ad hæc enim verba sic exclamat Livineius: 'Quid hoc audio? Germaniam montes Pyrenæi muniunt, dirimuntque? Non hoc geographi, non fert natura rerum.' Sed salva res est. Quod si enim hic nondum ea sit intelligenda expeditio, qua Trajanus a Domitiano ex Hispania evocatus ad bellum in Germania administrandum, Pyrenæum, montem inter Hispaniam et Galliam maximum, transire necesse habuit; quam expeditionem Plinius paulo post innuit; sed alia prior, qua post Parthicum bellum, is reversus in Italiam, et ex Italia progressus sit in Germaniam; tum Pyrenæus hic non quærendus in Hispania, sed inter Germaniam et Italiam. Et certe ejusdem nominis montem esse partem Alpium Tridentinarum, inter Œnipontem et Bolzanum, versus fontes Athesis fluvii, alii jam observarunt. Et supersedeo jam huc transcribere ea quæ Frischmannus ex penu Berneggeriano collegit. Sed deficit in his rebus a Trajano gestis historia antiqua, ut nihil certi definire possimus; ac, nisi vehementer fallor, necdum necesse est, ut ad hanc Pyrenæi explicationem per partem Alpium Tridentinarum convertamur, de aliaque jam cogitemus Trajani expeditione, quam de nota illa, cujus mox, § 5. fit mentio, cum is a Domitiano ex Hispania excitus esset in Germaniam. Etenim et tunc nihilo minus locum habet vulgaris et usitata notio Pyrenæi, cujus saltus et alti montes proxime quidem disterminant Hispaniam a Galliis; tamen etiam Germaniam munire et dirimere dici possunt, non eatenus solum, quatenus Germania latius sumta etiam Gallias comprehendit, quæ explicatio Lipsii est; sed quatenus etiam nullæ legiones ex Hispania in Germaniam, et vicissim e Germania in Hispaniam, terrestri itinere penetrare possunt, nisi transierint Pyrenæum. Probabilissimum igitur est, Trajanum, postquam anno Christi nonagesimo primo una cum M. Acilio Glabrione gesserat consulatum, insequenti, vel altero tertiove anno post, a Domitiano cum legionibus quibusdam recens conscriptis, tanquam legatum Cæsaris et præsidem provinciæ, missum esse in Hispaniam, easque legiones ex Italia per Alpes duxisse, et, cum aliquamdiu præfuisset Hispaniæ, inde a Domitiano cum legionibus suis evocatum esse in Germaniam, ut huic provinciæ præsideret, (vide Paneg. IX. 2.) eamque magis in ordinem

redigeret, et bella, quæ tunc parum feliciter cum Germanis gerebantur, conficeret. Tunc sane recte quoque dicere potuit Plinius, Trajanum inter illa Germaniæ bella ab Hispania usque evocatum in Germaniam, quam non solum plurimæ gentes, et prope infinita vastitas interjacentis soli, sed etiam Pyrenæus, Alpes, aliique montes, muniant dirimantque, per hoc omne spatium legiones duxisse. Cum vero sub initium hujus periodi, ubi vulgo legebatur *Germaniamque,* sive *Germaniamq.* leni correctione legendum censui, *Germaniam quidem;* hanc correctionem non probavit tulitque cl. Arntzenius; sed, cum in excerptis Vossianis scriptum reperisset *Germaniamque, quam cum,* (quæ lectio etiam in codice Patavino extat, et ex hoc a Vossio annotata videtur,) particulam hanc *quam,* ascivit, atque ita hunc locum exhibuit: *Germaniamque (quam cum plurimæ gentes, ac prope infinita vastitas interjacentis soli, tum Pyrenæus, Alpes, immensique alii montes, nisi his compararentur, muniunt dirimuntque) per hoc omne spatium cum legiones duceres, &c.* Existimavit enim vir doctus, cum particulæ *que* et *quam,* [quidni etiam *quidem?*] non adeo diversis compendiis designentur, accidisse, ut similitudo alterutram vocem ejecerit; quamvis nec repudiaret, si quis mallet, *Germaniam, quam.* Verum cl. Gesnero, qui nostram emendationem, tanquam blandissimam, recipere nihil dubitavit, non placuit illud Arntzenianum hyperbatón a parenthesi; utpote cui, non præter causam, ea ratio nimis contorta, et a polita illa Plinii facilitate aliena videtur. Unum id adhuc monendum duco, in hoc loco non solum alterum Gudii librum habere *comparentur;* sed etiam Vaticanos et Salisburgensem, ita, ut nunc fere malim legere, *comparentur;* quamvis in ceteris codicibus scriptum sit *compararentur.*

EXCURSUS XXII.

Cap. xvi. 3. *Accipiet ergo aliquando Capitolium non inanes currus, nec falsæ simulacra victoriæ, &c.* An vero Caligula, vel Domitianus, in triumpho, quem ex falsa et simulata victoria egerant, usi sunt curribus vacuis et inanibus? Vix opinor. Et reclamat locus a Dione Cassio supra ad xii. 2. excitatus. Currus enim triumphales spoliis, etsi non hostium, tamen provincialium, ac tributis principalibus oneraverat Domitianus; h. e. uti mox xvii. 1. ipse Plinius loquitur, celebrarat triumphum spoliis provinciarum, et extorto sociis auro, gravem. Sic etiam Dion, p. 762. Καὶ πολλοῖς τὴν ἑορτὴν πομπείοις ἐκόσμησεν, οὐκ ἐξ ὧν εἷλε, πάντα γὰρ τοὐναντίον, . . . ἀλλ' ἐκ τῶν βασιλικῶν ἐπίπλων· τούτοις γὰρ ὡς καὶ αἰχμαλώτοις ἀεί ποτε ἐχρῆτο. *Pompam triumphalem splendide adornavit, non ex iis sane, quæ ipse ab hostibus cepisset, (nam omnia aliter erant comparata,) sed ex principalibus tributis; quibus, tanquam ex hoste captis, utebatur.* Pro *inanibus* igitur lubenter quærerem aliud ἐπίθετον. Id vero quodam modo suggerunt omnes codices Mss. Vaticani, Salisburgensis, et ceteri, quos consulere mihi licuit; suggerit etiam vetus codex Livineii, et uterque liber Gudii; necnon in excusis libris, Puteolanus, Beroaldus, et Philomusus. Hi omnes enim prodiderunt *currus inimicos;* manifesto quidem, sed, ex similitudine literarum, facili errore; nam recte jam Livineius

et Rittershusius hinc exsculpsere *currus mimicos*. Quo alludit et codex noster, qui inepte quidem exhibet *currus iniquos*; sed ut non difficulter intelligamus vocem *iniquos* natam esse ex illa altera *inimicos*, hanc vero prodiisse ex veriore, *mimicos*. Ita sane, cum Plinius Epist. VII. 29. 3. scripsisset, 'hic me titulus admonuit, quam essent mimica, et inepta,' &c. ibi eodem errore, in scriptis pariter atque impressis quibusdam libris, pro *mimica*, extitit *inimica*. Sic et hodie recte legimus apud Petron. cap. 6. 'Nunc mimicis artibus petiti sumus, et adumbrata inscriptione derisi;' ubi olim proditum erat, *Nunc inimici artibus petiti sumus, &c.* Haud secus, apud eundem Petron. c. 19. antehac, legebatur, 'Omnia nimio risu exsonuerant;' ubi jam rectius, *omnia mimico risu exsonuerant*. Neque aliter olim apud Symmach. Epist. VI. 79. in vulgatis libris perperam legebatur, 'inimica usus est techna;' ubi deinde editores ex vetustioribus codicibus reposuere, 'mimica usus est techna.' In quam multis autem veterum scriptorum locis nomen 'mimi' et 'mimici,' ex ignorantia librariorum, degenerarit in affinia, vel plane aliena vocabula; v. g. in 'minus,' 'munus,' 'nimium,' 'nimis,' 'numerus,' 'nummus,' 'inimicus,' 'myrmicus,' jam antehac, exemplis in medium productis, ostenderunt Petrus Pithœus Advers. II. 17. et Fr. Juretus in Notis ad Symmachum, l. c. Ecce autem, currus spoliis provincialium sociorumque onusti, qui, per histrionicam et ridiculam simulationem, prædam ex hostibus captam repræsentare debuerant, secundum Plinium nostrum, quam commodissime appellari potuere *currus mimici*; cum et alibi ejusmodi actio, scenæ et fabulæ fictæ persimilis, atque arte simulandi instructa, a Tranquillo in vita Caligulæ, XLV. 3. vocetur 'mimus.' 'Rursus obsides,' inquit, 'quosdam abductos e literario ludo, clamque præmissos, deserto repente convivio, cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit, in hoc quoque mimo præter modum intemperans.' Similiter dixit Petron. cap. 117. 'Quid ergo, inquit Eumolpus, cessamus mimum componere?' Itaque mihi persuasum habeo, vocem *inanes* ab editoribus quibusdam, quamvis non adeo inepte, excogitatam, occupasse hunc locum Plinianum; cum scilicet pro voce a rudibus librariis depravata *inimicos*, hi non illico inciderint in lectionem genuinam et veram. Sciens vero dixi, quosdam, pro lectione *mimicos currus*, non inepte excogitasse et substituisse *inanes currus*: quia nempe *inanis* non solum dicitur de 'vacuo' cui opponi potest 'plenus,' 'confertus,' et 'onustus;' prout loquitur Cic. Acad. Quæst. IV. 40. 'Tune inane quicquam putes esse, cum ita completa et conferta sint omnia,' &c. Idem Verr. II. 34. 'Domum ejus exornatam atque instructam fere jam iste reddiderat nudam atque inanem.' Sed eadem vox *inanis*, etiam pro 'vano,' 'falso,' 'ficto' accipi solet, ita ut opponatur 'vero,' 'solido,' 'gravi.' Cujusmodi notionem exprimit Cic. de Div. II. 62. 'Si vera visa, divina sunt; falsa autem et inania, humana; quæ est ista designandi licentia,' &c. Idem pro Mil. cap. 34. 'O spes fallaces, o cogitationes inanes meæ!' Et in Pis. cap. 25. ubi de triumpho loquitur: 'Quid tota illa pompa? Inania sunt illa, mihi crede, delectamenta puerorum,' &c. Conjungit hanc eandem vocem cum 'mimo' Quintil. *Decl.* 279. ubi de nuptiis impuberis agit: 'Ecquid, semoto illo nuptiarum mimo, atque inani tantummodo nomine, virum esse cogitatis?' Atque idem Instit. Orat. X. 5.

'Adolescentes non debent nimium in falsa rerum imagine detineri, et inanibus simulacris.' Utcumque est, multo tamen est similius veri, multoque credibilius, hoc loco, *mimicos currus*, potius quam *inanes currus*, esse a prima Plinii manu; propterea quod alias nulla apparet ratio, cur tot codices veteres, primæque editiones, constanter habeant *inimicos currus*. Certe ex voce *mimicos*, rudes librarii multo pronius faciliusque, quam ex voce *inanes*, effingere potuerunt *inimicos;* cum maxime in antiquioribus codicibus, etiam in scriptura minorum characterum, litera *i* nullum punctum, uti hodie, sibi impositum habeat: unde pronissimo lapsu accidit, ut prima litera *m* in vocabulo *mimicos*, in *in*, et totum vocabulum in *inimicos*, converteretur. Deinde ista lectio *mimicos* hoc loco multo significantior est, multoque convenientior acumini Pliniano, quam vulgaris lectio *inanes*, cum omnem illam pompam triumphi Domitiani salse repræsentet tanquam actionem unice theatro mimisque dignam. Sic vero manifestum videmus exemplum, ubi in ipsa corrupta scriptura supersint vestigia, quibus tandem verior lectio indagari, et in integrum restitui, possit.

EXCURSUS XXIII.

Cap. xvii. 2. *Videor intueri in manibus sequentem, mox ipsum te sublimem instantemque curru domitarum gentium tergo.* Lacunosus hic locus non solum codicem Ms. Vaticanum 1475. et Patavinum, itemque Cellarii editionem an. 1693. sed etiam Puteolani, Beroaldi, Catanæi, Aldi, Juntæ, Rhenani, Cratandri, Ascensii, R. et H. Stephanorum, Chouetii, et Boxhornii, libros impressos, contaminavit. Neque integrum locum assecutus est vetus interpres Germanicus: *Mir ist, ich seche in deinen henden dich selber erhöcht, und dir nachfolgen, und auff dich tringen zurugk einen triumph-wagen der uberwunden folcker.* Quin et recens, isque alioquin elegans interpres mancum hujus Panegyrici exemplar in manibus habuisse videtur, cum hunc locum ita Germanice reddiderit: *Mich düncket, ich sehe dein Bild, welches auf hænden getragen wird, nachfolgen; bald aber dich selbst, wie du auf einen Wagen erhaben, den geschlagenen Voelckern auf den Nacken bist.* Defectum tamen, quo hic locus laborat, jam suppleverunt Cuspinianus, Gryphius, Livineius, Lipsius, Sichardus, Gruterus, Puteanus, Baunius, et in margine annotarat H. Stephanus. Immo pleniorem hanc lectionem nunc perspicue confirmant codices Mss. Vaticani, Parisiensis, Venetus, Salisburgensis, Guelpherbytanus, et meus. Libro Vossii ab alia manu hæc verba, quæ alibi deerant, ascripta sunt. Sic vero nunc hic locus integer legitur: *Videor intueri immanibus ausis barbarorum onusta fercula, et sua quemque facta* (codex Venetus habet *fata*) *vinctis manibus sequentem; mox ipsum te sublimem, instantemque curru domitarum gentium tergo.* Videmus hic iterum exemplum lacunæ, ubi ex repetitione eorundem, vel similium vocabulorum in una periodo occurrentium, dormitantes librarii ab uno ad alterum transilierunt. Cum enim fortasse ex divisa voce *immanibus*, unus versus cœpit a *manibus*, et mox alius versus inciperet a nomine *manibus*, prioris versus verba temere reliquerunt. Jus-

tam vocavit hanc emendationem πολυμαθέστατος Heuman. Pœcil. tom. III. lib. XLV. nisi quod superesse judicaret, ut adhuc duo verba in suum reponantur locum. Scripsit enim ita, *te sublimem curru, instantemque domitarum gentium tergo;* quia nempe Curtius IV. 1. 1. dixit, 'Darius curru sublimis inierat prælium.' Nihil esset cur repudiarem hujusmodi lectionem, si quo in libro ea reperiatur. Sed cum tali mutationi nullus prorsus liber, sive scriptus, sive excusus faveat, non video cur vulgarem mutem lectionem, in qua nihil est quod repugnet emendatæ dicendi rationi. Nec sequitur, sicubi Curtius dixit, *sublimem curru*, ut idem etiam dicere debuerit Plinius. Recte poterat dicere Plinius, *curru instare tergo domitarum gentium;* uti alii probati scriptores dicunt, 'curru,' 'ferro,' 'telo,' 'jaculis instare alicui.' Sic Virgil. Æn. I. 468. 'Instaret curru cristatus Achilles.' Ovid. Met. XII. 78. 'Jam curru instabat Achilles,' i. e. curru vectus sequebatur, sive persequebatur. Rursus Virgil. Æn. X. 691. 'Atque omnibus uni, Uni odiisque viro, telisque frequentibus instant.' Ibid. vs. 713. 'Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant.' Est alioqui 'instare' verbum militare, cui oppositum verbum 'cedere;' v. g. Sallust. Jug. cap. 36. 'Instanti cedere, et paulo post, ne sui diffiderent, instare.' Sueton. Tib. cap. 16. 'Prævalens hostis instaret ultro cedentibus.' Ovid. Met. XII. 134. 'Cedentique sequens instat.' Hoc tamen loco 'instare,' quasi simpliciter pro 'sequi,' poni videtur; uti apud Virgil. Æn. V. 168. 'Ecce, Cleanthum Respicit instantem tergo,' i. e. proxime sequentem, sive insequentem. Ergo, dum Plinius dixit, *Videor intueri te ... instantem domitarum gentium tergo;* idem est ac si dixisset: Videor intueri te ... curru sequentem victarum gentium captivos præeuntes. Bene ergo Arntzenius: Reges, inquit, ducesque, et gentes, bello capti ante currum triumphantis ibant, manibus post terga revinctis, quos vectus curru sequebatur imperator. An vero Plinius, dum his verbis utitur, *instantemque curru domitarum gentium tergo*, secundum interpretationem laudati Arntzenii, simul per figuram hostes quasi depingere voluerit terga dantes, et imperatorem velut pugnantem, adeo ut hic videretur etiamnum hostes fugientes persequi; id in medio relinquo. Certe ego opinor, parum conspicuam fortitudinis imaginem fore, si imperator inermis repræsentetur, qui persequatur homines captivos, catenisque vinctos. Ceterum, *currus* hoc loco κατ' ἐξοχὴν ponitur pro 'curru triumphali,' uti apud Cic. Fam. XV. 6. 'Quem ego currum, quam lauream, cum tua laudatione conferrem?' Dum autem in libro Vossiano pro *vinctis manibus* legitur *junctis manibus*, aberratio librarii est; utpote quæ confusio perquam frequens occurrit. Sic apud Plin. Epist. IV. 2. alii legunt 'mannulos junctos,' alii 'vinctos.' Recte quidem alioqui dicitur 'jungere manus,' sed, quod bene jam observavit Arntzenius, hoc loco, ubi de captivis sermo est, præstat legere *vinctis manibus*.

EXCURSUS XXIV.

CAP. XVIII. 3. Postquam Plinius commemoraverat, Trajani ævo tutum esse ducibus belli reverentiam caritatemque militum mereri; hanc rationem ab exemplo contrario subjicit: *Quippe non is Princeps, qui sibi imminere, sibi*

intendi putet, quod in hostes paretur: quæ persuasio fuit illorum, qui hostilia non facerent, timebant. Eodem ergo tempore militaria studia, nec animos modo, sed et corpora ipsa languescere, gladios etiam incuria hebetari retundique gaudebant. Quis in his verbis antehac suspicatus est mendum? Adeo cum ipsa sibi sententia sic satis constet, fallere facile potuit lectores latens corruptela. Sinisteritas autem foret cum Behrio, fortasse ex typographi Batavi vitio, legere velle *in curia*, pro *incuria*. At qualecumque indicium faciunt e codicibus Mss. Guelpherbytanus, et alter liber Gudianus, qui habent *Idem ergo tempore;* et Vaticanus 1475. *Iidem ergo tempore.* Aliquantum luculentius indicant vitium codices Parisiensis, Venetus, et Vossianus, in quibus scriptum est *Idem ergo torpere.* Aperte denique hanc veram lectionem exhibent tres ceteri codices Vaticani, et meus, *Iidem ergo torpere, &c.* Jam insere hæc verba suo loco, et cognosces, quam pleniora omnia et numerosiora hinc evadant; neque amplius hic frigeat torpeatque nomen *temporis.* Certe hæc quantivis pretii est emendatio, et multo elegantior Latinis auribus, multoque accommodatior genio Plinii, quam ut a librario quodam fingi substituique potuerit, nedum a librario mei codicis; qui nihil commodi facile finxit ex ingenio. Quidni vero dixerit Plinius, *torpere militaria studia,* uti Livius VI. 23. dixit, 'frigere et torpere consilia senis;' et quæ longe plures sunt ejus generis loquendi formulæ? Amplexus tandem est hanc integram emendationem Gesnerus in altera editione; amplexus etiam est Arntzenius, qui bene observavit, verbum *torpere* dici de omnibus rebus, quæ ignavia, desidia, et incultu corrumpuntur, et præsertim de disciplina militari; ut Nostri diligentem lectorem Claudianum dicere, Rufin. I. 58. 'At nos indecores longo torpebimus ævo.' Eundem in Eutrop. II. 155. 'In nostro quando jam milite robur Torpuit,' &c.

EXCURSUS XXV.

CAP. XX. 6. *Præterea futuri principes, velint nolint, sciant, tanti tuum constat: propositisque duobus exemplis meminerint, perinde conjecturam de moribus suis homines esse facturos, prout hoc, vel illud, elegerint.* Hanc Cellarii lectionem exhibent etiam quatuor codices Mss. Vaticani, item Parisiensis, Venetus, Guelpherbytanus, meus; et in excusis libris, Cuspinianus, Gryphius, Sichardus, Plantinus, Gruterus, Berneggerus, Puteanus, Baunius, Patarol, Arntzenius, et Gesnerus. At pro verbis *tanti tuum constat,* referunt *tantum constat* Puteolanus, Beroaldus, Catanæus, Aldus, Rhenanus, Philomusus, Ascensius, Stephani, Elzevirii. Codex Patavinus habet *tamen constat.* Livineius in notis optavit legere *tanti itum constat!* Rittershusius, *tanti iter tuum constat!* Lipsius rectum et clarum censuit esse *tanti tuum constat.* 'Sciant,' inquit, 'tanti tuum iter constitisse; tanti alterius.' Sed utinam sic in antiquis codicibus legeremus, prout corrupta Plinii verba explicat Lipsius; tunc facile acquiescere possemus. At enimvero, quamvis ista lectio, *tanti tuum constat,* tot librorum manu typisque descriptorum consensu proferatur; vix tamen accommoda est sententiæ Plinii. Non enim apparet cur solius Trajani iter dicatur tanti constare. Nec præterea video cur

illud *tuum* tam simpliciter sit positum, cum vox *iter* nimis longe antecesserit. J. F. Gronovius suspicatus est legendum esse, *quanti tuum constet.* Plenior utique sententia evaderet, si rescriberetur, *Futuri principes, velint, nolint, sciant, quanti tuum, quanti alterius iter, constet.* Immo, si tanta daretur licentia emendandi veteres auctores, nunc malim chirurgicas adhibere manus, et resecare non nihil, quod partim ex ignorantia librariorum, partim ex glossemate, quod quidam superscripserat verbo *sciant*, scil. *quanti constet,* verrucæ instar deinceps accrevit pulchro corpori orationis Plinianæ. Nescio enim, quid difficultatis obscuritatisque orationi panegyricæ afferat illa duplex, proximeque conjuncta *παρένθεσις, velint, nolint,* et *tanti constat!* Potius suspicor illud *tantum constat,* vel *tanti tuum constat,* plane aliunde accessisse, et olim quidem scriptum fuisse, *sciant tm̄,* i. e. *sciant tamen,* (quod adhuc legitur in codice Patavino,) *propositisque, &c.* inscitos vero librarios illud scripturæ compendium in *tantum,* alios in *tuum* convertisse, et tandem verbo *constat,* ex glossa ascito, istam vulgarem effinxisse lectionem; pro qua rescribere gestiam, *Præterea futuri principes, velint, nolint, sciant tamen, propositisque duobus exemplis meminerint, perinde, &c.* In his, opinor, verbis nihil foret, in quo hæsitaret lectoris animus. Verum, cum mihi proposuerim nunc moderatioris critices specimen dare juventuti studiosæ, nolui nimis recedere a vulgari lectione; sed, quod excusatius facturus videbar, omisso unico pronomine *tuum,* quod nec alioquin in omnibus libris extat, interim excudendum curavi, *Futuri principes, velint, nolint, sciant, (tanti constat!) propositisque duobus exemplis meminerint, perinde, &c.* Ægre fero, interpunctionem hanc non supra in contextu satis curate esse expressam. Sic autem a verbo *sciant,* æque ac a verbo *meminerint,* dependent sequentia verba, *homines de moribus ipsorum principum perinde facturos esse conjecturam, prout vel hoc* exemplum moderationis Trajani, *vel illud* prodigalitatis et sævitiei Domitiani, *elegerint,* quod sectentur. Formula *tanti constat!* notat, iter illud et Domitiani et Trajani tanti constare, ut inde futuri principes *sciant,* h. e. discant atque intelligant, *et meminerint,* tale de se judicium populi fore, quales ipsi fuerint, vel Trajani exemplo, moderati et providi; vel Domitiani exemplo, prodigi ac sævi. Hac formula, *tanti constat,* Plinius usus est Epist. II. 14. ‘Heri duo nomenclatores mei ... ternis denariis ad laudandum trahebantur, tanti constat, ut sis disertissimus.’ Val. Max. IV. 4. ex. 6. ‘Tanti ærario nostro virtutis Atilianæ exemplum, quo omnis ætas Romana gloriabitur, stetit.’ Forte vero formula, *tanti constat,* idem valere potest ac *tanti est,* i. e. expedit, operæ pretium est, tantum commodi in eo positum est. Sic Cic. Verr. IV. 20. ‘Emi; pecuniam solvi. Credo, etiam tabulæ proferentur. Tanti est!’ Idem Attic. V. 20. ‘Nec me tam fama, quæ summa est, quam res ipsa delectat, Quid quæris? Fuit tanti! me ipse non noram.’

EXCURSUS XXVI.

CAP. XXI. 4. *Ut reversus Imperator, qui privatus exieras, agnoscis, agnosceris! Eosdem nos, eundem te putas.* Alter liber Gudii plane omisit verbum *agnoscis.* Omisit et Rhenanus in editione sua, notans in margine alias legi,

exieras, a nobis agnosceris! Et certe, si hæc lectio non sit ex glossemate nata, sed fide alicujus vetustioris codicis nitatur; et satis plena videretur, neque obscure appareret, quomodo inertes librarii has voculas, *a nobis*, ex qualicumque verbi subsequentis similitudine potuerint convertere in verbum *agnoscis!* Verum, cum ista varietas non ex certo quodam codice sit indicata; cumque nolim tot reliquorum codicum Mss. totque editionum, utramque vocem, *agnoscis*, *agnosceris*, referentium, auctoritati ex omni parte refragari; retinendas quidem has voces, sed easdem alio ordine collocandas, et interpunctione secernendas censeo, admonitus indicio trium codicum Vaticanorum, qui hunc ipsum ordinem produnt: *Ut reversus Imperator, qui privatus exieras, agnosceris! Agnoscis eosdem nos; eundem te putas.* Verbum autem 'agnosco' hoc loco non idem est ac simplex 'nosco,' 'noscito,' 'animadverto;' sed κατ' ἔμφασιν dicitur, quasi habeo, et æstimo, coloque aliquem, pro eo qui qualisque revera est, aut quem qualemque antea cognovi. Sic, cum Virgil. Æn. III. 82. de Rege Anio canit: 'veterem Anchisem agnoscit amicum;' bene ait vetus scholiastes Donatus, 'Quasi dicat, illum talem tunc habuit amicum, qualem habebat, stante Trojanorum felicitate; neque secutus est fortunam, ut Polymnestor; sed tantum habuit amicum, quantus fuit; non, quantus veniebat.' Hujus notionis cape alia quædam exempla: v. g. ex Vell. II. 10. 'At nunc, si quis tanti habitet, vix ut senator agnoscitur.' Ex Curt. VIII. 2. ubi Alexander ait, 'Non agnosco vos milites; nec agnosci videor a vobis.' G. Kortius ad Cic. Fam. III. 11. conjecit, hanc loquendi rationem a more 'agnoscendi liberos' tractam esse. Servius ad verba Virgilii Æn. VIII. 155. hæc commentatur: 'Sane, inter 'agnosco' et 'cognosco' superfluo quidam volunt facere discretionem, ut cognoscamus novos; agnoscamus antiquos, sive ante cognitos: sed hæc a poëtis metri necessitate variantur.' Ita scilicet et hoc discrimen non observavit Terent. Eunuch. II. 1. 18. 'Adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse?' Non vero sine ratione Plinius distinguere videtur hæc verba, 'agnoscere' et 'putare.' Significanter ait, *Agnoscis nos eosdem*, i. e. revera nos adhuc habes pro veris senatoribus, pro quibus nos habuisti, cum adhuc privatus esses. *Eundem te putas*, i. e. opinaris te adhuc quasi privatum, et unum ex nobis, esse; cum revera talis amplius non sis. Non contemnenda quidem videtur hæc verborum translocatio, quæ neque omni codicum Mss. auctoritate destituitur: postquam tamen jam in recognoscendis his Observationibus versor, re diligentius examinata, deprehendi, saltem non necesse esse, ut plurium scriptorum, omniumque impressorum librorum, lectionem rejiciamus. Ad eundem enim modum verbum activum et passivum conjungit Plinius infra LX. 7. 'Semper obliges, obligeris.' Ceterum codex Guelpherbytanus habet *tu agnoscis, agnosceris!* Codex Patavinus et Vossianus omittunt has duas voces, *eosdem nos.*

EXCURSUS XXVII.

CAP. XXII. 1. *Ac primum, qui dies ille, quo expectatus desideratusque Urbem tuam ingressus es!* Adverbio *primum*, quando id in recensendis distribuendis-

que rebus locum habet, plerumque subjiciuntur particulæ ordinis, ut 'tum,' 'deinde,' 'præterea,' 'denique,' et similes. Sic apud ipsum Plin. Paneg. LXXV. 3. invenies, 'Primum,' 'deinde,' 'postremo.' Aliquando tamen etiam absolute ponitur, nulla alia particula sequente; v. g. apud Cic. Epist. II. 9. 'Primum tibi, ut debeo, gratulor, lætorque, cum præsenti, tum etiam sperata tua dignitate.' Et apud Plin. Paneg. LXXVI. 7, 'Ac primum ita domo progrediebatur, ut illum nullus apparatus arrogantiæ ... detineret.' Hoc loco adverbium 'primum' sequitur particula 'jam,' i. e. præterea. Sic Cic. pro lege Manil. c. 14. 'Jam, quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat, ... hoc ipso in loco sæpe cognostis.' At in sequentibus verbis observamus quandam varietatem in codicibus Mss. In Parisiensi, Veneto, et meo, pro *qui*, legitur *quid: Ac primum quid dies ille, quo expectatus, &c.* Guelpherbytanus præterea *quo* in *qui* vitiose mutat: *Ac primum quid dies ille, qui expectatus, &c.* In Vaticanis, loco pronominis *qui*, vel *quid*, particula *quidem* extat: *Ac primum quidem dies ille, quo expectatus, &c.* Non displiceret particula *quidem;* cum hæc apud Plinium sæpius inserviat transitioni; at ea pronomen *qui*, quo contextus carere non potest, non expellere, sed secum hoc ita conjungere deberet: *Ac primum quidem, qui dies ille, quo, &c.* Hoc pronomen *qui* agnoscunt omnes omnino editiones, præter unicam Plantinianam, in qua, loco *qui*, exhibetur *quid.* Nihil dubito, quin huic pronomini *qui* appinxerint literam *d,* ex subsequente nomine *dies* assumtum; unde deinceps alii nasutiores produxerint particulam *quidem;* qua particula dimissa, retinemus lectionem vulgatam, cujus sententia satis sibi constat, neque amplius eget medicina. Pronomen autem illud *qui*, vel *quis*, hoc loco idem valet quod *qualis quantusque*, maxime si per admirationem et exclamationem pronuntietur, uti apud Terent. Eunuch. II. 3. 1. 'Nunc, Parmeno, te ostendis, qui vir sies!' item apud Fam. Cic. IV. 14. 'Video, qui sim hoc tempore, et quid possim!' et apud ipsum Plin. Epist. V. 15. 'Tum ego, qui vir et quantus esset, altissime inspexi.' Quantopere vero Romani expectarint desiderarintque istum diem adventus Trajani e Germania, testantur duo Martialis epigrammata, quæ jam annotavit Lipsius. Visum mihi est ex lib. X. epigramma sextum huc transferre, ut id cum descriptione Pliniana conferri possit: 'Felices, quibus urna dedit spectare coruscum Solibus Arctois sideribusque ducem! Quando erit ille dies, quo campus, et arbor, et omnis Lucebit Latia culta fenestra nuru? Quando moræ dulces, (i. e. lentus, isque omnibus gratus incessus Imperatoris in Urbem,) longusque a Cæsare pulvis, Totaque Flaminia Roma videnda via? Quando eques, et picti tunica Nilotide Mauri, Ibitis? et populi vox erit una: venit?' In epigrammate septimo ejusdem libri poëta alloquitur Rhenum, fluvium Germaniæ, ad quem prope Agrippinam cum exercitu consederat Trajanus; cujus epigrammatis hi sunt duo postremi versus: 'Trajanum populis suis, et Urbi, Tibris te dominus rogat, remittas!' Quod ad versum primum prioris epigrammatis attinet, commentatores mire laborarunt in explicanda voce 'urna.' Urna vero ibi nihil aliud est quam sors, sive fortuna; quia sortes, moderante Fortuna, credebantur exire ex urna. Prædicat igitur poëta eos felices, quibus bona sors concesserit videre Trajanum, inter Germanos degentem, et rebus in Germania gloriose gestis inclares-

centem. Germania enim, cui tunc præfuerat Trajanus, respectu Italiæ versus Arctum sita est.

EXCURSUS XXVIII.

CAP. XXIII. 1. 2. *Gratum erat cunctis, quod senatum osculo exciperes; ... gratius tamen, quod sensim et placide, et quantum respectantium turba pateretur, incederes; quod occursantium populus te quoque, te immo maxime, astaret.* Jam diu ultro hæsitavi, quomodo populus occursantium *astitisse* dici queat Imperatorem incedentem. Immo, cur populus dicatur *maxime astitisse Imperatorem;* quasi et alios habuerit, quibus spectandi honorandique causa astiterint? Non dicam, Plinium sic insolenti more dicere, *te astaret;* cum in epistolis potius casum dandi cum hoc verbo conjungat. Sic Epist. II. 11. ait, 'Qui sellis consulum astiterant;' non 'sellas.' Epist. III. 5. 'Adstitit enim ei quiescenti Drusi Neronis effigies.' Taceo etiam, si quando hoc verbum cum casu accusandi construatur, tunc quoque adjicere solere præpositionem *ad.* Sic Cic. pro Archia, c. 10. dixit, 'Cum Alexander in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset.' Deinceps forte accidit, ut animadverterim, Christophorum Behrium, professorem quondam Gedanensem, in margine inferiore editionis suæ duplicem annotasse varietatem, nempe pro participio *respectantium, restitantium;* et pro verbo *astaret, arctaret,* nulla quidem varietatis hujus vel origine, vel ratione, simul annotata. Sicuti autem priorem varietatem *restitantium* facile dimisi; ita mihi pro verbo *astaret,* mox arrisit verbum *artaret,* sive *arctaret.* Etsi igitur alioquin id mihi temperamentum indixi, ut contra omnium librorum auctoritatem, non facile aliquid mutare audeam; nescio tamen, quomodo mihi visus sim prope necessarias emendandi hujus loci causas habere. Et fateor, me nunc malle, ut hanc ipsam emendationem recepissem in contextum. Nemo enim non agnoscet, literam *r* cum *s* facillime commutari potuisse. Scioppius certe, non solum in Arte Critica, pag. 54. sed etiam Verisimil. II. 18. et 19. docuit, se vel millies easdem literas, cum nimis similes in Longobardica scriptura fuerint, invicem confusas reperisse; quin, præter alia exempla, se etiam *arto,* pro *asto,* invenisse testatur. Et sane, nimium friget hoc loco illud verbum *astaret.* Quid? quod vix fieri potuisse intelligitur, ut populus magno ardore occursans et confluens *steterit* saltem, aut *astiterit,* incedente ac progrediente Imperatore? Multo aptius congruentiusque dicitur populus frequentissimus, ex nimia cupiditate nimioque studio spectandi atque honorandi Imperatoris, non solum se invicem, sed et ipsum Imperatorem, *immo Imperatorem maxime,* ita *artasse,* et quasi pressisse, ut ei incedenti vix *angustum tramitem reliquerit;* prout Plinius proximo capite locutus est. Et tanto est credibilius, populum frequentissime occursantem expectandi gratulandique ardore potuisse *arctare* Principem incedentem, si quando lictores viatoresque tunc tacuerint quieverintque; quod Plinius infra, LXXVI. 8. in simili casu narrat: 'Nemo perturbabatur; nemo submovebatur. Tanta viatoribus quies, tantus pudor fascibus, ut plerumque aliena turba subsistere et consu-

lem, et principem, cogeret.' Vides, et hic Principem arctatum fuisse. Verbum autem *arctare*, omisso τῷ *c*, in antiquis codicibus scribi *artare*, jam observarunt viri docti Gronovius ad Senecæ Œdip. vs. 277. Broeckhusius ad Tibull. I. 5. 53. Aldus Manutius in Orthogr. pag. 79. et Dausqueius in Orthogr. parte II. in voce 'artus.' Hoc ipsum verbum significat, 'claudere,' 'circumdare,' 'premere,' 'adstringere,' 'arcte componere;' quibus opponitur 'laxare.' Unde et ista interdum conjunxere Latini; v. g. Lucanus IV. 370. 'Artavit clausitque animam. Lucretius IV. 1073. 'Quod petiere, premunt arcte.' Cicero in Oratore, c. 65. 'Nec tamen hæc ita sunt arcta et adstricta, ut ea, cum velimus, laxare nequeamus.' Colum. de Re Rustic. XII. 45. 'Cum cydonea ad fauces usque (lagenæ) fuerint composita, vimineis surculis sic transversis arctentur, ut modice mala comprimant.' Alioqui nec raro verbum 'premere' de urgente confluxu concursantium usurpatur; v. g. Juvenal. Sat. III. 244. 'Magno populus premit agmine lumbos.' Et Ovid. ex Pont. IV. 9. 21. 'Nec querulus, turba quamvis eliderer, essem; Sed foret, a populo, tum mihi dulce, premi.' At querebatur omnino illa Appii. Cæci filia, cum 'turba undique confluentis fluctuantisque populi jactaretur,' quam Gell. x. 6. tunc dixisse narrat, 'Quid me nunc factum esset, quantoque arctius pressiusque conflicta essem, si P. Claudius, frater meus, navali prælio classem navium cum ingenti civium numero non perdidisset? Certe quidem majore nunc copia populi oppressa intercidissem.' Nec vero mirum est, Trajanum, Imperatorem optimum, tanta concurrentium hominum turba cinctum arctatumque adventasse Romam; cum Sueton. Calig. c. 4. referat paria de Cæsare Germanico: 'Sic vulgo,' inquit, 'hic favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel sicunde discederet, præ turba occurrentium prosequentiumve, non nunquam eum discrimen vitæ adiisse: e Germania vero, post compressam seditionem, revertenti prætorianas cohortes universas prodiisse obviam: . . . populi autem Romani sexum, ætatem, ordinem omnem, usque ad vicesimum lapidem effudisse se.' Vide vero, quam significanter divini scriptores ejusmodi confluxum hominum Christum cupidissime spectantium et audientium verbis Græcis expresserint. Lucas Evangelista, v. 1. Ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ. VIII. 42. Ἐν δὲ τῷ ὑπάγειν αὐτὸν, οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτόν. Quæ verba vulgatus interpres reddidit, *Dum iret, a turbis comprimebatur;* Erasmus, *Inter eundum turbæ coarctabant eum.* Ibid. vs. 45. Ἐπιστάτα, οἱ ὄχλοι συνέχουσί σε, καὶ ἀποθλίβουσι. *Præceptor, turbæ te constringunt et affictant!*

EXCURSUS XXIX.

CAP. XXIII. 4. *Nam milites nihil a plebe habitu, tranquillitate, modestia, differebant.* Suspiceris, Plinium pro *Nam* scribere voluisse *Etiam.* Cl. Arntzenius annotavit Nicolaum Heinsium conjecisse, pro *Nam*, legendum esse *Jam.* Et recte in his verbis locum habere possit particula *jam*, si ea quidem sententias conjungat, atque intendat, aut, transitioni inserviens, pro 'præterea' ponatur. Non enim hic causam et rationem reddit Plinius antecedentis sententiæ; sed narrationi narrationem adjungit. Ipse Plinius alibi particu-

centem. Germania enim, cui tunc præfuerat Trajanus, respectu Italiæ versus Arctum sita est.

EXCURSUS XXVIII.

Cap. XXIII. 1. 2. *Gratum erat cunctis, quod senatum osculo exciperes; ... gratius tamen, quod sensim et placide, et quantum respectantium turba pateretur, incederes; quod occursantium populus te quoque, te immo maxime, astaret.* Jam diu ultro hæsitavi, quomodo populus occursantium *astitisse* dici queat Imperatorem incedentem. Immo, cur populus dicatur *maxime astitisse Imperatorem;* quasi et alios habuerit, quibus spectandi honorandique causa astiterint? Non dicam, Plinium sic insolenti more dicere, *te astaret;* cum in epistolis potius casum dandi cum hoc verbo conjungat. Sic Epist. II. 11. ait, 'Qui sellis consulum astiterant;' non 'sellas.' Epist. III. 5. 'Adstitit enim ei quiescenti Drusi Neronis effigies.' Taceo etiam, si quando hoc verbum cum casu accusandi construatur, tunc quoque adjicere solere præpositionem *ad.* Sic Cic. pro Archia, c. 10. dixit, 'Cum Alexander in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset.' Deinceps forte accidit, ut animadverterim, Christophorum Behrium, professorem quondam Gedanensem, in margine inferiore editionis suæ duplicem annotasse varietatem, nempe pro participio *respectantium, restitantium;* et pro verbo *astaret, arctaret,* nulla quidem varietatis hujus vel origine, vel ratione, simul annotata. Sicuti autem priorem varietatem *restitantium* facile dimisi; ita mihi pro verbo *astaret,* mox arrisit verbum *artaret,* sive *arctaret.* Etsi igitur alioquin id mihi temperamentum indixi, ut contra omnium librorum auctoritatem, non facile aliquid mutare audeam; nescio tamen, quomodo mihi visus sim prope necessarias emendandi hujus loci causas habere. Et fateor, me nunc malle, ut hanc ipsam emendationem recepissem in contextum. Nemo enim non agnoscet, literam *r* cum *s* facillime commutari potuisse. Scioppius certe, non solum in Arte Critica, pag. 54. sed etiam Verisimil. II. 18. et 19. docuit, se vel millies easdem literas, cum nimis similes in Longobardica scriptura fuerint, invicem confusas reperisse; quin, præter alia exempla, se etiam *arto,* pro *asto,* invenisse testatur. Et sane, nimium friget hoc loco illud verbum *astaret.* Quid? quod vix fieri potuisse intelligitur, ut populus magno ardore occursans et confluens *steterit* saltem, aut *astiterit,* incedente ac progrediente Imperatore? Multo aptius congruentiusque dicitur populus frequentissimus, ex nimia cupiditate nimioque studio spectandi atque honorandi Imperatoris, non solum se invicem, sed et ipsum Imperatorem, *immo Imperatorem maxime,* ita *artasse,* et quasi pressisse, ut ei incedenti vix *angustum tramitem reliquerit;* prout Plinius proximo capite locutus est. Et tanto est credibilius, populum frequentissime occursantem expectandi gratulandique ardore potuisse *arctare* Principem incedentem, si quando lictores viatoresque tunc tacuerint quieverintque; quod Plinius infra, LXXVI. 8. in simili casu narrat: 'Nemo perturbabatur; nemo submovebatur. Tanta viatoribus quies, tantus pudor fascibus, ut plerumque aliena turba subsistere et consu-

lem, et principem, cogeret.' Vides, et hic Principem arctatum fuisse. Verbum antem *arctare*, omisso τῷ *c*, in antiquis codicibus scribi *artare*, jam observarunt viri docti Gronovius ad Senecæ Œdip. vs. 277. Broeckhusius ad Tibull. I. 5. 53. Aldus Manutius in Orthogr. pag. 79. et Dausqueius in Orthogr. parte II. in voce 'artus.' Hoc ipsum verbum significat, 'claudere,' 'circumdare,' 'premere,' 'adstringere,' 'arcte componere;' quibus opponitur 'laxare.' Unde et ista interdum conjunxere Latini; v. g. Lucanus IV. 370. 'Artavit clausitque animam. Lucretius IV. 1073. 'Quod petiere, premunt arcte.' Cicero in Oratore, c. 65. 'Nec tamen hæc ita sunt arcta et adstricta, ut ea, cum velimus, laxare nequeamus.' Colum. de Re Rustic. XII. 45. 'Cum cydonea ad fauces usque (lagenæ) fuerint composita, vimineis surculis sic transversis arctentur, ut modice mala comprimant.' Alioqui nec raro verbum 'premere' de urgente confluxu concursantium usurpatunt; v. g. Juvenal. Sat. III. 244. 'Magno populus premit agmine lumbos.' Et Ovid. ex Pont. IV. 9. 21. 'Nec querulus, turba quamvis eliderer, essem; Sed foret, a populo, tum mihi dulce, premi.' At querebatur omnino illa Appii Cæci filia, cum 'turba undique confluentis fluctuantisque populi jactaretur,' quam Gell. X. 6. tunc dixisse narrat, 'Quid me nunc factum esset, quantoque arctius pressiusque conflicta essem, si P. Claudius, frater meus, navali prælio classem navium cum ingenti civium numero non perdidisset? Certe quidem majore nunc copia populi oppressa intercidissem.' Nec vero mirum est, Trajanum, Imperatorem optimum, tanta concurrentium hominum turba cinctum arctatumque adventasse Romam; cum Sueton. Calig. c. 4. referat paria de Cæsare Germanico: 'Sic vulgo,' inquit, 'hic favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel sicunde discederet, præ turba occurrentium prosequentiumve, non nunquam eum discrimen vitæ adiisse: e Germania vero, post compressam seditionem, revertenti prætorianas cohortes universas prodiisse obviam: . . . populi autem Romani sexum, ætatem, ordinem omnem, usque ad vicesimum lapidem effudisse se.' Vide vero, quam significanter divini scriptores ejusmodi confluxum hominum Christum cupidissime spectantium et audientium verbis Græcis expresserint. Lucas Evangelista, V. 1. Ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ. VIII. 42. Ἐν δὲ τῷ ὑπάγειν αὐτὸν, οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτόν. Quæ verba vulgatus interpres reddidit, *Dum iret, a turbis comprimebatur*; Erasmus, *Inter eundum turbæ coarctabant eum.* Ibid. vs. 45. Ἐπιστάτα, οἱ ὄχλοι συνέχουσί σε, καὶ ἀποθλίβουσι. *Præceptor, turbæ te constringunt et affictant!*

EXCURSUS XXIX.

CAP. XXIII. 4. ***Nam milites nihil a plebe habitu, tranquillitate, modestia, differebant.*** Suspiceris, Plinium pro *Nam* scribere voluisse *Etiam*. Cl. Arntzenius annotavit Nicolaum Heinsium conjecisse, pro *Nam*, legendum esse *Jam*. Et recte in his verbis locum habere possit particula *jam*, si ea quidem sententias conjungat, atque intendat, aut, transitioni inserviens, pro 'præterea' ponatur. Non enim hic causam et rationem reddit Plinius antecedentis sententiæ; sed narrationi narrationem adjungit. Ipse Plinius alibi particu-

læ huic hujusmodi notionem subjicit; v. g. supra II. 7. 'Jam, quid tam civile, tam senatorium?' Et XXII. 1. 'Jam hoc ipsum, quod ingressus es, quam mirum lætumque?' Prætereo multo plura hujus generis exempla. Adhæc nihil insolitum est in antiquis codicibus particulas *jam* et *nam* sæpe confundi. Istiusmodi permutationis exempla jam collegit doctissimus Drackenborgius ad Sil. Ital. IX. 242. Verum, neque in scriptis, neque in excusis libris hujus panegyrici, vestigia alicujus varietatis in hac particula apparent; neque ego quicquam mutandum censeo. Particula enim *nam* non est unice causalis, ut semper adhibeatur ad causam reddendam; sed habet aliquando æque ac *jam*, etiam vim continuationis et ordinis, atque inservit transitioni. Id quod monuit Manutius ad Cic. Fam. III. 11. 12. 'Alibi,' inquit, 'nam causam antecedentis demonstrat; hic ad aliam sententiam transit;' ut Fam. I. 9. 56. II. 16. 13. VII. 32. 5. Neque spernenda est observatio viri solertissimi Jo. Alb. Bengelii, qui forte secutus Manutium, ad Cic. Fam. XIII. 60. 1. 'Sæpe,' inquit, 'nam facit ad ætiologiam; non, cur id, quod dictum est, ita sit; sed cur id, quod dicendum est, ab eo sejungatur; atque sic vix distat ab 'autem.'' Cic. Fam. I. 7. 6. II. 12. 1. VII. 8. 3. XII. 12. 10. III. 11. 12. V. 20. 15. VII. 1. 10. XII. 2. 20. Unde etiam transitioni inservit. Cic. ad Fam. II. 19. 5. III. 8. 4. III. 11. 12. V. 20. 15. &c. Sed et, docente Tursellino de Particulis, cap. 121. *nam* sæpe in enumeratione, vel narratione, posteriorem locum obtinet, ut subjiciat, quod requirere posset auditor. Cic. ad Q. Fr. I. 1. 3. ad Fam. XIV. 1. 1. in Lælio c. 27. 'Nam quid ego de studiis dicam?'

EXCURSUS XXX.

CAP. XXIV. 3. *Ambulas inter nos, non quasi contingas; et copiam tui, non ut imputes, facis.* Locus admodum vexatus. Eodem tamen modo, quo exprimitur in Cellarii editione, legitur etiam in plurimis codicibus, neque in paucis libris excusis. Quam lectionem sic interpretatus est Jac. de la Baune: 'I. e. perinde, quasi nemo te in via contingat, atque eunti obstet.' Sed hanc interpretationem merito sub censuram vocat V. C. Fabricius Biblioth. Lat. tom. II. p. 774. docetque, Plinium potius dicere voluisse, Trajanum inter privatos ambulare, tanquam pares, non, ut hoc a civibus ita accipi velit, ac si per hoc ipsis contingat inusitatus honor et singularis felicitas: 'contingere' enim dici de insigni felicitate et fortuna. Codex Vaticanus n. 3461. Guelphicus, Catanæus, Aldus, Junta, Philomusus, Rhenanus, Rob. et Henr. Stephani, Ascensius, Navius, Livineius, Elzevir habent *ambulas inter nos, non quasi contingat*, i. e. interprete Catanæo, 'non quasi contingat, te ambulare, h. e. forte.' Sed parum hæc cohærent cum sequentibus. Quid enim sibi voluisset Plinius, si de Trajano dixisset, Tu ambulas inter nos, non forte? Potius orator more suo ἀντιθέτοις usus, priore loco contrarium innuere voluit. Hinc Rittershusius noster, cum laudasset Livineium, ex veteribus libris legentem *contingas;* ait, hunc rectius facturam fuisse, si etiam τὸ *non* delevisset. Lipsius omittendum et ita scribendum existimat, *ambulas inter nos, nos quasi contingas*, i. e. attingas, seu quasi affinitate et ordine ne-

biscum sis conjunctus. Sed non male Baudius reprehendit veluti puerilem istam captationem vocum similium. Ceva nihilo minus hanc lectionem in contextum admisit, at ita interpretatus est, 'quasi unus ex nobis.' Verum fortasse meliore ratione suffragatur Rittershusii conjecturæ codex noster, qui hæc verba diserte exhibet: *ambulas inter nos, ut quasi contingas; et copiam tui, non ut imputes, facis.* Convenit hæc oratio stylo Plinii, qui, quod modo diximus, delectatur ἀντιθέτοις. *Ambulas inter nos*, et *copiam tui facis*, sunt quasi συνώνυμα et paria; at finem hujus actionis per ἀντίθετα exprimit orator, quasi dicat, Ambulas inter nos, adeoque tui visendi et alloquendi copiam cuivis facis, non eo fine et consilio, ut id beneficii loco videntibus et alloquentibus ascribas, utque tanquam magnum quippiam concessisse videaris; sed *ut quasi contingas*, h. e. ut quasi omnibus occurrentibus, et prætereuntibus, sis forte obvius et expositus, (Plin. Epist. I. 10.) nec necesse sit, ut facultatem tui videndi et alloquendi anxie quærant, et expectent. Sic Plinius quasi exprimit Græcorum verbum, ἐντυγχάνειν, *incidere*, *forte occurrere*. Immo, uti Græcis οἱ τυχόντες dicuntur *homines privati*, *obvii quique*, *gregarii*, *plebeii*, *triviales*; ita Plinius dicere potuit, Trajanum inter ceteros ambulare, *ut quasi contingat*, h. e. ut quasi unus e multis, et privatus, atque promiscue obvius videatur. Equidem vir doctissimus Heumannus huic explicationi meæ objicit, verbo 'contingere' neminem unquam Romanum, quod sciat, illa notione usum esse. At quid, si ipse usus est Plinius? Certe hic supra XIV. 2. 'Apud eos semper major et clarior quibus postea contigisses.' Nihil prohibet, quo minus hic verbum 'contigisses,' simpliciter exponatur, 'quibus forte occurrisses, in quos incidisses, ad quos accessisses.' Id certum est, verbum 'contingere' non semper de singulari et rara felicitate dici. Sic Scævola de morte dixit, D. de adimendis legatis, l. XXX. § 4. 'Si quid ei (filio meo) humanitus contigerit; do, lego, darique eis (fratri meo et marito) volo.' Atque ita antehac codicis mei lectionem explicare conatus sum; postquam vero plures codices scriptos conferre mihi contigit, hanc aliam amplexus sum, atque in notis illustravi, *Ambulas inter nos, non quasi contingas.* Præcipue tamen placet hæc codicis Patavini scriptura, quamvis ejusdem sit sententiæ, *Ambulas inter nos, non ut contingas.*

EXCURSUS XXXI.

CAP. XXV. 2. *Nisi vero leviter attingi placet, locupletatas tribus, datumque congiarium populo.* Vulgo notum est, *congiarium* proprie dici vas, quod congium, seu mensuram sex sextariorum capit. Hoc loco notat liberalitatem, quæ a principibus conferebatur in populum, vel amicos. Quam notionem notat Quintil. Inst. Orat. VI. 3. Quæ appellatio inde ducta est, quia ab initio congii olei et vini dabantur. Deinde vero etiam ad alias res, quam ad oleum et vinum, nempe ad frumentum, vel pecunias, traducta illa principum largitio nihilo minus etiam *congiarium* audiit; nec raro tamen etiam generatim in nummis dicitur LIBERALITAS AVGVSTI. Monumentum hujusmodi congiarii, a Trajano dati populo, prodit nummus, quem Patarolus ex Vaillantio, aliisque, exhibuit tab. I. n. 7. In hoc nummo conspicimus duplex tribunal, sive

suggestum, erectum, cum gradibus, quibus ascendebatur ad illa tribunalia. In superiore tribunali sedit Imperator super sella curuli; in paulo inferiore sedet super sella alius vir, qui ex libro, aut tabulis, incisa civium congiarii participum nomina inspicit; alius homo, vel exhibet alicui petenti, vel recognoscit exhibitam sibi a stante in gradibus tesseram frumentariam, vel nummariam. Rursus alius homo inferius ad gradus astans expectat quasi adeundi facultatem. In margine nummi hæ leguntur literæ: COS. III. CONG. PR. quibus designatur consulatus tertius Trajani, quo functus is est, cum Romam reversus dedit populo congiarium. Per siglas, CONG. PR. notatur vel congiarium primum, vel congiarium populi Romani. Ista vero congiariorum distributio, uti recte docuit Spanhemius de Præst. et Usu Numism. Vet. tom. II. pag. 532. spectabat ad extraordinarias imperatorum largitiones, quæ nempe, vel sub auspicia imperii, vel aliis aliunde in filios, aut Cæsares, ascitis, ipso adoptionis die, aut die tirocinii, seu togæ virilis iis datæ; natalibus præterea, quinquennalibus, vel decennalibus principis; liberorum nuptiis, victoriarum, aut triumphorum solennibus; in urbem adventu, aliisque id generis publicis festivitatibus, populo, seu plebi Romanæ, ut donativum militi, erogabantur. Ordinaria adhæc erat, aut menstrua, tam frumenti, quam pecuniæ, divisio; de qua testatur Philo in Legat. ad Caium, p. 1015.

EXCURSUS XXXII.

CAP. XXVIII. 6. *Dent tibi, Cæsar, ætatem Dii, quam mereris, serventque animum, quem dederunt: et quanto majorem infantium turbam iterum atque iterum jubebis incidi?* Pauci videntur ad vim et notionem, quam particula *et* hoc loco sustinet, satis attendisse; unde, cum eam pro vulgari duntaxat copula haberent, ad corrumpenda alia Plinii verba sunt prolapsi, ut ea quomodocumque inter se conciliarent. Sic Boxhornius, qui nullius codicis Ms. subsidio usus est, pro *quanto*, reposuit *quando:* quam Cellarius, et Cellariani sunt secuti. Ita nempe credidere, aptius cohærere verba, si legerent, *Et, quando majorem infantium turbam iterum atque iterum videbis incidi; dabis congiaria, si voles, &c.* Verba enim interjecta, *Augetur enim quotidie, et crescit; non quia cariores parentibus liberi, sed quia Principi parentes,* per signa παρένθεσεως quasi ab hoc nexu removenda putarunt. In quem communem multorum errorem etiam incidit Germanicus, isque recentior interpres, quamvis alioquin in sententiis Plinii apte exprimendis perindustrius: *Und wenn du einmahl über das andere eine viel grössere Menge Kinder wirst einzeichnen sehen: . . . So wirst du zwar Geschencke geben, wenn es dir gefallen wird; aber jene werden dennoch deinetwegen gebohren seyn.* Alii, qui quidem vocem, *quanto*, salvam reliquerunt, Plinianis verbis verbum *videbis,* (prout in Cuspiniani editione animadvertimus,) intruserunt, et primum quidem cum verbo *jubebis,* hunc in modum conjunxerunt, *Et, quanto majorem infantium turbam iterum iterumque videbis; jubebis incidi.* Hi videntur putasse, in posteriore commate, e superiore membro velut animo repeti debere quædam verba, *Et quanto majorem infantium turbam iterum iterumque videbis, tanto majorem turbam jubebis incidi.* Placet quidem nobis verbum *jubebis;*

sed id minus apte conjungitur cum verbo *videbis*. Illud autem ipsum verbum *jubebis*, sine verbo *videbis*, non quidem habet Puteolanus, prout per errorem in nota ad h. l. scripsi; habent tamen, præter codicem Venetum, et librum primum Gudii, Lipsianæ, aliæque quædam editiones, idque commodissimum est huic argumento, uti ibidem ostendi. Non parum autem obscuritatis huic loco attulit neglectus, vel ignorantia veræ notionis particulæ *et*. Ea igitur probe est observanda; cum non vulgarem hic habeat potestatem copulandi, sed, per elegans *παρέλκον* quasi abundare, neutiquam tamen otiose abundare videatur. Sic scilicet etiam apud alios auctores non raro *παρέλκει* v. g. apud Terent. Eunuch. v. 6. 4. 'Sed estne ille noster Parmeno? Et certe ipsus est.' Omitte hoc *et;* nec minus sibi sententia constabit, quamvis non cum eadem elegantia. Apud Gell. Noct. Attic. IV. 20. 'Et cur ita est, ut tu sis, quam equus, curatior?' Auctor Elegiæ de morte Drusi, vs. 7. 'Et quisquam leges audet tibi dicere flendi?' atque paulo post, 'Et cuiquam miserandus ero?' Neque vero, quod jam dixi, tunc plane otiosa stat illa particula. Aliquando enim, etiamsi abesse potuisse videatur, vel in continuanda narratione, vel in exprimenda vi consecutiva, pro 'tum' ponitur. Sic loquitur Phæd. III. 5. 6. 'Venit, ecce, dives et potens: huic similiter Impinge lapidem, et dignum accipies præmium.' Atque ipse Plinius infra, XLIII. 3. 'Tene, Cæsar, hunc cursum, et probabitur experimento,' &c. Idem, XLV. 6. 'Perge modo, Cæsar; et vim effectumque censuræ, tuum propositum, tui actus, obtinebunt.' In his, similibusque exemplis, si 'tum,' loco *et*, posueris, eandem sententiam facile tenebis. Ita nimirum, in ultimo exemplo, dum orator vult indicare, quid consecuturum sit, si Cæsar perrexerit in bonis viris probandis, fovendisque, particula *et* utitur, cum etiam particula 'tum' uti potuisset: 'tum vim effectumque censuræ actus tui obtinebunt.' Atque eodem modo etiam verba loci illius, qui nobis sub manibus est, explicari possunt: *Dent tibi, Cæsar, ætatem, quam mereris; ... et quanto* [i. e. quanto tum] *majorem infantium turbam jubebis incidi!* Quoniam vero particula *et* hoc loco cum voce *quanto* ponitur, et admirationi inservit, ac quasi vim quandam addit; simul locum particularum admirantis, v. g. 'hei,' 'hui,' 'hem,' 'ah,' 'o,' 'en,' 'ecce,' aut similium, sustinet. Ita enim 'quantus,' in admiratione exprimenda et augenda, sæpe cum ejusmodi particulis conjungitur; v. g. apud Terent. Heaut. II. 1. 72. 'Si semel tuum animum intellexerit, ... hui, quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!' Andr. II. 1. 7. 'Ah, quanto satius est, te id dare operam!' Eunuch. v. IV. 2. 'Quod si astu rem tractavit; Dii vestram fidem! Quantam et quam veram laudem capiet Parmeno!' Age ergo, et in hoc loco Pliniano, pro particula *et*, substitue ejusmodi particulam admirantis; tum cognosces, eam sententiæ Plinii peraccommodam esse, adeoque vicissim, particulam *et* ibi vim particulæ admirantis posse sustinere. Plinius enim quasi mirabundus mente complecti, et verbis exprimere voluit multitudinem infantium, qui in posterum alimentorum capiendorum causa tabulis frumentariis incidendi forent, si Trajanus, pro merito suo, ad longiorem ætatem perventurus esset. Germanice ista verba sic redderem: *Wann dir nur, grosser Kayser, die Goetter, wie wir wünschen, dasjenige hohe Alter verleihen, welches du verdienest, und dich bey den guten Gedancken, die sie dir eingegeben haben, ferner erhalten: ey,*

suggestum, erectum, cum gradibus, quibus ascendebatur ad illa tribunalia. In superiore tribunali sedit Imperator super sella curuli; in paulo inferiore sedet super sella alius vir, qui ex libro, aut tabulis, incisa civium congiarii participum nomina inspicit; alius homo, vel exhibet alicui petenti, vel recognoscit exhibitam sibi a stante in gradibus tesseram frumentariam, vel nummariam. Rursus alius homo inferius ad gradus astans expectat quasi adeundi facultatem. In margine nummi hæ leguntur literæ: COS. III. CONG. PR. quibus designatur consulatus tertius Trajani, quo functus is est, cum Romam reversus dedit populo congiarium. Per siglas, CONG. PR. notatur vel congiarium primum, vel congiarium populi Romani. Ista vero congiariorum distributio, uti recte docuit Spanhemius de Præst. et Usu Numism. Vet. tom. II. pag. 532. spectabat ad extraordinarias imperatorum largitiones, quæ nempe, vel sub auspicia imperii, vel aliis aliunde in filios, aut Cæsares, ascitis, ipso adoptionis die, aut die tirocinii, seu togæ virilis iis datæ; natalibus præterea, quinquennalibus, vel decennalibus principis; liberorum nuptiis, victoriarum, aut triumphorum solennibus; in urbem adventu, aliisque id generis publicis festivitatibus, populo, seu plebi Romanæ, ut donativum militi, erogabantur. Ordinaria adhæc erat, aut menstrua, tam frumenti, quam pecuniæ, divisio; de qua testatur Philo in Legat. ad Caium, p. 1015.

EXCURSUS XXXII.

CAP. XXVIII. 6. *Dent tibi, Cæsar, ætatem Dii, quam mereris, serventque animum, quem dederunt: et quanto majorem infantium turbam iterum atque iterum jubebis incidi?* Pauci videntur ad vim et notionem, quam particula *et* hoc loco sustinet, satis attendisse; unde, cum eam pro vulgari duntaxat copula haberent, ad corrumpenda alia Plinii verba sunt prolapsi, ut ea quomodocumque inter se conciliarent. Sic Boxhornius, qui nullius codicis Ms. subsidio usus est, pro *quanto*, reposuit *quando:* quam Cellarius, et Cellariani sunt secuti. Ita nempe credidere, aptius cohærere verba, si legerent, *Et, quando majorem infantium turbam iterum atque iterum videbis incidi; dabis congiaria, si voles, &c.* Verba enim interjecta, *Augetur enim quotidie, et crescit; non quia cariores parentibus liberi, sed quia Principi parentes*, per signa *παρένθεσεως* quasi ab hoc nexu removenda putarunt. In quem communem multorum errorem etiam incidit Germanicus, isque recentior interpres, quamvis alioquin in sententiis Plinii apte exprimendis perindustrius: *Und wenn du einmahl über das andere eine viel grössere Menge Kinder wirst einzeichnen sehen: . . . So wirst du zwar Geschencke geben, wenn es dir gefallen wird; aber jene werden dennoch deinetwegen gebohren seyn.* Alii, qui quidem vocem, *quanto*, salvam reliquerunt, Plinianis verbis verbum *videbis*, (prout in Cuspiniani editione animadvertimus,) intruserunt, et primum quidem cum verbo *jubebis*, hunc in modum conjunxerunt, *Et, quanto majorem infantium turbam iterum iterumque videbis; jubebis incidi.* Hi videntur putasse, in posteriore commate, e superiore membro velut animo repeti debere quædam verba, *Et quanto majorem infantium turbam iterum iterumque videbis*, tanto majorem turbam *jubebis incidi.* Placet quidem nobis verbum *jubebis*;

sed id minus apte conjungitur cum verbo *videbis.* Illud autem ipsum verbum *jubebis,* sine verbo *videbis,* non quidem habet Puteolanus, prout per errorem in nota ad h. l. scripsi; habent tamen, præter codicem Venetum, et librum primum Gudii, Lipsianæ, aliæque quædam editiones, idque commodissimum est huic argumento, uti ibidem ostendi. Non parum autem obscuritatis huic loco attulit neglectus, vel ignorantia veræ notionis particulæ *et.* Ea igitur probe est observanda; cum non vulgarem hic habeat potestatem copulandi, sed, per elegans *παρέλκον* quasi abundare, neutiquam tamen otiose abundare videatur. Sic scilicet etiam apud alios auctores non raro *παρέλκει·* v. g. apud Terent. Eunuch. v. 6. 4. 'Sed estne ille noster Parmeno? Et certe ipsus est.' Omitte hoc *et;* nec minus sibi sententia constabit, quamvis non cum eadem elegantia. Apud Gell. Noct. Attic. IV. 20. 'Et cur ita est, ut tu sis, quam equus, curatior?' Auctor Elegiæ de morte Drusi, vs. 7. 'Et quisquam leges audet tibi dicere flendi?' atque paulo post, 'Et cuiquam miserandus ero?' Neque vero, quod jam dixi, tunc plane otiosa stat illa particula. Aliquando enim, etiamsi abesse potuisse videatur, vel in continuanda narratione, vel in exprimenda vi consecutiva, pro 'tum' ponitur. Sic loquitur Phæd. III. 5. 6. 'Venit, ecce, dives et potens: huic similiter Impinge lapidem, et dignum accipies præmium.' Atque ipse Plinius infra, XLIII. 3. 'Tene, Cæsar, hunc cursum, et probabitur experimento,' &c. Idem, XLV. 6. 'Perge modo, Cæsar; et vim effectumque censuræ, tuum propositum, tui actus, obtinebunt.' In his, similibusque exemplis, si 'tum,' loco *et,* posueris, eandem sententiam facile tenebis. Ita nimirum, in ultimo exemplo, dum orator vult indicare, quid consecuturum sit, si Cæsar perrexerit in bonis viris probandis, fovendisque, particula *et* utitur, cum etiam particula 'tum' uti potuisset: 'tum vim effectumque censuræ actus tui obtinebunt.' Atque eodem modo etiam verba loci illius, qui nobis sub manibus est, explicari possunt: *Dent tibi, Cæsar, ætatem, quam mereris;... et quanto* [i. e. quanto tum] *majorem infantium turbam jubebis incidi!* Quoniam vero particula *et* hoc loco cum voce *quanto* ponitur, et admirationi inservit, ac quasi vim quandam addit; simul locum particularum admirantis, v. g. 'hei,' 'hui,' 'hem,' 'ah,' 'o,' 'en,' 'ecce,' aut similium, sustinet. Ita enim 'quantus,' in admiratione exprimenda et augenda, sæpe cum ejusmodi particulis conjungitur; v. g. apud Terent. Heaut. II. 1. 72. 'Si semel tuum animum intellexerit, . . . hui, quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!' Andr. II. 1. 7. 'Ah, quanto satius est, te id dare operam!' Eunuch. v. IV. 2. 'Quod si astu rem tractavit; Dii vestram fidem! Quantam et quam veram laudem capiet Parmeno!' Age ergo, et in hoc loco Pliniano, pro particula *et,* substitue ejusmodi particulam admirantis; tum cognosces, eam sententiæ Plinii peraccommodam esse, adeoque vicissim, particulam *et* ibi vim particulæ admirantis posse sustinere. Plinius enim quasi mirabundus mente complecti, et verbis exprimere voluit multitudinem infantium, qui in posterum alimentorum capiendorum causa tabulis frumentariis incidendi forent, si Trajanus, pro merito suo, ad longiorem ætatem perventurus esset. Germanice ista verba sic redderem: *Wann dir nur, grosser Kayser, die Goetter, wie wir wünschen, dasjenige hohe Alter verleihen, welches du verdienest, und dich bey den guten Gedancken, die sie dir eingegeben haben, ferner erhalten: ey,*

wie wirst du nicht hinführo, einmahl über das andre, eine viel grössere Menge Kinder einzeichnen zu lassen haben! Ne vero prorsus insolitum videatur particulæ *et* tribui aliquam vim admirationis in oratione augendæ, ejus generis exempla quædam adhuc adjiciam. Sic canit Virgil. Ecl. I. 27. 'Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?' Ubi recte Servius ait, 'Miratus Melibœns, hominem rusticum Romam videre potuisse.' Sic Micio Terentianus, Adelph. I. 1. 53. velut mirabundus ait, 'Sed estne hic ipsus, de quo agebam? Et certe is est.' Sic Cato senex apud Cic. de Senect. c. 9. cum testaretur, sibi adhuc superesse canorum illud vocis, annos suos quasi admirandos proponit: 'Quod equidem adhuc non amisi; et videtis annos!' Virg. Georg. II. 433. 'Et dubitant homines serere, atque impendere curam?' Idem Æn. VIII. 807. 'Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?' Et Cic. pro lege Manil. c. 15. 'Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecerit?' Sed sæpe etiam illud *et*, quando admirationem loquentis indicat, augetque, in compositis vocibus convertitur in *ec*, h. e. *ecquis, ecquantus, ecquando.* Ita eadem notio affertur, sive in versu Virgil. Ecl. I. 27. legas, 'et quæ tanta fuit;' sive, 'ecquæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?' prout ibi variant non nulli codices. Et Ecl. X. 28. 'Ecquis erit modus?' Ubi eadem notione alii habent, 'Et quis erit modus?' Cic. pro lege Manil. c. 23. 'Ecquam putatis civitatem pacatam fuisse, quæ locuples sit?' Si pro 'Ecquam,' ponas 'Et quam,' aut 'Hei, quam,' eandem vim exprimes; et sic in aliis etiam hujus generis exemplis. Idem Cic. Attic. VIII. 12. 'Fingas, quem me esse decet, et ubi me plurimum prodesse reipublicæ sentias, ecquæ [i. e. 'et quæ,' vel, 'en quæ,'] pacifica persona desideretur?' Equidem Gifanius Papinianus quondam Altorfinus, in Indice Lucretiano, tradidit, 'et quis,' et 'ecquis;' item 'et quantus,' 'ecquantus;' 'et quando,' atque 'ecquando,' inter se differre: negari tamen nequit, eorum significationem sæpissime exæquari. Præter opinionem hæc copiosius exposui; at, opinor, non sine usu. Hæc si absque præjudicio in posterum attendant viri clarissimi; tum fortasse et D. Heumannus tandem a se impetrabit, ut locum hunc Plinii sanum esse credat; et D. Arntzenius non opus esse ducet, ut verba sequentia, *Augetur enim . . . sed quia Principi cives*, distinguantur παρενθέσει· qua παρενθέσει primus in excusis libris usus est Catanæus.

EXCURSUS XXXIII.

CAP. XXIX. 5. *Emit fiscus, quicquid videtur emere: inde copiæ, inde annona, de qua inter licentem vendentemque conveniat.* Constans hæc lectio in omnibus libris, quorum quidem inspiciendorum copia nobis facta est; nisi, quod in codice meo Ms. non *copiæ*, sed levissima varietate, *copia;* et in codice Patavino *annonæ*, pro *annona*, legitur. Sed vide, quam singularem lectionem ductu scripti codicis in altero libro Gudiano produxerit, annotaritque Gudius: *Sinit fiscus, quicquid videtur e re, emere;* cum scilicet in codice suo, qui postea in Guelpherbytanam pervenit Bibliothecam, scriptum esset, *Sinit fiscus, quicquid videre, emere.* Postea vero in codice Vaticano 3461.

scriptum deprehendi, *Sinit fiscus, quicquid videtur*, (i. e. quicquid placet,) *emere*. Scilicet in quæstum fisci repertum erat, ut provinciales frumentum decumanum, quod in horrea Cæsaris convectum erat, aut convehi debebat, pretio præscripto, de quo non licebat inter licitantem et vendentem amplius convenire, a Cæsaris procuratoribus, aut redemtoribus decumarum, harpyis illis emere cogerentur, etiam ubi provincialibus non opus esset frumento. Quam rem quodammodo indicat Tacitus, in Vita Agricolæ, c. 19. ubi ait, 'Per ludibrium assidere clausis horreis, et emere ultro frumenta, ac vendere pretio cogebantur.' Ejus generis exemplum, teste Cicerone, lib. III. in Verr. jam in republica libera præbuit Verres, prætor Siciliæ, et Apronius, decumarum redemtor. Sic cap. 30. 'Imperat,' inquit, 'Agyrinensibus Verres, ut decumas ipsi publice accipiant; Apronio lucrum dent.' Et cap. 37. 'Liparenses vocantur. Ipsi accipere decumas, et numerare Valentio, decumano, coguntur, lucri H. S. XXX. millia.' Cap. 73. 'Reperio genus hujusmodi prædæ, ut prætor, qui frumentum emere debebat, non emat, sed vendat; pecunias, quas civitatibus distribuere debebat, eas omnes avertat atque auferat.' Eo major itaque laus erat Trajani, quo imperante, fisci procuratores non obtrudebant provincialibus invitis frumentum certo pretio emendum; sed sinebant quemque, quicquid sibi e re esse videretur emere, eo quidem pretio, de quo inter licentem ac vendentem convenerat. Quam facile autem verbum *Sinit* in *Emit* converti, atque voculæ, *e re*, propter similes literas subsequentis verbi *emere*, a librario festinante omitti, et ad verbum *videtur* intempestive rejici potuerint, nemo non videt. Eximia hæc est lectio; propter quam tamen nondum velim causam vulgaris lectionis tuendæ deserere. Sicuti enim artes fisci locupletandi sub malis imperatoribus fuere variæ, ita non minus huc etiam referri poterat emtio tam coacta, quam imaginaria. Sic jam idem Verres, qui obtrusit aliquando vel invitis Siculis frumentum, pretio præscripto emendum, et ipse debuit frumentum emere, quod Romam mitteret; eoque nomine publicam pecuniam acceperat ex senatusconsulto. At quomodo emit? Docet id Cic. in Verr. III. 70. 'Frumentum,' inquit, 'emere in Sicilia debuit Verres ex senatusconsulto, et ex lege Terentia, et Cassia frumentaria.... Hanc pecuniam tantam datam tibi ex ærario inopi atque exhausto; datam ad frumentum, hoc est, ad necessitatem salutis et vitæ; datam, ut Siculis aratoribus, quibus tanta onera respublica imponeret, solveretur; abs te sic laceratam esse dico, ut possim illud probare, si velim, omnem te hanc pecuniam domum tuam avertisse.' Et paulo post: 'In hac pecunia publica, hæc insunt tria genera furtorum: Primum, cum posita esset pecunia apud eas societates, unde erat attributa, binis centesimis fœneratus est. Deinde permultis civitatibus pro frumento nihil solvit omnino. Postremo, si cui civitati solvit, tantum detraxit, quantum commodum fuit; nulli, quod debitum est, reddidit.' Porro, cap. 75. 'A civitatibus pecunias, ad emendum frumentum, coëgit, cum ex ærario acceperit.' Et cap. 78. 'Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant: primum pro spectatione,' (i. e. probatione pecuniæ) 'et collybo,' (i. e. permutatione nummorum;) 'deinde pro nescio quo cerario' (i. e. pretio, quod exigebant scribæ pro impensis ceræ). 'Hæc omnia non rerum certarum, sed furtorum

improbissimorum, sunt vocabula.' Vides, quam variæ fraudes etiam postea sub injustis imperatoribus intercedere potuerint, ut fiscus Cæsareus, cum videri vellet emere, re vera non emerit, sed rapuerit verius! His fraudibus omnibus, quæ injustorum principum temporibus invaluerant, non abstinebat modo ipse Trajanus, sed etiam iis obviam ibat, ne a procuratoribus suis admitterentur. Fiscus tunc neminem provincialium cogebat ad frumentum insano pretio emendum, quo abundabant aliquando horrea publica; sed sinebat emere, quicquid cuique e re sua videbatur. Constat igitur etiam vulgatæ lectioni æque, ac Gudianæ, sua ratio. Utra vero sit adoptanda, aliorum permitto judicio. Utraque rei ipsi congruens locum habere potest; sed non utraque pari librorum suffragio nititur; quanquam aliquando etiam in unico codice superstite adhuc latere queat genuina lectio. Interim in nota in h. l. vulgatam lectionem tuendam suscepi.

EXCURSUS XXXIV.

CAP. XXX. 4. *Neque enim solum vagus ille expanditor amnis intra usurpata semper collium substiterat atque hæserat; sed supino etiam ac detinenti solo non placido se mollique lapsu refugum abstulerat; nec dum satis humentes terras addiderat arentibus.* Loquitur Plinius de Nilo, fluvio Ægypti, qui, cum alias sese expanderit, et longe lateque vagatus sit, tunc inopina siccitate sic exaruerit, ut non solum inter solitas collium riparumque vias in alveo suo substiterit, sed etiam ex jacente et depresso solo, ubi alioquin aqua diutius detinetur, quasi subito retraxerit aquam suam, adeoque ceteris arentibus Ægypti terris alias arentes addiderit, quas quidem nec ipse antehac inundatione sua satis irrigare et quasi humectare potuerit. Vix dubium est, quin hæc sit sententia istorum verborum. At quis animo et auribus æquis in Plinio ferat tam durum prorsusque insolens nomen, *expanditor?* Si is omnino verbum novum fingere voluisset, saltem analogiæ linguæ convenientius dicturus fuisset *expansor.* Nihil opis adhuc loco huic laboranti tulere libri impressi. Jam in Catanæi commentariis *expanditor* redditur et explicatur per nomen, 'expatiator,' 'effusor.' Unde fortasse quondam Virdungus noster, teste Rittershusio, *exspatiator* hic legendum suaserat; seu potius exinde, quia Ovidius describens diluvionem, Met. I. 285. canit, 'Expatiata ruunt per apertos flumina campos.' Livineius, abusus vestigiis veræ lectionis exquirendæ, quæ ipsi indicarat codex vetustior, invita Minerva, procudit *palator.* Behrius, quamvis commendet vocabulum *spatiator,* re vera tamen maluit scriptum esse *vagus ille agrorum lustrator amnis.* Sed in hujusmodi emendationibus sæpe lutum luto purgatur, sive in locum vocis insolentis alia insolens surrogatur. Deinde vix ullum in his nomen est, quod sententiæ hujus loci satis sit accommodatum. Cur enim Plinius hic Nilum, sine restrictione, dixerit 'spatiatorem,' 'exspatiatorem,' 'palatorem,' 'lustratorem agrorum;' ubi potius hoc loco commemorat, quam ille cunctanter sese ac languide tunc extulerit alveo, et quam contractus exilisque inter colles solitos, qui utrimque ripas ambiunt, substiterit. Candide ergo et dubie Lipsius, 'Vim,' inquit, 'verbi *expanditor* capio, ipsum vix admitto: novum

durumque est; et an non magis *exspatiator?* aut si quis Vulcanus magis affabre aliquid effingat.' Nos non novum effingere, sed pristinum auctori suo restituere, et omnibus vestigiis persequi cupimus. Ac fortasse pedem impressum nobis ostendit codex noster, qui pro vulgato nomine *expanditor*, exhibet verbum *expandebatur*. Nec longe hinc abiit vetus Panegyricorum codex, isque notæ admodum bonæ, qui penes Livineium fuit. Hoc enim teste, ibi liquido scriptum fuit *expandatur*. Ad nos ergo duo veteres codices indicium deferunt, loco vitiosi nominis *expanditor*, antiquitus ibi verbum extitisse. At id, inquis, quomodo contexitur cum reliqua ista oratione? Omnino inde excidisse particulam *cum*, vel *si*, putamus, quam non nimis audaces isti verbo præfigemus. Etenim etiam in alterius exempli Gudiani margine hæc varians notata erat lectio, *vagus ille, quum expanditur, amnis*. Difficilis fere nobis est deliberatio, quam legendi rationem, ex his variis, velut genuinam, cooptandam arbitremur. Quanquam vero nobis non parum arrideat Gudiana emendatio; attamen, cum id, quod nostris ipsi oculis intuemur, propius fidem esse soleat, tantisper, dum certior ratio elucescat, codicis nostri auctoritatem sequemur, cujus verba, unica particula *cum* a nobis ascita, jam afferemus: *Neque enim solum, vagus ille, cum expandebatur, amnis, intra usurpata semper collium substiterat atque hæserat; sed supino etiam ac detinenti solo non placido se mollique lapsu refusum abstulerat,* [et] *nec dum satis humentes terras addiderat arentibus.* Patet hinc, cur hoc loco Plinius Nilum vocet amnem vagum; nempe quatenus hic antea *expandebatur*, et extra alveum suum exundabat; non vero, quatenus tunc contractus substiterat intra ripas. Hæc jam anno 1729. commentatus eram, ex quo tempore adhuc plures codices Mss. consulere mihi contigit. In codice Salisburgensi reperi *Neque enim solum vagus ille exundarat amnis.* Sed hæc cum sequentibus non cohærent; et verbum *exundarat* ex ingenio alicujus correctoris natum videtur. In codice Parisiensi, loco nominis *expanditor*, simpliciter, et nulla præmissa particula, scriptum est *expandatur*. In libro autem Vossiano, sic additur particula, *cum expandatur*. In codice Vaticano n. 3461. (nescio, annon etiam in reliquis, cum nihil hic annotatum deprehenderim,) legitur *cum expanditur;* et similiter in codice Guelpherbytano, *quum expanditur*. Unice nunc ambigo, utrum recipiam, *cum expanditur*, an subjunctivum, *cum expandatur*. Utraque scriptura nititur auctoritate veterum codicum; nec desunt exempla, quibus etiam utriusque modi structura defendatur; prout statueris, particulam *cum* hic vel pro *quando*, vel pro *si quidem* poni. Sic v. g. Cicero scribit, Fam. III. 6. 'Cum meum factum cum tuo comparo,' &c. et Terent. Andr. V. 2. 25. 'Cum faciem videas,' (i. e. si faciem quidem videas,) 'videtur esse quantivis pretii.' Admisi interim indicativum, *cum expanditur;* quoniam ipsum mendum, ex hoc profectum, *expanditor* vestigium modi indicativi reliquit, eundemque duo codices Mss. diserte confirmant.

EXCURSUS XXXV.

Cap. XXXI. 1. *Crediderim tamen, per hunc Ægypti statum tuas fortunam vires experiri, tuamque vigilantiam expectare voluisse.* Cuspinianus pro verbo

expectare, habet *ostentare;* quæ non adeo intempestiva est lectio, si aliorum codicum confirmetur auctoritate: quasi Plinius dixerit, fortunam voluisse ostentare Trajani vigilantiam, tanquam gloriosum imperantis specimen, atque exemplar, quo et præsens ætas merito sese efferat, et quod admiratura sit sera posteritas. In hunc fere modum loquitur ipse Plin. XLV. 4. 'Tu amicos ex optimis legis.... Hos ergo provehis, et ostentas, quasi specimen, et exemplar, quæ tibi secta vitæ, quod hominum genus placeat.' At, si attendas sequentia Panegyristæ verba, non is hoc loco tam de ostentatione vigilantiæ principis, ejusque glorioso exemplo, quam de probatione ejusdem et illustri experimento loqui videtur, cum doceat, 'felices rebus secundis, magnos autem adversis maxime probari.' Lipsius maluit reponere *spectari*. Quam lectionem etiam calculo suo probavit, inque contextum orationis jam recepit Jacobus de la Baune. At sic verbum id quodammodo responderet verbo *ostentare*, cum fortuna omnino eam virtutem velit ostentare, quam vult *spectari*, id est, in luce positam esse, et ab omnibus cum admiratione conspici. Et plane hoc sensu dixit Cic. in Verr. III. 9. 'In quo meam industriam ac diligentiam spectari volo.' Verum, forte satius foret, æque levi mutatione pro verbo composito *expectare*, rescribi *spectare;* idque explicari per verbum 'explorare,' 'cognoscere,' et 'probare.' Quam notionem huic verbo familiarem esse quis nescit? Sic Lucr. III. 55. ait, 'Quo magis in dubiis hominem spectare periclis Convenit, adversisque in rebus noscere, qui sit.' Similiter Ovid. Trist. I. 4. 25. canit, 'Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum; Tempore sic duro est inspicienda fides.' Atque adeo verbum *spectare*, hoc significatu positum, recte conjungitur cum verbo 'experiri,' 'cognoscere,' 'probare.' Sic apud Liv. XXXV. 49. legimus, 'Quo minus vos decipi debetis, sed expertæ toties spectatæque Romanorum fidei credere.' Ciceroni in Verr. I. 10. dicitur 'homo in rebus judicandis spectatus et cognitus;' et in Philipp. II. 28. 'quam spectatus civis, quam probatus?' Grutero etiam, verbum *spectare* hoc loco placuit, præ verbo *expectare:* sed is unice adhuc desideravit auctoritatem vetustæ scripturæ. Quæ ne prorsus deesse videatur, animadvertamus licet, ita certe in margine libri primi, quem Gudius contulerat cum codicibus Mss. annotatum deprehendi verbum simplex *spectare:* quod verbum etiam editiones quædam in notis commemoratæ expresserunt, idemque verbum *spectare* jam ascivit Arntzenius. Pro hoc autem cur vulgo compositum *expectare* hic legatur, inde facile contingere potuisse patet, quod librarius, qui vel dictitantis verba calamo excepit, vel veteres descripsit codices, ex antecedente verbo *experiri*, primam syllabam adhuc in animo habuit, cum verbum *spectare* scribendum esset. Sed et in aliorum scriptorum veterum locis quibusdam ista verba inter se aliquando permutata esse invenimus; v. g. in Petronii Sat. cap. 17. 'attoniti expectavimus (spectavimus) lacrymas ad ostentationem doloris paratas.' Plura exempla suggerit Munkerus ad Hygini Astronom. I. 6. Cur vero nihilo minus in contextu recensendo postea asciverim verbum *expectare;* ejus rei rationes in nota ad h. l. exposui, et quædam aliorum auctorum exempla produxi; quibus nunc addo illud Taciti Hist. I. 38. 'Vestra virtus expectatur.'

EXCURSUS XXXVI.

Cap. xxxi. 2. *Superbiebat ventosa et insolens natio, quod victorem quidem populum pasceret tamen; quodque in suo flumine, in suis manibus, vel abundantia nostra, vel fames esset.* Loquitur Plinius de Ægyptiis: postquam enim Octavius Augustus Ægyptum redegerat in provinciam, hujus incolæ, tributi loco, Romanis etiam frumenti copiam summittere necesse habebant. Qua de re Sext. Aurelius Victor in Epitome, cap. 1. hæc tradit: 'Regionem Ægypti, inundatione Nili accessu difficilem, inviamque paludibus, in provinciæ formam redegit Augustus. Quam ut annonæ Urbis copiosam efficeret, fossas incuria vetustatis limo clausas labore militum patefecit. Hujus tempore ex Ægypto Urbi annua ducenties centena millia frumenti (modiorum scilicet) inferebantur.' Adde Tranquillum in Vita Augusti, cap. 18. Narrat et Josephus de Bell. Jud. ii. 28. Alexandriam Romanis, præter pecuniam, quatuor mensium annonam sumministrare debuisse. Καὶ τῶν χρημάτων ἔξωθεν, Ῥώμῃ σῖτον μηνῶν τεσσάρων παρέχει. Ejusmodi frumentum tributarium, uti ex Africa, aliisque provinciis, ita et ex Ægypto navibus devehebatur Ostiam, unde adverso Tiberi in Urbem ferebatur. Hinc Tacit. Ann. xii. 43. 'At hercule,' inquit, 'olim ex Italiæ regionibus longinquas in provincias commeatus portabant: nec nunc infœcunditate laboratur; sed Africam potius et Ægyptum exercemus, navibusque et casibus vita populi Romani permissa est.' Quarum navium usus, quæ frumentum ex Ægypto Romanis subveherent, adhuc vigebat Theodosii et Honorii Augustorum temporibus. Hinc Symmach. Epist. x. 22. ad hos imperatores scripta: 'Mittetis,' inquit, 'regiam classem, quæ annonariis copiis augeat devotæ plebis alimoniam. Hanc ergo in Tiberinis ostiis, mixtus populo senatus excipiet. Venerabuntur tanquam sacras puppes, quæ felicia onera Ægyptiæ frugis invexerint.' Hinc et Claudian. de B. Gild. vs. 52. seqq. cecinit: 'Tot mihi pro meritis Lybiam Nilumque dedere, Ut dominam plebem, bellatoremque senatum, Classibus æstivis alerent, geminoque vicissim Littore diversi complerent horrea venti.' Et paulo post: 'Frugiferas certare rates, lateque videbam, Punica Niliacis concurrere carbasa velis.' Frugiferas has naves Bacchylides apud Athen. lib. ii. p. 39. νῆας πυροφόρας dixit. Πυροφόροι δὲ κατ' αἰγλήεντα νῆες ἄγουσιν ἀπ' Αἰγύπτου μέγιστον πλοῦτον. Ipse Plin. hoc cap. xxxi. 4. memorat 'navigia plena, et onusta, quæ ex Ægypto in Italiam venire solita fuerint.' Conf. Lips. Elect. i. 8. et Contarenus de Frumentaria Romanorum Largitione, cap. 10. Sigillatim autem frequens mentio apud scriptores fit navium Alexandrinarum, quæ Alexandria, primaria Ægypti urbe, devehebant frumenta, resque alias. De his Seneca Epist. lxxviii. 'Subito nobis,' inquit, 'hodie Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti solent, et nuntiare secuturæ classis adventum.' Ac Sueton. in Vita Neronis, cap. 45. 'Forte accidit, ut, in publica fame, Alexandrina navis nuntiaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse,' cum scilicet alias frumentum subvehere soleret. Quod diserte testatur Lucianus in Dialogo, cui nomen est Navigium, seu Vota, statim sub initium: Πύθομαι, οὕτως ὑπερμεγέθη ναῦν, καὶ πέρα τοῦ μέτρου ἐς τὸν Πειραιᾶ καταπεπλευκέναι, μίαν τῶν ἀπ' Αἰγύπτου εἰς Ἰταλίαν

σιταγωγῶν. *Audio, navim supra modum ingentem in Piræum appulsam esse, unam videlicet earum, quibus ex Ægypto in Italiam frumentum importari solet.* Etiam ante hos scriptores Philo Judæus adv. Flacc. pag. 750. commemorat ὁλκάδας ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας ταχυναυτούσας, καὶ ἐμπειροτάτους κυβερνήτας, *naves ex Alexandria onerarias, easque celerrimas, et gubernatores harum experientissimos;* aitque, Agrippam Herodis regis nepotem Puteolis naves Alexandrinas in portu paratas ad solvendum invenisse. Sic vero appellabantur naves Alexandrinæ, tum quia Alexandriæ exstructæ erant, tum quia frumento aliisque mercibus onustæ venerant Alexandria. Lucianus loco modo excitato meminit Αἰγυπτίου ναυπηγοῦ, *Ægyptii fabricatoris navis.* Ejus autem generis navem frumentariam etiam fuisse πλοῖον Ἀλεξανδρινὸν, *navem Alexandrinam,* qua divus Apostolus Paulus vectus est in Italiam, facile patet ex Act. Apost. xxvii. 6. et 38. Id quod pluribus demonstrasse dicitur vir quondam doctissimus Jacobus Hasæus in peculiari dissertatione de Navibus Apostolum Paulum in Italiam deferentibus; quam dissertationem laudat decus quondam Ecclesiæ nostræ, Jo. Christophorus Wolfius in Curis philologicis et criticis, tom. i. pag. 1363. Quæ cum ita sint, prorsus mihi persuasum habeo, in annotato Panegyrici Pliniani loco etiam, *navibus*, pro *manibus*, scribi legique debere. Id quod, in paucis istis emendationibus, quas Parisienses editioni suæ an. 1643. subjecere, ad calcem Panegyrici Plinii, pag. 723. dudum animadvertit Franc. Juretus; sed et Livineus in margine innuerat, forte legendum esse *navibus;* ut mirum sit, tam congruenti lectioni non jam dudum locum fuisse relictum. Alios codices Mss. in quibus interea hanc lectionem, *in navibus*, inveni, jam ad h. l. annotavi. Non adeo satis habuit causæ Gruterus, cur emendationem hanc, quam ipse agnoverat esse ingeniosam, rejiceret; propterea quod, *in manibus esse,* dicatur de eo, quod est in potestate nostra, in arbitrio nostro. Sed, neque tunc erat in potestate et arbitrio nationis Ægyptiæ, utrum vellet annonam mittere Romam, nec ne; cum isto tempore serviret ac tributaria esset imperio Romano, et nolens volens, dummodo sibi suppeteret, frumentum Romanis suppeditare necesse haberet. Quod si enim tempestiva Nili exundatione fœcundata fuerat Ægyptus; navibus plenis et onustis deferebatur annona Romam. Sin siccitas sterilitasque incidisset, navigia inde inania et vacua veniebant, ab ipsis Romanis petitura frumentum. Quod ipse Plinius in hoc capite indicat. Neque deest huic emendationi auctoritas codicis Ms. e quo Gudius in altero exemplari suo *navibus*, pro *manibus*, in margine rescripserat; cujusmodi correctionem etiam Is. Vossius in libro suo annotavit. Ne vero plane insolens videatur, vulgo in exemplaribus Panegyrici Pliniani repositum esse *manibus*, animadvertas licet, idem erratum etiam accidisse Mamertini Panegyrico Juliano Imperatori dicto. Ibi enim, et in nostro codice Ms. et in Cuspiniani impresso hæc legimus, xiv. 5. 'Cum Romani populi victus, et exercitus commeatus esset in manibus, in media expediendæ annonæ trepidatione, nuntius venit, plurimas naves, Africano tritico graves, littus Achaicum prætervectas, Constantinopolim pervolasse.' Hic vero dudum alii pro *manibus* rectius rescripsere *navibus*.

EXCURSUS XXXVII.

Cap. xxxv. 2. *Quos quidem* [nocentissimos delatores] *non in præsens tantum, sed in æternum repressisti, mille pœnarum indagine inclusos.* 'In omnibus libris constanter evulgatum est, *mille pœnarum.* Cum Observationes has primum proderem, jam tum animadverti, in altero Gudii libro pro *mille* annotatum esse *in illa;* hancque lectionem etiam indicio libri Vossiani, quamvis aliquantum obscuriore, adjuvari, cum ejus margini sit ascriptum *in illo indiginæ*, al. *indigne.* Et certe vitiose etiam scriptum est in codice Patavino, *mille pœnarum indigne inclusos.* Nunc apertius eandem lectionem proferunt codices Mss. Vaticanus, n. 3461. et Guelpherbytanus. Et certe, eo facilius fieri potuit, ut aut *mille* scriberetur pro *in illa*, aut *in illa* pro *mille*, quo frequentius in antiquis codicibus *m*, aut *ni*, pro *in*, scriptum invenitur. Quod ii ignorare non possunt, qui in excutiendis ejusmodi codicibus versantur, quique attendunt, in antiquiore scriptura Gothica et Longobardica, literæ *i* non solere punctum, vel acutum superne imponi. Videtur autem Plinius de insula certa loqui, cui includendos delatores sancierit Trajanus. Scilicet delatores sub hoc imperatore similiter, ac Sueton. c. 8. de Tito Vespasiano narrat, in foro fustibus et flagellis cæsi, deinde per mediam amphitheatri arenam traducti, ac tandem in aliquam asperrimam insulam, in quam sub tyrannis innocentes relegati fuerant, navibus avecti fuisse videntur, ut ibi haud secus, ac feræ indagine et retibus circumpositis clausæ, detinerentur, exiliique pœnam, quam aliis antea erant machinati, ipsi luerent. Damnati nimirum potissimum in parvas insulas ejiciebantur, tanquam ad pœnam gravioris exilii. Cujusmodi insulæ præ ceteris celebres fuere Gyarus, et Seriphus: quarum illa una est, Cycladibus, Carysto et Andro vicina, in qua mures ferrum peredere dicebantur; hæc ex Sporadibus. Unde has insulas angustas, et inprimis exulibus aptas, dixit Scholiastes ad Juvenalis Sat. x. 170. 'Ut Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho.' Conferas eundem Juvenal. Sat. i. 73. Sicuti vero Plinius hujusmodi insulas exulum *μεταφορικῶς* a re venatoria vocat *indaginem*, ita Flaccus, quondam præses Ægypti, apud Philonem, pag. 763. ubi primum Gyarum, vel Gyaras, omnium sterilissimam insulam, deportari jussus erat, at, deprecante Lepido, tandem pro Gyaris Andri propinquæ permutandæ facultatem nactus erat, nihilo minus et hanc insulam a vita solitaria et morti simillima vocat *τάφος, sepulcrum:* *Τὴν νησίδα ταύτην*, inquit, *τί φῶ; πότερον φυγαδευτήριον ἐμὸν, ἢ πατρίδα καινὴν, ὑπόδρομον, καὶ καταφυγὴν ἀτυχῆ;* Τάφος ἂν εἴη τὸ κυριώτατον ὄνομα. *Στέλλομαι γὰρ ὁ κακοδαίμων ἐγὼ τρόπον τινὰ νεκροφορῶν ἐμαυτὸν ὥσπερ εἰς ἠρίον. Quomodo vocabo hanc insulam? exiliumne, an novam patriam; an miserum portum et refugium? Sepulcri nomen ei proprie convenit; siquidem infelix ego me ipse quodammodo in monumentum infero.* Et paulo post idem ait: Καὶ φυγὰς ἐξ ἁπάσης ἐληλαμένος *τῆς οἰκουμένης, ἐνταυθοῖ συγκέκλεισμαι. Et exul ex toto ejectus orbe habitabili hic includo.* Rem adeo minus acu tetigere Catanæus et Lipsius, cum existimarunt, Plinium hic, per delatores *pœnarum indagine inclusos*, non significasse, eos pœnæ causa insulis angustis et sterilibus inclusos, sed variarum legum laqueis cinctos et formidine circumclusos fuisse, ne possent perrumpere;

quanquam animadvertamus, Quintilianum Declamat. 252. dixisse, 'hac lege omnem malitiam, veluti quadam indagine cinxerunt.' Dicitur autem 'indago' proprie retium cassiumque series, qua toti saltus venandi causa circumdantur. Unde Janus Dousa in Schediasmate succedaneo ad Tibullum hos versus ex antiquo poëta produxit: 'Ad colles saltusque indagine reticulata Cingendos canibusque in retia compellendis Et clamore feras.' Prope supervacuum est, de structura verbi *includere* multa monere. Ipse enim Cic. non solum dixit, in Verr. v. 45. 'Includuntur in carcerem damnati;' item, de Divin. c. 36. 'Dii vim suam terræ cavernis includunt:' sed idem etiam adjunxit casui auferendi præpositionem 'in,' v. g. Philipp. III. 12. 'Antonius armatos in cella Concordiæ, cum senatum haberet, inclusit.' Idem de Universo, c. 10. 'Quia Deus nondum omne animal in mundo incluserat.' De Senect. c. 21. 'Dum sumus in his inclusi compagibus corporis.' Florus III. 6. 'Sic per omnis æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quicquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum et oppressum est.' Ego non parum anceps hæsi, cui lectioni prærogativum deferrem.

EXCURSUS XXXVIII.

CAP. XXXVI. 1. *Quam juvat cernere ærarium silens, et quietum, et quale ante delatores erat! Nunc templum illud, nunc vere Deus: non spoliarium civium, cruentarumque prædarum sævum receptaculum; ac toto in orbe terrarum adhuc locus unus, in quo, optimo Principe, boni malis impares essent.* Ex primo membro hujus loci jam quasdam voces in notis explicavi; in posteriore membro adhuc non exigua difficultas occurrit. Putarunt enim commentatores, ibi ærarium dici adhuc locum unum in orbe terrarum, in quo, sub Trajano, boni malis impares essent. In qua sententia explicanda se mirum in modum torserunt. Lipsius ad hunc locum: 'Mirifica laudatio,' inquit, 'et arguta. In toto orbe unum hoc ærarium est, sub bono Principe, in quo boni a malis vincuntur. Quid hoc est? istud: qui boni et justi sunt, voluntque patrocinari ærario, impares sunt malis et fraudatoribus, aut etiam triconibus; quia, ut mox addit, sæpius vincitur fiscus. Sane salubris imperii signum, lienem hunc in corpore non crescere. Nisi hæc sententia loci, alius me, aliosque doceat.' Baudius, etsi primum non nihil hæsitaret de Lipsii interpretatione amplectenda, tandem tamen hæc subjicit: 'Assentiri tamen cogor Lipsio, quia nihil melius comminisci queo.' Cellarius similiter de hoc loco interpretando, vel emendando desperavit. 'Ulcus,' inquit, 'aliquod latet, nec Lipsii interpretatio, qui solus attigit, nobis sanare malum videtur.' Jacobus de la Baune existimat, Plinium hic *ærarium* sumere pro 'fisco,' adeoque voluisse significare, eos, qui fisci partes tueantur, etiam cum damno principis, contra malos et fraudatores causam sæpe amittere. Neque aliter interpretes Gallici hæc verba expressere. Ex his nominatim Sacyus ita scribit: *Il est encore un lieu sur la terre, ou sous un bon prince, ceux, qui croient défendre légitimement le fisc, trouvent moins de faveur, que ceux, qui essaient de le frauder.* Verum, Plinius diserte loquitur de ærario reipublicæ, quod erat in æde

Saturni, idque deinceps, § 3. distinguit a fisco Cæsaris: 'At fortasse,' inquit, 'non eadem severitate fiscum, qua ærarium cohibes?' Christophorus Behrius postrema verba ita corrigenda censet: *Sub optimo Principe, bonis, quam malis, judices minus exorabiles sunt.* Quibus verbis hunc sensum subjicit: *Mali per tricas obtinent dilationem solvendi tributum; non item boni.* Sed, o laudem pœnitendam, quæ hunc in modum tribueretur Trajano! Hoc est tricari, et sententiam alienam affingere oratori. Si quid judicare possumus, tota res dependet ab usu particulæ conjunctivæ *ac*, quæ hoc loco non simpliciter, et secundum propriam notionem, est interpretanda; sed, sensu pendente, cum præcedente particula negandi *non*, utique conjungenda; haud secus, ac præcedens particula *que*, in voce *cruentarumque*, adhuc dependet ab ista particula *non;* unde hæc commoda, et Plinio congruens sententia existit: *Nunc templum illud, nunc vere Deus: non spoliarium civium, cruentarumque prædarum sævum receptaculum,* (i. e. nec cruentarum prædarum sævum receptaculum,) *ac* (i. e. ac non, sensu iterum pendente; sive, neque, est) *toto in orbe terrarum adhuc locus unus, in quo, optimo principe, boni malis impares essent.* Negat Plinius, ærarium adhuc sub imperatore Trajano esse spoliarium; negat, esse receptaculum prædarum sanguine hominum innocentium cruentatum; ergo negat etiam, illud esse adhuc locum unum, in quo boni malis impares essent. Quod si in posterioribus verbis affirmare voluisset, ærarium esse sub Trajano adhuc locum, in quo boni malis impares essent; tunc non usus esset particula *ac;* sed potius *at*, vel *verum*, vel *sed.* Deinde nec dicturus fuisset, *in quo boni malis impares essent;* sed, *in quo boni malis sunt impares.* Planius utique locuturus fuisset Plinius, si pro *ac*, posuisset *nec*, vel *neque:* attamen viri eruditi jamdudum aliorum etiam bonæ notæ scriptorum exempla animadverterunt, ubi itidem particulæ, *et, que, ac, atque*, cum antecedente particula negandi *non*, vel *neque*, sensu quasi pendente, conjungantur, adeoque ratio postulet, ut, si quo in commate, vel membro, particula negandi desit, ea, beneficio structuræ verborum, ex proximo commate, vel membro conjuncto eliciatur, sicque pateat, negationem semel positam sententiæ sufficere. Observavit id nominatim Reinhartus Robigius in Codice critico, XII. 12. ubi docuit, affirmandi particulas interdum negationem implicare, et contra; v. g. ubi apud Virgil. Georg. II. 220. legimus, 'Nec scabie, et salsa lædit rubigine ferrum.' Ibi enim particula 'et' omnino conjungenda est cum præcedente particula *nec*, ut itidem vim negandi induat. Ipse cl. Arntzenius, alia occasione, nempe ad caput hujus Paneg. XXXI. 6. affert exempla quædam, ubi particula negativa ἀπὸ τοῦ κοινοῦ sit repetenda; v. g. Lucan. II. 397. 'Nullo qua vertice tellus Altius intumuit, propiusque [i. e. nec propius,] accessit Olympo.' Colum. I. 8. 13. 'Neve negotietur, pecuniamque, [i. e. neque pecuniam,] domini occupet.' Hæc, et alia, annotavit Arntzenius. Ac, ne jam aliunde exempla arcessamus, ipse Plinius sic etiam alibi in hoc Panegyrico loquitur; v. g. XLVII. 5. 'Non Capitolium, ipsaque illa adoptionis tuæ sedes, magis publica, magis omnium. Nullæ obices, nulli contumeliarum gradus, superatisque, (i. e. neque, superatis) jam mille liminibus, ultra semper aliqua dura et obstantia.' Hic particula conjunctiva *que*, participio *superatis* adjuncta, vim negandi repetit ab antecedente *nulli*, i. e. non ulli. Sic, nisi varia quædam

lectio locum eum, quem jam supra attigimus, quodam modo redderet ambiguum, etiam ex capite XXXV. 3. ista verba huc referri possent: 'Neque, ut antea, exsanguem illam et ferream frontem nequicquam convulnerandam præbeant punctis, et (i. e. neque) notas suas rideant; sed expectent paria præmio damna.' Sic etiam XLIX. 6. ubi Plinius laudat modestiam Trajani conviviis demonstratam, verba, 'ægreque perpessus,' &c. ex pendente sensu superioris negationis explicanda sunt, 'neque ægre perpessus superbam illam convictus simulationem, rursus te ad clandestinam ganeam, occultumque luxum, refers.' Ita vero loco nostro Pliniano sine ullius vocis mutatione ac correctione sententia genuina vindicari posse videtur. Sic et cohærent sequentia Plinii verba, in quibus quasi per πρόληψιν respondetur tacite objicienti, tunc fore supervacaneas leges, publicamque utilitatem imminutum iri, si non amplius vincat ærarium et fiscus. Ait enim Plinius, etsi liceat ulcisci injustos delatores; nihilominus manere honorem legum, dum omnino convicti violatores legum, fraudatoresque ærarii, pœnam legibus sancitam sint subituri. Etsi igitur interpretatio nostra hujus loci Pliniani clara, et facilis intellectu, itemque ad laudem Trajani peraccommodata videatur; ea tamen calculum virorum doctorum, Gesneri et Arntzenii, mereri nondum potuit. Arntzenium enim cum primis offendit particula *adhuc*, quominus nostræ interpretationi accedere possit. Sed nescio, quomodo ea aliquem offendere posait, sive pro 'etiam nunc,' sive pro 'ad præsens,' sive pro 'hoc tempore' sumatur. Opponitur enim hæc particula *adhuc* superioribus temporibus, ubi ante Trajanum, si quis alius locus, certe unus omnium maxime erat ærarium, in quo boni malis impares essent, et ab improbis delatoribus vincerentur. Nonne vero Plinius recte dicere potuit, *Templum illud non est adhuc locus unus, in quo boni malis impares essent;* sicut recte dicere potuisset, Ærarium non est adhuc, sicut ante te, spoliarium, &c.? Sed, ne videar defraudare velle lectorem meliore interpretatione, et Arntzenii et Gesneri explicationem his subjiciam; judicium vero de utraque cujusvis arbitrio integrum reservabo. Arntzenius vero ad hunc locum ista commentatur: 'Ego ita intelligo, per voces *boni malis impares essent*, voluisse indicare Plinium, non tantos reditus pervenisse ad bonos et legitimos accusatores, qui lege agerent, ut justitiam tuerentur, quam pervenerant ad malos, qui solis præmiis ad accusandum invitarentur. Et sic particula *adhuc* elegantissime sensui satisfacit; nam sub optimo principe ubique jam boni prævalebant, ubique bonorum civium conditio melior erat quam malorum. At, *adhuc* ærarium unus erat ille locus, in quo tanta præmia non acciperent boni sub optimo principe, quanta mali sub pessimis acceperant. Puto, eo modo me connectioni sequentis paragraphi satisfacere. Nec displicet interim id, quod Perizonio fuit visum.' Idem autem hanc Perizonii notam attulerat: 'Immo Plinius vult dicere, et optimos principes antea plus justo favisse ærario, et ita in istiusmodi causis bonos fere a delatoribus victos fuisse. Et respicit forte tempora Augusti et Vespasiani.' Denique Gesnerus ad hunc locum sequentia verba annotavit: 'Ærarium reipublicæ, in æde Saturni constitutum, nunc unus est locus in orbe terrarum, ubi optimo licet principe imperante, tamen boni defensores illius vincuntur a malis et impudentibus hominibus: quia mavult Cæsar, causa cadere ærarium, quam esse, qui de eo vel injuria que-

ratur. Sic paulo inferius, § 4. 'Sæpius vincitur fiscus, cujus mala causa nunquam est, nisi sub bono principe.'' Per me quidem cuique licet suo frui ingenio: interim fateor, in utraque ista explicatione occurrere quædam, quæ ego, fortasse culpa mea, nullo modo capere, et cum sententia Plinii satis commode conciliare possum. Interrogo autem quemvis lectorem, nullo partium studio præoccupatum, annon hæc clara, et magna, veraque laus Trajani fuerit, si Plinius dixisset, Trajanum in universo Imperio Romano salutaribus legibus institutisque obviam ivisse calumniis et injuriis improborum delatorum adversus bonos et innocentes, ita, ut ne ærarium quidem in orbe terrarum fuerit adhuc locus unicus, in quo, optimo principe, boni malis impares essent, et ab his vincerentur; cum antehac ærarii fiscique causa fere nunquam mala fuerit? Atqui Plinium hoc ipsum dixisse, si ex usu Pliniano particulam *ac*, propter antecedentem negationem, pro *neque* assumamus, jam satis demonstravi. E contrario, quam obscura et ambigua laus foret, si Plinius ex Arntzenii sententia dixisset, ærarium adhuc unum illum esse locum, in quo tanta præmia non acciperent boni sub optimo principe, quanta mali sub pessimis acceperant? Annon enim sub hoc principe virtutibus et benefactis eadem præmia erant, quæ in libertate? XLIV. 6. Annon idem bonorum præmiis bonos fecit? LXX. 2. Immo vero boni ex litibus ad ærarium pertinentibus nulla alia præmia expectare poterant, aut debebant, quam ne in causa sua justa vincerentur opprimerenturque a delatoribus. Quam incongruens porro laus Trajani fuisset, si Plinius ex sententia Gesneri dixisset, ærarium nunc unum esse locum in orbe terrarum, ubi, optimo licet principe imperante, tamen boni defensores illius vincantur a malis et impudentibus hominibus! Certe quam justus bonusque fuit Trajanus, cum pateretur vinci fiscum, si ejus causa mala esset, qualem causam nullus bonus defendendam suscepturus fuisset; tam injustus imprudensque fuisset, si sciens volensque permisisset, ut mali et impudentes homines ærarium fiscumque, h. e. bonum publicum, impune defraudarint, bonosque ejus defensores vicerint, oppresserintque. Vides ergo quam contortæ laudes ex contorta verborum Plinianorum interpretatione existant. Luculentius sententiam meam proponere et explicare nescio.

EXCURSUS XXXIX.

CAP. XXXVI. 4. *Nam tribunal quoque excogitatum cruciatu est par ceteris, nisi illud litigatoris amplitudine metiaris.* Vere dixit Cellarius in hoc loco vocem *cruciatu* crucem figere criticis. In codicibus Mss. Vaticanis, Parisiensi, Veneto, Salisburgensi, Guelpherbytano, Patavino, et meo, exaratum est *cruciatum*, sine ullo sensu. Vossii, itemque primus Gudii liber exhibet *cruciatui*, et in impressis, Puteolanus, Rhenanus, ac Philomusus. At Beroaldus, Catanæus, Aldus, Junta, Cuspinianus, Stephanus, ac reliqui recentiores evulgarunt *cruciatu*, interpretatique sunt, 'vexatione,' 'molestia,' 'severitate.' Livineius, ex literis transpositis, effingere conatus est, *cur. si autem?* satis frigide. Hermannus Rayanus retulit, quosdam putasse, non male legendum esse *judicatu*. At credo, otiose sic legi. Cl. Arntzenius retinet hanc lec-

tionem *cruciatui*, eamque quasi suspenso pede ita tentat exponere: 'Tribunal illud, in quo sub superioribus imperatoribus fiscales causæ agebantur, excogitatum cruciatui, id est, inventum ad vexandos et lacerandos miseros reos, ideo, quod calumniis delatorum patebat, sub optimo principe nunc par est ceteris,' &c. De qua expositione ait cl. Gesnerus in Epistola de sua Plinii editione, 'Non voluit profecto intelligi a posteris Plinius, si hoc illis verbis dicere voluit.' Et ego manifestum esse puto, Plinium non loqui de tribunali olim instituto, sed recens in beneficium commodumque bonorum excogitato. Lipsius, quo nemo melius de Panegyrico Plinii meritus est, primum existimarat, pro voce *cruciatui*, reponendum esse *cura tua;* quam correctionem cum postea ipse sprevisset, felicius restituit *principatui*. Hanc enim utique veram et genuinam lectionem esse censemus, ita, ut miremur, ei non dudum locum postliminii jure datum esse, cum eam et sententiæ necessitas exigat, et suppeditet nexus verborum sequentium. Id enim voluit dicere Plinius: cum alii quidam imperatores ex omni parte antehac voluerint esse exleges, maxime in locupletando fisco, nunc Trajanum instituisse tribunal, in quo ipse Cæsar conveniri, et certe Cæsaris procuratores in causis fisci sine ullo periculo accusari possent. *Excogitatum* enim esse *tribunal principatui, par ceteris: nisi illud litigatoris amplitudine metiaris*, i. e. institutum jam esse judicium, in quo fisci principalis causæ per judices non subornatos, sed sorte datos, possint ac debeant disceptari, æque ac in aliis judiciis privatorum causæ disceptentur; quo modo similiter Ammianus Marcell. lib. xxv. Julianum laudavit, quod sub eo 'æquata fisci jurgia cum privatis.' Par itaque et æquale esse hoc tribunal ceteris tribunalibus, quæ pro causis privatis sint instituta; nisi illud litigatoris, hoc est, principis causam fisci sui ibi dijudicari permittentis, amplitudine ac majestate æstimes, consideresque, ibidem eos proprie litigare, qui Cæsaris personam repræsentent: quo solo nomine hoc tribunal differre videatur a ceteris judiciis, in quibus meræ privatorum causæ agantur. Illud igitur, quod orator dicit de *litigatoris amplitudine*, indicat, præcedere debuisse mentionem 'principis,' vel 'principatus.' Neque insolens est 'principatum' pro 'principe,' aut 'principali causa,' vel 'Cæsareo jure' dici; cum mox et ipse Plinius dicat, 'Eodem foro utuntur principatus et libertas,' h. e. principis pariter, et liberi populi causæ nunc legibus ac judiciis subjiciuntur. Neque denique obscurum est, facile fieri potuisse, ut ex obsolescentibus maleque pictis literis vocabuli *principatui*, aut ex minus accurata pronuntiatione hujus nominis, aut ex quacumque librarii oscitantia, nunc scriptum extet *cruciatui*.

EXCURSUS XL.

Cap. xxxvi. 5. *Liberum est autem disceptanti dicere, Nolo eum eligere.* Priorum verborum, *liberum est autem disceptanti dicere*, exhibeo eam lectionem, quam evulgarunt Catanæus in ed. Mediol. an. 1506. Aldus, Cuspinianus, Junta, R. et H. Stephani, Gryphius, Ascensius, Sichardus, Navius, Livineius, Lipsius, Elzevir, Gruterus, Bernegger, Puteanus, Boxhornius, Grævius, de la Baune, aliique recentiores. In codicibus Mss. item in editionibus Puteolani, Bero-

aldi, Philomusi, et Rhenani, omissis istis duobus vocabulis, *disceptanti dicere*, legimus, *Liberum autem est discriminis;* quamquam Rhenanus et Philomusus voces illas omissas, *disceptanti dicere*, annotarint in margine. Ego vero puto, has ipsas posteriores voces omnino requiri ad sententiam complendam. Etsi igitur vocabulum *discriminis*, quod in tot libris antiquis extat, etiam simul admitti queat, quemadmodum cl. Arntzenius nunc edidit: *Liberum est autem discriminis disceptanti dicere, volo eum eligere*, cum *liberum discriminis*, idem sit, quod alias dici solet, 'liberum a discrimine,' 'a periculo;' prout Horatio Epist. ad Pison. vs. 212. dicitur, 'rusticus liber laborum;' Lucano IV. 384. 'curarum liber,' &c. lubenter tamen illud *discriminis* dimitto; quia id forte ex primis literis subsequentis vocabuli *disceptanti* natum, hic abundat, atque adjectivum *liberum*, sine adjectione illius nominis recte consistere potest: quemadmodum, e. g. Plinius, in Paneg. XXIV. 3. dixit, 'Liberum est, ingrediente per publicum principe subsistere, occurrere,' &c. et XLVI. 6. 'Liberum est queri.' Sed sunt adhuc duo in his verbis consideranda: Primum, quis hic 'disceptans' dicatur, utrum litigator, an judex; alterum, utrum rectius *nolo*, an *volo* retineatur. Quod ad primum attinet, præsto sunt exempla utriusque notionis. 'Litigantem,' et sigillatim accusatum dici 'disceptare,' patet e Cic. pro Balbo, c. 28. 'Miseremini ejus,' inquit, 'qui non de suo peccato, non de aliquo crimine, sed periculo suo, de publico jure disceptat.' Suetonius etiam utrosque litigantes vocat 'disceptantes' in Aug. c. 93. 'Solus audiit disceptantes.' Nec raro autem judex quoque, et præpositus quæstioni, ac ipse prætor, 'disceptare' dicitur. Cic. pro Mil. c. 9. 'Et electi judices,' inquit, 'isque præpositus quæstioni, qui hæc juste sapienterque disceptet.' Idem Cic. Partit. Orator. c. 13. 'Disceptator, id est, rei sententiæque moderator, ita, ut statuat aliquid, aut de præteritis, ut judex, aut de futuris, ut senatus.' Idem pro Deiot. c. 2. 'Hanc enim, C. Cæsar, causam si in foro dicerem, eodem audiente, et disceptante te, quantam mihi alacritatem populi Romani concursus afferret!' Idem de Leg. III. 3. 'Juris disceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, prætor esto.' Ipse etiam populus, ad quem in republ. libera provocabatur, dictus est 'disceptator.' Cic. de Leg. Agrar. cont. Rull. c. 7. 'Lacesso vos, in concionem voco; populo Romano disceptatore uti volo.' Sæpe etiam 'disceptator' et 'disceptare' de arbitro dicitur. Ipse Plinius Epist. VII. 15. 'Et reipublicæ suæ negotia curare, et disceptare inter amicos, laude dignissimum est.' Quod si ergo putes, 'disceptantem' in hoc loco Panegyrici dici de 'litigante,' sic interpungenda foret oratio: *Liberum est disceptanti*, (i. e. parti litiganti,) *dicere*. Sed tunc non video, quomodo cohæreant sequentia, *nolo eum eligere*. Neque enim Plinius sine vitio ταυτολογίας denuo agere posset de rejectione judicum, de qua paulo ante dixerat, 'Hunc nolo. . . . illum volo.' Neque existimare licet, supra quidem Plinium de rejectione judicum per sortem datorum locutum esse, nunc autem de judicibus edititiis loqui. Haud enim credibile est, nec exemplis comprobatur, in una eademque causa non solum judicibus sorte datis, sed etiam edititiis, et libere sumtis uti licuisse. Quamobrem mihi in mentem venit, per *disceptantem*, potius hic designari ipsum prætorem fisci, qui, quamvis ex singulari beneficio et gratia constitutus esset ab Imperatore; si qui tamen forte nihilo minus ab eo diffiderent,

videtur potuisse præteriri, aut ab eo ad aliud judicium, aliumque judicem causa deferri. Tunc vero sic interpungenda et exponenda forent verba Plinii, *Liberum est, disceptanti dicere*, i. e. ad disceptantem, et prætorem fisci, dicere, *volo eum eligere*, quod ἐπιδεικτικῶς et quasi cum demonstratione dictum est: *volo eum*, i. e. hunc, vel illum, disceptatorem et summum causæ moderatorem *eligere*. Sic nulla amplius, de qua dixi, ταυτολογία occurrit; sic sequentia verba planius cohærent, ubi Trajanus dicitur nullam necessitatem muneribus et beneficiis suis addere; cum etiam prætore fisci non uti liceat. Immo, sic magis elucescit magnitudo beneficii Trajani. Etenim cum superiores quidem imperatores liberam causarum fiscalium cognitionem procuratoribus suis concessissent, eosque sibi et legibus ita æquassent, ut nec ab iisdem potuerit provocari, sive appellari; id quod potissimum ex Tacito Annal. XII. 60. intelligimus: Trajanus ad evitandam hujusmodi licentiæ abusionem, non solum eos procuratores constituit, ut plerumque cives non alios judices maluerint; sed etiam peculiarem constituit prætorem fisci, qui causas fiscales juste disceptaret: immo etiam hoc beneficium suum vel eo nomine, contra morem superiorum imperatorum, auxit, quod partibus coram hoc tribunali litigantibus etiam facultatem dedit eligendi alium summum causæ judicem. Certe verbum *eligere* non facile de judicibus, aut sorte datis, aut edititiis dici solet. Quamvis enim cl. Gesnerus afferat locum Servii ad Virgil. Ecl. III. 50. 'Edititius judex est, quem una pars eligit;' ea tamen ipsa verba ibi haud leguntur, sed hæc, 'consentio ad eum judicem, quem tu eligis.' Ubi vero 'judex' pro 'arbitro' dici videtur. Arbitri enim maxime dicebantur 'eligi;' v. g. Ulpianus π. l. III. de receptis, qui arbitrium receperunt: 'Tametsi neminem prætor cogat arbitrium recipere; ... attamen non debent decipi, qui eum, quasi virum bonum, disceptatorem inter se elegerunt.' Dicitur præterea 'eligi' et is judex, quem quisque summum causæ suæ judicem facit, et a quo non amplius provocari potest. Id cognoscimus ex Plinio Majore, qui in Præfatione Historiæ Naturalis 'electionem' diserte distinguit a 'sortitione.' 'Plurimum interest,' inquit, 'sortiatur aliquis judicem, an eligat.' Istam vero electionem judicis sic deinde interpretatur: 'Summum quisque causæ suæ judicem fecit, quemcumque elegit.' Ad hujusmodi igitur judicis electionem omnino quadrat, ut in proposito Plinii loco potius legamus, *volo eum eligere*, quam *nolo*, aut *noli eum eligere*. Verbum *volo* invenitur in codicibus Mss. Vaticanis, Parisiensi, Veneto, Salisburgensi, Guelpherb. et meo, item in editione Cuspiniani. Ceteri libri habent *nolo*. Editio Puteana et Bauniana proferunt *noli*.

EXCURSUS XLI.

CAP. XXXVII. 1. *His vicesima reperta est, tributum tolerabile, et facile hæredibus, duntaxat extraneis, domesticis grave.* Ait Plinius, oneribus imperii sustinendis, uti alia vectigalia instituta, ita et vicesimam repertam esse, genus tributi, quod non tam extraneis, et ad familiam non pertinentibus, quam domesticis et necessariis hæredibus, qui vivo patre jam condomini, ut ita loquar,

rerum paternarum fuerint, neque quicquam, eo mortuo, acquisiverint de novo, grave et molestum esse soleat. Etsi vero non parum emolumenti jam obvenerat populo Romano ex vectigalibus agrorum, pascuorum, portuum, aliarumque rerum; cum tamen id non sufficeret sumtibus, quibus respublica erat obnoxia; hinc nova identidem vectigalium tributorumque genera a proceribus principibusque sunt excogitata; in quibus vicesima manumissionum, et vicesima hæreditatum maxime celebrabantur. Quod ad vicesimam manumissionum attinet, ejus origo refertur ad Cn. Manlium consulem, qui anno U. C. 396. memorante Livio VII. 16. legem tulit de vicesima eorum qui manumitterentur, unde haud parvum vectigal inopi ærario fuit illatum. Quod vectigal pro libertate impetrata, cum antiquis temporibus auro solvi solitum fuerit, inde audiit 'aurum vicesimarum,' quod in Saturni ærario ad reipublicæ necessitatem servabatur, teste Livio XXVII. 10. Plinius autem hic loquitur de vicesima hæreditatum, cujus rationes, præter ceteros, exposuit vir celeberrimus, Petrus Burmannus in Dissert. de Vectigalibus Populi Rom. cap. 11. Scilicet, cum Augustus, teste Dione l. LV. pag. 566. ærarium militare ad stipendia militibus solvenda conderet, A. U. C. 759. lata lege Julia, instituit, ut ex hæreditatibus, et legatis, sive donationibus, quas morientes quibusdam reliquerant, vicesima pars, h. e. ex centenis nummis quinque, in istud ærarium referrentur. Quod novum onus ne intolerabile subjectis et injustum videretur, duabus exceptionibus adjectis, hæreditates cum proxime agnatorum, tum hominum pauperum, ab hoc vectigali immunes esse voluit Augustus: id quod Dion loco modo excitato commemorat: *Τὴν εἰκοστὴν τῶν τε κλήρων, καὶ τῶν δωρεῶν, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντές τισι, πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν, ἢ καὶ πενήτων καταλείπωσι, κατεστήσατο.* *Vicesimam et in hæreditatibus, et in donationibus, quas morientes quibusdam, exceptis plane conjunctis sanguine, et pauperibus relinquebant, constituit.* Per *πάνυ συγγενεῖς*, sive *proxime agnatos*, designavit eos qui ab intestato ad hæreditatem pervenire potuerunt; quos Plinius 'domesticos hæredes,' alii 'necessarios' et 'suos hæredes' appellant. Burmannus: 'Procul dubio,' inquit, 'per hos *πάνυ συγγενεῖς* Augustus intellexit omnes illos, qui ab intestato ad hæreditatem pervenire possent: qui autem ex lege XII. tabularum ab intestato succedebant, erant vel sui, vel his deficientibus, consanguinei, i. e. fratres et sorores eodem patre prognati, et fratres patrueles, seu consobrini; et denique, si agnati hi deessent, ad gentiles devolvebatur hæreditas.' Hæc adeo vocabatur mansuetudo et justitia legis, ut consanguineis et agnatis, itemque gentilibus, ad quos cum pecunia etiam familiæ sacra transibant, adhæc hæredibus admodum pauperibus, illibata et immunis a vicesima concederetur hæreditas. Attamen hac immunitate tunc tantum veteres cives Romani fruebantur; cum e contrario cives ex peregrinis noviter facti, iique vel Latii jure, vel principis beneficio civitatem adepti, etiamsi defuncto fuissent conjunctissimi, haud secus tamen ac extranei hæredes vicesimam solvere necesse habuerint; nisi si qui cum civitate simul cognationis jura impetrassent. Quodsi enim peregrinus, vel Latinæ conditionis homo, civitatem Romanam adipisceretur, exiit ex familia sua, quæ in peregrinitate, vel jure Latii permanebat, et plane parentibus atque agnatis extraneus habitus est; unde neque hæreditatem illorum cernere poterat, neque potestati patriæ erat subjectus, sive filius, sive pater

jus civitatis consecutus fuisset. Hæc fuit ratio legis Juliæ ab Augusto latæ. Cui legi majora quædam beneficia deinceps addidit Nerva imperator: quippe qui sanxerat in civium novorum commodum, ut, quod ex matris ad liberos, et ex liberorum bonis pervenisset ad matrem, etiamsi cognationum jura non recepissent, cum civitatem adipiscerentur, ejus vicesimam non darent. Qua constitutione dabatur filiis peregrinis jus succedendi matri, et matri peregrinæ filiis, et hoc modo æquabantur veteribus civibus, nec repellebantur ab hæreditatibus, hac exceptione, quasi jura cognationis non impetrassent. Præterea idem constituerat, ut eadem immunitate in paternis bonis filius gauderet, si modo esset in patris potestate: cum alias, legibus Romanis, filius adhuc peregrinus, aut Latinus, patri aut matri, civibus Romanis, non posset ex testamento, vel ab intestato, civilique aut honorario jure succedere, nisi et ipse prius civitatem impetrasset; aut si impetrasset, nec simul seorsum petiisset, ut in parentum potestatem redigeretur, perinde ac ceteri extranei hæredes vicesimam hæreditatis fisco pendere deberet. Tandem vero post Nervam Trajanus istam immunitatem multo liberalius munificentiusque amplificavit, et illas exceptiones a Nerva adhuc relictas sustulit, ita ut vicesimæ immunitas ex ordine successionis naturalis omnibus æqualis esset, utque soli extranei hæredes, qui aliena potiebantur hæreditate, istud onus vicesimæ sentirent; immo et hi ipsi tunc immunes essent, si quando parvam et modicam tantum pecuniam ex alicujus hæreditate cepissent. Cujus vero modicæ hæreditatis quæ summa esse debuerit, ut libera esset ab onere vicesimæ, hodie nescimus. Præterea remisit idem Trajanus præstationem vicesimæ etiam iis, qui usque in diem novi edicti ex iis capitibus, quæ ipse correxerat, debuissent vicesimam. Quæ omnia Plinius latius persecutus est, cap. 38. 39. et 40. Quid deinceps, post fata Trajani, de vicesima hæreditatum constitutum fuerit, nihil attinet hoc loco repetere.

EXCURSUS XLII.

Cap. xxxvii. 2. *Quæque nunquam ut aliena et speranda, sed ut sua, semperque possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda, cepissent.* In his verbis ait Plinius, homines sanguine conjunctos defunctorum bona non capere, ut aliena et speranda, prout extranei hæredes saltem sperare possint aliena; sed ut jam sua, semperque possessa. Unde illustrari possunt ea quæ celeberrimus jurisconsultus Cornelius van Bynkershoek, Observat. Jur. Rom. ii. 1. de origine successionis in casu intestati contra vulgarem sententiam disputavit. Nempe, ut ostenderet cur apud omnes gentes liberi familiaque proximi defunctis succedant, causam repetiit ex conditione et *συνδεσποτείᾳ* ejusmodi consanguineorum. Liberos enim aut fuisse *συνδεσπότας* bonorum paternorum, et jure succedere ex proximo, quod habebant, dominio et possessione, nunc plene nactos, quod ante contemplatione juris habuerant; ut autem liberos proxime, sic post liberos alios, dummodo ejusdem familiæ, possidere, et, ut quique sunt in proxima possessione, hæredes esse intelligi: adeoque liberos post mortem patris statim et vi sua accipere dominium et

possessionem eorum, quæ quidem et ante habuerant, sed vivo patre non libera; ideoque neque ullo facto parentibus succedere, at jure suo, quasi et olim dominos, ut docet l. 11. ff. de Liber. et post hær. instit. et l. 7. ff. de Bon. damnat.

EXCURSUS XLIII.

Cap. xxxvii. 7. *Eandem immunitatem in paternis bonis filio tribuit, si modo reductus esset in patris potestatem.* In his verbis Faber Saniorianus legendum censuit *redactus esset.* Idem statuit Cujac. Observat. x. 23. quem locum ex indicio Bongarsii jam annotavit Gruterus. Ille vero Cujacius, 'Et ii filii,' inquit, 'qui in potestate patria semper fuerunt, redacti dicuntur in patris potestatem Plinii Panegyrico, dum Nervam refert immunitatem vicesimæ filio dedisse sub hac exceptione, *si modo redactus esset in patris potestatem. Redactus,* non, ut vulgo, *reductus:* quam paulo post exceptionem his explicat verbis: 'si modo filius in patris potestate fuisset.'' Sed huic emendationi nullus neque codex Ms. neque liber impressus adhuc favet; neque ea necessaria est. Eadem enim ratione is 'reduci,' aut 'recidere in patriam potestatem' dici potest, qui in eandem dicitur 'redigi.' Neque vero Plinius hic loquitur de iis qui semper fuere in potestate patris; sed de iis qui quocumque modo extra eandem fuerant; ac potissimum respicit liberos novorum civium, qui ex jure Quiritium non erant in potestate patria, neque jus hæreditatis habebant, nisi et ipsi civitatem Romanam, et præterea jus cognationis impetrassent. Erant quidem in potestate patria liberi qui nascebantur post datam parentibus civitatem; ante geniti non erant, nisi a principe id jus ac privilegium consecuti essent. Id quod viri eruditi jam ad Plinii Epist. x. 6. recte observarunt. Sed si quis quærat quomodo filius Latinæ vel peregrinæ conditionis dici potuerit *reductus in potestatem patris,* si vel maxime demum hoc jus impetraverit; cum nunquam antea jure Quiritium in ea potestate fuisset, adeoque etiam tum, cum consecutus esset hoc jus, non *reductus,* sed tantum 'ductus,' aut 'deductus,' videretur dicendus; respondeo, non esse cur putemus illum duntaxat dici 'redigi,' aut 'reduci in potestatem patris,' qui ea solutus, rursus in eandem restituatur; quia et is, qui primum venit in potestatem patris, in eam 'reduci' dici potest. Particula enim 're' in compositis non semper designat reiterandi actum, aut aliquid addit ad simplex; uti in verbis 'resciscere,' 'revereri,' 'recipere,' v. g. et is dicitur 'recipi in civitatem,' 'in fidem,' 'in ditionem,' aut 'familiaritatem,' qui in ea antehac nunquam fuit. Quæ cum ita sint, nec opus erit conjectura Livineii, qui in margine editionis suæ annotavit: 'Forte legendum, *si modo relictus esset in patris potestate.*'

EXCURSUS XLIV.

Cap. xliii. 1. *In eodem genere ponendum est, quod testamenta nostra secura sunt, nec unus omnium, nunquam scriptus, hæres es.* Hæc posteriora verba Puteolanus, Beroaldus, Catanæus in Veneto et Genevensibus exemplaribus,

Aldus, Junta, Rhenanus, Gryphius, Henricus Stephanus, Livineius, Sichardus, Gruterus, Parisienses, Hackius ita ediderunt, *nec unus omnium nunc, quia scriptus, hæres.* Leviter neque adhuc satis apte ista immutarat Boxhornius, *nec unus omnium, nec, quia scriptus, hæres es.* Lipsius, cui vulgaris lectio merito obscura, nec sana videbatur, primus eam inflexit, *nec unus omnium, nunquam scriptus, hæres.* Cui applaudebat Gruterus; ejusque emendationem postea recepit, excudendamque curavit Cellarius, item Patarol. Satis acute, sed nondum satis vere et plene correxerat hunc locum Lipsius. Quis enim credat, Neronem, Domitianum, immo et ipsum Trajanum nunquam scriptum esse hæredem? de hoc enim mox ipse Orator noster: 'nec,' inquit, 'quia offendit alius, nuncuparis; sed quia ipse meruisti. Scriberis ab amicis; ab ignotis præteriris.' Veriorem ergo plenioremque legendi rationem prodit codex noster, cui nunc et alii accedunt codices Mss. quos in notis annotavi: *In eodem genere ponendum est, quod testamenta nostra secura sunt; nec unus omnium, nunc quia scriptus, nunc quia non scriptus, hæres.* Pungunutur rursus antecedentes quidam imperatores, qui locupletium hæreditatem non raro sibi vindicabant, modo scilicet quodam juris prætextu usi, quando quacumque de causa instituti erant hæredes; modo testamenta violenter, aut tanquam inofficiosa et ingrata evertentes, quando prorsus erant præteriti. Exemplo est Caligula, de quo Dio Cassius lib. LIX. p. 651. Πάσας ἁπλῶς τὰς τῶν ἐν τοῖς ἑκατοντάρχοις ἐστρατευμένων οὐσίας, ὅσοι μετὰ τὰ ἐπινίκια, ἃ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἔπεμψεν, ἄλλῳ τινι αὐτὰς καὶ μὴ τῷ αὐτοκράτορι κατελελοίπεσαν, αὐτὸς ἑαυτῷ καὶ ἄνευ ψηφίσματος εἰσέπραξε. *Omnia ea bona, quæ centuriones a patris sui triumpho alii, quam imperatori, legassent, etiam nullo facto decreto, sibimet ipsi vindicavit.* Paria commemorat Tranquillus in Calig. cap. 38. 'Testamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii, neque illum, neque se, hæredem reliquissent, ut ingrata rescidit: item ceterorum, ut irrita et vana, quoscumque quis diceret hærede Cæsare mori destinasse. Quo metu injecto, cum jam et ab ignotis inter familiares, et a parentibus inter liberos, palam hæres nuncuparetur, derisores vocabat, quod post nuncupationem vivere perseverarent, et multis venenatas matteas misit.' Sic et Nero, teste eodem Tranquillo cap. 32. instituerat, 'ut ingratorum in principem testamenta ad fiscum pertinerent.' Nec aliter rem gerebat Domitianus, de quo idem scriptor cap. 12. 'Confiscabantur alienissimæ hæreditates, vel existente uno, qui diceret, audisse se ex defuncto, cum viveret, hæredem sibi Cæsarem esse.' Vides quam apte historia congruat ad lectionem codicis nostri! Mirum vero est, cum jam Cuspinianus hanc lectionem agnoverit expresseritque, eam a nullo alio editore, quantum nos quidem scimus, observatam receptamque fuisse. Adeo nullius facile tanta est industria, quæ non aliis relinquat spicilegium.

EXCURSUS XLV.

Cap. XLIX. 8. *Neque enim, aut peregrinæ superstitionis mysteria, aut obscœna petulantia, mensis principis oberrat.* Hanc lectionem publicarunt omnes editores Panegyrici Pliniani, præter recentissimum Arntzenium. Hic enim pro voce *mysteria* substituit *ministeria;* quam observarat in excerptis codicis

Guelpherbytani. Quid? quod non hic solus codex, sed et plurimi alii, quos consului, produnt eandem vocem *ministeria*. Solus tantummodo Salisburgensis et Patavinus habent *misteria;* pro quo in Salisburgensi alia manus antiqua apposuit *mysteria*. Laudatus Arntzenius operose conatus est *ministeria* vindicare Plinio: 'Quid, quæso,' inquit, 'ad principis mensam faciunt *mysteria*, quæ sacra sua horribili secreto tegebant, non vero omnium oculis exponebant? Aut quis talia unquam ad principis convivium adhibita commemoravit? Blanditur valde, et unice, ni fallor, vera est scriptura Guelf. *peregrinæ superstitionis ministeria;* ut per eos servos Ægyptiacos et delicias domini intelligamus.' Verum, nondum induci possum, ut lectionem constantissime vulgatam et eximiam, nullaque emendatione indigentem deseram. Vocabulum *ministeria* pro ipsis 'ministris' accipi posse, uti 'servitia' pro 'servis,' omnino res tritissima est, et otiosi ingenii opera foret, ejus rei multa cumulare velle testimonia. Neque ignoro, delicatiores Romanos consuevisse pueros Alexandrinos et Niliacos ex Ægypto, superstitiosissima natione, sibi parare; at nego hos servos ad mensam ministrantes *peregrinæ superstitionis ministeria* recte dici posse; cum per ministros peregrinæ superstitionis designentur, non ii qui mensæ, sed qui peregrinæ superstitioni ministrant, h. e. ut Suetonius loquitur in Domitiano cap. 1. 'sacrificuli vanæ superstitionis.' Atque adeo, sive Artnzenius legat *ministeria*, sive *mysteria*, una eademque manet sententia Plinii; nisi quod significantius subliminsque dicatur *mysteria et obscœna petulantia*, quam *peregrina et obscœna ministeria*, sive ministri, *mensis principis oberrant*. Per *peregrinæ superstitionis mysteria* designantur sacrificuli et eorum superstitiosi asseclæ, ista peregrina mysteria stipis petendæ causa circumferentes, et somnia sua vaticinationesque venditantes. Si Plinius noluisset, nisi peregrinos et Ægyptiacos servos a patria designare; simpliciter dicturus fuisset, peregrina, aut Ægyptiaca, et obscœna ministeria, neque opus fuisset voce *superstitionis*. Quid? quod pueri illi Alexandrini, similesque, jam sub obscœna petulantia mensæ principis oberrante comprehenduntur. Nescio vero, cur Arntzenio incredibile et omnem fidem excedere videatur, si Plinius dixerit, perversos quosdam principes, qui tamen petulantissimos et obscœnissimos homines inter cœnandum admisisse, et alia absurda atque facinorosa quæque designasse dicuntur, aliquando etiam sacrificulos, mysteria sua in publicis vicis circumferentes, horumque asseclas varia ludicra agitantes, in triclinia sua, ubi cœnabant, vel superstitionis, vel animi causa admisisse; cum inprimis ex Suetonio in Othone cap. 12. intelligamus, 'Othonem imperatorem sacra Isidis sæpe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse;' et in Domitiano cap. 1. Domitianum 'in bello Vitelliano, apud æditunm clam pernoctasse, ac mane Isiaci celatum habitu, interque sacrificulos vanæ superstitionis latuisse:' ut adeo hi principes ab istis sacris choris etiam inter cœnandum non nimis abhorrere potuerint. Placet igitur mihi Lipsii expositio: 'Malim,' inquit, 'accipere Isiacos, Bellonarios, [qui Bellonam colerent,] Gallos Matris Deum, qui cum cœtu ac choro domos et convivia solebant irrumpere.' Certe apud Juvenal. Sat. VI. 511. hæc legimus: 'Ecce, furentis Bellonæ Matrisque Deum chorus,' (i. e. sacerdotes Galli et Bellonarii,) 'intrat, et ingens Semivir, obscœno facies reverenda minori, ... cui rauca cohors, cui

tympana cedunt,' &c. Et apud Apuleium Met. VIII. pag. 213. 'Erat quidam juvenis satis corpulentus, ceraula doctissimus, collatitia stipe de mensa paratus, qui circumgestantibus Deam cornu canens adambulabat.' Et sub initium lib. IX. 'Triclinio, in quo dominus ædium sacrificales epulas cum sacerdotibus Deæ (Syriæ) cœnitabat, me incontanter immitto,' &c.

EXCURSUS XLVI.

CAP. L. 4. *Muta quidem illa et anima carentia; sentire tamen et lætari videntur, quod niteant, quod frequententur, quod aliquando cœperint esse domini, non servientis.* Sic Catanæus, Cuspinianus, Ascensius, Henr. Stephanus, Gruterus, Puteanus, Boxhornius, Kirchmaierus, Cellarius, Baunius, Th. Hearne, et Patarol hæc verba legerunt, publiceque ediderunt. Quam adeo lectionem etsi neque nos contemnimus, dissimulare tamen non possumus, in aliis libris aliter legi. Puteolanus, Beroaldus, Aldus, Junta, Philomusus, Rhenanus, Cratander, Sichardus, Navius, Plantinus, Ceva, pro his verbis, *domini, non servientis,* exhibent *donum scientis;* quorum tamen non nulli illam priorem lectionem simul in margine librorum suorum annotarunt. Lipsius ex conjectura censuit scribendum *domini fruentis;* neque tamen huic emendationi ipse locum dedit in contextu. Eam vero postea, Lipsii ingenium secutus, recepit Berneggerus, sive Frischmannus, utrique enim tribuitur editio Argentoratensis an. 1635. In Hackii editione Lugdunensi Batavorum proditur *domini scientis.* Quam lectionem magno studio comprobat J. F. Gronovius Obss. IV. 16. pag. 256. cujus verba hic repetere haud pigramur: 'Hæc scriptura,' inquit, 'veterum librorum est, quam viri docti sine causa correctionibus vexarunt: *Non servientis, fruentis, donum scientis,* fabulæ. Qui nimis multa possidet, majorem plerumque partem suarum ipse possessionum ignorat, aut male novit, et procuratorum de illis fidei credit. Gallus Vibius apud M. Senecam, Controvers. IX. 'Non me delectant ignoti domino servorum greges.' L. Seneca de Vita Beata cap. 17. 'Adjice, si vis, cur trans mare possides? cur plura quam nosti? turpiter, aut tam negligens es, ut non noveris pauculos servos; aut tam luxuriosus, ut plures habeas, quam quorum notitiæ memoria sufficiat.' Horat. Epist. I. ad Numicium: 'Exilis domus est, ubi non et multa supersunt, Et dominum fallunt.' Et alludens Plutarchus in Lucullo: *Εἰς δὲ καὶ Φλάκκος ὁ ποιητὴς ἐπιπεφώνηκεν, ὡς οὐ νομίζει πλοῦτον, οὗ μὴ τὰ παρορώμενα, καὶ λανθάνοντα πλείονα τῶν φαινομένων ἐστί.* Hieronymus in Vita D. Pauli: 'Libet in fine opusculi interrogare, qui sua patrimonia ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, qui uni filo insuunt pretia.' Zeno Veronensis sermone secundo de avaritia: 'Insuper de inopia quereris, qui, quod habes, nescis.' Sic ergo, cum omne magnificum ædificium, politiorem villam, occuparet tyrannus princeps, non ut ipse frueretur, sed ne quis alius, et servo ea habitatore terebantur, et erant domini non scientis. Nunc, postquam privatis habere singula licet ac colere, cœperunt esse domini scientis, et per hoc curam eorum gerentis. Hanc enim *ἐνέργειαν* habet *τὸ scientis.* Unde et simpliciter, nosse, vel non nosse, est interdum

curare, vel non curare, rem rationemve cum aliquo habere, vel non habere. Plautus Most. v. 1. 'Nostrum ego hunc vicinum opinor esse hominem audacem et malum. Tr. Qui dum? Th. Qui negat novisse vos.' Sic in Milite: 'Numquid aliud me vis? Pe. Ne me noveris.' Sermo et in sacris libris non ignotus.' Hactenus Gronovius. Occurrunt itaque quatuor variantes hujus loci lectiones: *domini, non servientis; domini fruentis; domini scientis; donum scientis.* Prima, in pluribus libris impressis, hodie est obvia, eaque satis plana et aperta, quæ facile se lectoribus commendat. Fieri tamen potuit, ut ab iis effingeretur, qui vim tertiæ lectionis, *domini scientis*, non satis capere potuere. Quid enim facilius, quam ex participio *scientis*, perperam scripto *seientis*, producere *servientis;* particula *non*, quæ et in aliis scriptorum veterum locis non raro abundat, ad explendam sententiam ascita? In quam mutationem eo pronius fuit incidere, cum Plinius paulo ante prorsus idem dixisset: 'Ergo in vestigia sedesque nobilium immigrant pares domini; nec jam clarissimorum virorum receptacula habitatore servo teruntur.' Verum enim vero, ex eo ipso, quia Plinius jam idem dixerat, nobis non nihil suspecta redditur hæc scriptura, veremurque ne Plinio, oratori acutissimo, ταυτολογίας vitium sine causa impingatur. Et mirum est, in residuis codicibus Mss. hanc lectionem non occurrere. Lectio altera, *domini fruentis*, debetur unice ingenio Lipsii, cui hanc conjecturam forte suppeditavere superiora Plinii verba: 'quæ priores principes occupabant, non ut ipsi fruerentur, sed ne quis alius.' Jam autem, in recensendis scriptoribus antiquis, non satis tutum est indulgere ingenio, sine suffragio veteris scripturæ, quoad alia non absurda, neque prorsus incongruens prostat lectio. Ediderant vero jam ante Lipsium Catanæus et Cuspinianus, *domini, non servientis.* Tertia lectio est, *domini scientis*, quam inprimis Gronovius tuendam exornandamque operose susceperat. Cujus interpretatio etsi perquam sit ingeniosa, non parum tamen animum nostrum tenuit dubium. Nimis enim recondita nobis videtur ista notio, quæ verbo 'scire' hoc loco esset subjicienda; neque nobis ultro succurrit locus, ubi is, qui non nimis multa possidet, et qui res suas curat iisque fruitur, hoc modo dicatur 'dominus sciens.' Equidem, si Plinius, in hoc argumento, vel paulo ante, vel paulo post hæc verba, nominatim disseruisset de iis qui vel sciverint, vel ipsi nesciverint, tot ædes, totque palatia, quot possederint: aut si idem saltem voci *scientis* aliquid, quod pertineat ad eam, de qua quæritur, notionem inducendam addidisset, atque, v. g. scripsisset, *domini, quod habet, scientis*, vel *domini opes suas scientis;* tunc, sine ulla hæsitatione, proni lubentesque hanc lectionem amplexuri fuissemus. Utcumque vero est, cum ea ipsa adhuc in codicibus Mss. Vaticanis, Parisiensi, Venetis 1. 2. Salisburgensi, Guelpherbytano, et Patavino,[a] alteroque Gudii

[a] Possumus huc etiam referre testimonium nostri codicis Ms. in quo legimus, *quod aliquando cœperint esse domini scientes.* Etsi enim non inepta prodire videatur sententia, si vocabulum *domini* non pro casu gignendi singularis numeri, sed pro casu nominandi in numero multitudinis sumatur, ascito participio paris casus et numeri *scientes:* tamen ordo et series præcedentium verborum Plinii postulat, ut verbum *cœperint* ad eundem nominativum, (nempe ad *ingentia opera et ædificia,*) referatur, ad quem referuntur cetera conjuncta verba, *lætari videntur, quod niteant,*

libro perspicue reperiatur, eumque simul quarto lectionis variantis genere, de quo mox dicemus, confirmetur: haud temere tot codicum librorumque consensum repudiandum, sed Plinio Atticismum suum relinquendum esse arbitramur, usque dum vetustioris codicis auctoritate alia lectio luculentius probetur. Quod vero adhuc sigillatim ad quartam istam lectionem attinet, *donum scientis;* ea omnino nobis videtur incommodam ac difficilem explicationem habere, etsi Baudius tradiderit *donum scientis* dici ejus donum, qui judicio et delectu utitur in muneribus conferendis. Adhæc non est dubium, quin eadem lectio ex his verbis *domini scientis* originem suam duxerit. Quid enim proclivius, quam ex scriptura *domini*, vel *dni*, (uti in nostro est codice Ms.) effingere *donum*, maxime cum litera *i* nullo olim puncto superne notaretur, neque literæ *n*, *u*, *ni*, *m*, ubique tam evidenter discernerentur? Præterea, hæc eadem lectio, æque ac lectio tertii generis, ubique prætermittit particulam negandi *non*. Unde, quod jam innuimus, quotquot libri produnt *donum scientis*, totidem et tertiam illam lectionem, *domini scientis*, comprobare videntur.

EXCURSUS XLVII.

Cap. LII. 1. *Sic fit, ut Dei summum inter homines fastigium serves, cum Deorum ipse non adoptes.* Sic Berneggerus, Grævius, Cellarius, et Cellariani, verba hæc edidere, conjecturam Lipsii, in ejus commentario propositam, secuti: quanquam ipse Lipsius eadem hunc in modum in Plantiniana officina curaverit excudenda: *Sic fit, ut Dei summum inter homines fastigium serves, cum Deorum ipse non adeptus.* Quam lectionem etiam expressit Thomas Ceva, eandemque sic refert codex Ms. Patavinus: *Sic fit, ut Dei summum inter homines fastigium serves; cum Deorum nondum adeptus.* Ceteri libri excusi omnes, quotquot inspeximus, pro verbo *serves*, habent *servent;* ac pro verbo *adoptes*, simpliciter exhibent *adeptus;* nisi quod Rhenanus saltem in margine annotarit, pro *servent* alias legi *serves*. Idem verbum *servent* etiam retinent, ac præterea ultimum verbum *adeptus*, præmisso verbo substantivo *sis*, plenius efferunt codices Mss. Vaticani, Guelpherbytanus, et noster, itemque ii quos Is. Vossius et Gudius consuluerunt: *Sic fit, ut Dei summum inter homines fastigium servent, cum Deorum ipse non sis adeptus.* At codex Parisiensis et uterque Venetus habent quidem verbum *servent;* at in voce *adeptus* omittunt verbum substantivum *sis*. Lipsius recte animadvertit, pro hac duplici lectione duplicem sententiam exsculpi posse. Quod si enim legas *servent*, prodit hic sensus: 'Ita efficitur, ut Dii colantur, ut decet, ab hominibus, summumque sibi honorem vindicent; quia ipse non te iis immisces, et sacros sanctosque profanas.' Sin assumas *serves*, videtur Plinius dicere, 'Eo ipso, quod fugis Deus haberi, pro Deo te habemus, aut certe vices ejus in terris gerente.' Utraque sententia primo intuitu pulchra

quod frequententur. Unde librarius noster, aut saltem ex oscitantia, aut ex intempestiva correctione, τὸ *scientes* reposuit, ubi τὸ *scientis* scribere voluerat, aut certe debuerat.

apparet; sed, si rem penitius consideres, utraque etiam habet, quod lectoris animum aliquantisper suspensum tenere queat. Prior lectio videtur suspecta reddi, quod primum insolentius in numero multitudinis dicuntur *Dei*, qui ubique audiunt *Dii*. Etsi enim Grammatici vulgo tradunt utroque modo dici *Dei* et *Dii;* ipse tamen Bangius grammaticus solertissimus libro I. Observationum Philologicarum, pag. 42. fatetur, exempla nominativi pluralis *Dei* desiderari. Deinde nec satis apte dictum videtur, *Deos summum inter homines fastigium* per Trajanum *servare*. Quod enim singulare pietatis officium Diis præstitisset Trajanus, si iis summum inter homines fastigium ac prærogativam reliquisset; cum et Domitianus et alii, qui divinitatis nomen honoremque affectarent, pristinis tamen Diis istud fastigium reliquerint? nisi dixeris, hos etiam principes vanissimos ambitiosissimosque, Diis pristinis primum gradum reddidisse dubium, cum mediam inter Deos sedem, tanquam primariam, sibi aliquando constituerunt. Altera lectio *serves* non solum dubia redditur per auctoritatem tot librorum manu et typis exscriptorum, qui potius exhibent *servent;* sed etiam non satis videtur convenire in laudatam modestiam ac pietatem Trajani, si is nunc dicatur *Dei summum fastigium servare*. Repugnaret et ipsius Plinii testimonio, qui supra II. 3. dixerat, 'nusquam ut Deo nunc, nusquam ut numini, blandiamur.' Licet igitur non adeo expeditum sit, inter ancipites ejusmodi rationes aliquid certi definire; attamèn, si insistere velimus regulæ moderatioris critices, quæ jubet, ne absque necessitate, et absque indiciis vetustioris codicis, subterfugiamus auctoritatem vulgatæ et a plurimis libris firmatæ lectionis; etiam hujus loci lectio toties jam vulgata, quam e codicibus Mss. paulo ante recensuimus, nondum deserenda videtur, cum necdum urgeat sententiæ necessitas. Satis enim gloriosum fuit Trajano, pro istorum hominum religione, quod ipse modico cultu contentus, 'non apud genium suum bonitati suæ gratias agi, sed apud numen Jovis voluerit;' neque adeo commiserit, ne Dii non summum inter homines fastigium honoremque retinuerint; cum alii incesti improbique principes, affectato divinitatis honore, effecissent, 'ut suis statuis permixta Deorum simulacra sorduerint, ac templa fuerint polluta,' prout ibidem loquitur Plinius. Si minus obvius est nominativus pluralis *Dei*, ejus tamen usus vetustus Varronis testimonio constat, annotante Ger. Jo. Vossio de Arte Gramm. III. 6. Aut certe ex facili potuit fieri, ut scriptura *Dii* et *Dei* commutaretur. Hæc putavimus afferri posse ad hanc lectionem defendendam, quæ et olim sæpius publicata est, et quam ex codicibus superstitibus nunc denuo proferimus: *Sic fit, ut Dei summum inter homines fastigium servent; cum Deorum* (scil. fastigium) *ipse non sis adeptus*. Quam lectionem etiam Arntzenius nunc retinuit. Jam vero, si animi nostri sententiam, nec eam omni verisimilitudine destitutam, exponere fas sit; nobis utique altera lectio, quæ verbum *serves* tuetur, multo magis placet; nisi quod, si qualecumque ingenium nostrum sequi liceat, vocabulum *Dei*, utpote quod incongruens, et ex glossis, aut ex audacia librariorum textui intrusum videri queat, nunc exterminandum, adeoque locum ita ordinandum judicemus: *Sic fit, ut summum inter homines fastigium serves, cum Deorum ipse non sis adeptus*. Ideo autem Trajanus dicitur summum inter homines fastigium, maximumque honorem

servare; quia is, tanquam justus et bonus princeps non necesse habuit timere, ne vitæ imperiique periculum incurreret, sicut Domitianus, arrogantissimus ille divinitatis affectator, occisus est: deinde quia idem Trajanus confidere potuit fore, ut 'æreæ ipsius et paucæ statuæ,' uti Plinius ait, 'manerent, mansurææque essent quamdiu templum ipsum:' cum contra improborum principum statuæ aureæ et innumerabiles strage et ruina publico gaudio litaverint, modisque ignominiosis solo fuerint illisæ. Nihil frigidum in hac sententia animadverto; cum æque acute et ingeniose hæc dixerit Plinius, ac dixit Horat. III. Od. 6. 5. 'Dis te minorem quod geris, imperas.' Scilicet, sic fit, ut imperes, i. e. ut summum inter homines fastigium serves atque retineas; 'quod geris te minorem Dis,' i. e. cum Deorum fastigium ipse non sis adeptus, tibique sumseris; sed te inferiorem Diis ipse agnoscas, gerasque. In hac certe sententia *summum inter homines fastigium*, et *Deorum fastigium*, multo acutius sibi tanquam *ἀντίθετα* opponuntur, quam in vulgari lectione. Retinemus præterea ex consensu tot reliquorum Mss. verbum *sis adeptus;* cum non necesse sit, ut arrogemus illud a solo Lipsio excogitatum *adoptes;* aut, quod Livineio in mentem venerat, *affectes;* vel, quod etiam Gesnero nunc se probavit, *appetas;* quanquam hoc neutiquam rejicerem, si quo in libro antiquo reperirem. Verbum autem 'adipisci' tunc non ex vulgari notione hoc loco interpretandum est, quasi sit, consequi et obtinere id quod desideravimus, multoque quæsivimus studio: sed 'adipisci' hic generatim notat 'capessere,' 'adsciscere,' 'in se suscipere,' uti et apud Cic. de Offic. I. 21. 'Quapropter et iis forsitan concedendum sit, rempublicam non capessentibus, qui excellenti ingenio doctrinæ sese dediderunt.... Sed iis, qui habent a natura adjumenta rerum gerendarum, abjecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus, (i. e. capessendi honores oblati,) et gerenda res publica est. Capessentibus autem rempublicam nihilo minus, quam philosophis, adhibenda sit tranquillitas animi.' Qua notione et simplex verbum 'apisci' usurpari videtur Lucr. VI. 1234. ubi morbi dicuntur 'apisci,' i. e. comprehendere et corripere, homines alios ex aliis. Quæ cum ita sint, haud necesse est ut rejiciamus hanc loquendi rationem, *Deorum fastigium sis adeptus;* etsi Trajanus id non desideraverit, ambieritque.

EXCURSUS XLVIII.

CAP. LIII. 1. *Omnia, P. C. quæ de aliis principibus a me aut dicuntur aut dicta sunt, eo pertinent, ut ostendam, quam longa consuetudine corruptos depravatosque mores principatus parens noster reformet et corrigat. Alioquin nihil non parum grate sine comparatione laudatur.* Quæ ad priora hujus loci verba illustranda faciunt, jam in notis exposui. Nunc paulo plura sigillatim de particula *alioquin* disseram. Huic copulam *et* hoc loco omnino præmittendam esse censeo; quamvis ea ex reliquis quos vidi libris omnibus exciderit; nisi quod Livineius ejus defectum in margine editionis suæ animadverterit. Qui vim harum particularum intelligunt, facile intelligent, quam luculenter perspicueque omnia cohæreant, si scriptum fuerit *Et alioquin.*

Contra vero diversa prorsus et a mente oratoris aliena existit sententia, si particula *et* hic prætermittatur. Plinius nimirum aliquot conjungit rationes, quibus inductus identidem aliorum principum mala facta commemorarit, atque cum rebus gestis virtutibusque Trajani compararit; primum nempe, ut ostenderet, quam sapienter Trajanus pravas priorum temporum consuetudines correxerit; deinde, quod, etiam excepto hoc casu, et præter hanc rationem, generatim quævis laus ex comparatione gratior pulchriorque exsurgat. Sequuntur deinceps aliæ rationes. Sic idem Plinius, etiam alibi, ubi duas pluresque *αἰτιολογίας*, sive rationes, et quandam quidem in sequentibus verbis generaliorem connectit, his conjunctis particulis uti solet; v. g. in Paneg. XLV. 4. 'Ideo non censuram adhuc, non præfecturam morum, recepisti; quia tibi beneficio potius, quam remediis, ingenia nostra experiri placet. Et alioquin, (i. e. et licet hoc non esset, aut præter hanc rationem,) nescio, an plus moribus conferat princeps, qui bonos patitur, quam qui cogit.' Ubi istas particulas *et alioquin* Germanicis verbis commode reddere possis, *Ueber dieses*, vel *zu dem, so weiss ich nicht, ob nicht, &c.* Si demas copulam *et*, obscurior efficietur oratio, et hæsitabis, an tunc particula sola *alioquin* Germanice reddi debeat, *wiedrigen Falls;* inde vero minus aptus hujus sententiæ nexus existet. Porro LXVIII. 7. 'Nam, si eadem cura bonis, quæ malis esset; quam ubique admirationem tui, quod gaudium exultationemque, deprehenderes! . . . Scires, mollissimis illis auribus parci; et alioquin, cum sint odium amorque contraria, hoc perquam simile habent; quod ibi intemperantius amamus bonos principes, ubi liberalius malos odimus.' Idem LXX. 9. 'Provinciis quoque in posterum, et injuriarum metum, et accusandi necessitatem remisisti. Nam, si profuerint, quibus gratias egerint, de nullo queri cogentur. Et alioquin nihil magis prodest candidato ad sequentes honores, quam peractus optime magistratus.' Idem Epist. II. 9. 1. 'Afficior cura, et, quam pro me solicitudinem non adii, quasi pro me altero patior; et alioquin meus pudor, mea existimatio, mea dignitas in discrimen adducitur.' VII. 9. 16. 'Qui sint hi, adeo notum provocatumque est, ut demonstratione non egeant: et alioqui immodice epistolam extendi.' Quæ cum ita sint, Gesnerus particulam *et* recepit, repetitis nostris exemplis, et hac addita annotatione: '*Et* recte reponitur a Schwarzio. Sic XLV. 4. LXVIII. 7. LXX. 8. et Epist. II. 9. 1. Si enim absit, plane alius et contrarius sensus existit.' Cl. Arntzenius autem noluit huic particulæ, contra consensum antiquitatis, locum dare in sua editione, persuasum, ut opinor, sibi habens particulam *alioqui* ubique promiscue posse usurpari, sive præmissa particula *et*, sive hac omissa; omissæque exemplum affert ex Plin. Epist. III. 9. 19. 'Severitas languesceret; alioqui supererant minores rei.' At tantum abest, ut in hoc exemplo, in quo particula *alioqui* Germanice per *sonsten* explicari potest, copula *et* requiratur, ut ne quidem locum habere possit. Non enim nego *alioquin* etiam sine copula poni, et poni debere; sed tunc aliam induit significationem, ac plerumque, prout in notis ad hunc locum ostendi, Germanice per *sonsten, anderer Gestalt, wiedrigen Falls,* et similes, redditur; v. g. Plin. Epist. V. 14. 2. 'Ne desiderio senatoris repugnaret; alioqui majorem invidiam, quam proxime, passurus.' Epist. VI. 14. 1. 'Neque enim mare et littus, sed te etiam, otium, liberta-

tem, sequor : alioqui satius est in urbe remanere.' Epist. VI. 20. 16. 'Cinerem identidem assurgentes excutiebamus; operti alioqui, atque etiam oblisi pondere essemus.' Epist. VIII. 8. 1. 'Vidistine aliquando Clitumnum fontem? Si nondum, et puto nondum; alioqui narrasses mihi: vide.' Conf. Epist. V. 15. 3. Epist. VIII. 24. 9. Epist. X. 20. 1. Epist. X. 58. 2. Quintilianus in Epist. ad Tryphon. in princip. 'Quibus libris componendis, ut scis, paulo plus, quam biennium, tot alioqui negotiis districtus, impendi.' Instit. Orat. VI. 2. 'Nam qui, dum dicit, malus videtur, utique male dicit: non enim videtur justa dicere; alioqui ἦθος videretur.' Curtius IV. 2. 5. 'Non tenuit iram Alexander, cujus alioquin potens non erat.' Cic. de Leg. II. 25. 'Credo, minimam olim istius rei fuisse cupiditatem: alioquin multa extarent exempla majorum.' Conf. Tacit. Annal. II. 38. 4. In his similibusque locis nemo copulam *et* recte aptabit particulæ *alioquin*. E contrario autem, in loco nostro, hæc copula aptissime præponitur particulæ *alioquin;* immo, ad perspicuitatem sententiæ conciliandam, necesse est, ut quasi postliminio restituta eidem præponatur. Promiscue autem in libris scribi *alioqui* et *alioquin*, neque perpetuum esse, ut illud ante consonantes, hoc ante vocales ponatur, jam alii observarunt. Nemo autem facile mihi vitio vertat, quod tam tenuis particulæ restituendæ curam habeam. Bene Muretus Var. Lection. VIII. 4. 'Quotidie,' inquit, 'magis intelligo, verum esse id quod semper existimavi, nullam esse mendam ita pusillam, quam non permagni intersit, e veterum monumentis tolli et corrigi: neque ullum hominum genus magis prodesse studiis, quam eos, qui accurate et fideliter operam illis purgandis emendandisque ponunt. Unius enim literulæ erratum interdum eas etiam eruditissimis hominibus affundit tenebras, ut tanquam in illuni nocte errantes, quovis potius perveniant, quam quo volunt.'

EXCURSUS XLIX.

CAP. LVI. 7. *Magnificum est, civibus jura; quid hostibus, reddere? Speciosum; certam fori pacem; quid immanes campos, sella curuli, victorisque vestigio, premere?* In his verbis maxime dubia est vox *pacem;* quam tamen in omnibus residuis codicibus Mss. quorum quidem inspiciendorum copia nobis facta est, deprehendimus. Eandem etiam in plurimis libris impressis evulgatam esse fatemur. At durior inde loquendi formula existit, quam quæ Plinio convenire posse videatur. Bene quidem is dicere potuisset, *Speciosum* est, forum, vel *certam fori partem, sella curuli premere;* sed prorsus insolens incongruensque videtur, . . . *certam fori pacem sella curuli premere.* Primus Faber Saniorianus vel e codice suo, vel ex felici conjectura, pro voce *pacem*, in editione Parisiensi annotavit *partem;* quam lectionem etiam a Lipsio receptam editamque esse observamus. Nihilominus Arntzenius magno studio conatuque defendendam suscepit lectionem vulgatam. Ne vero lectorem ista Arntzeniana commentatione fraudare velle videamur, eam integram huc transferendam duximus: 'Solæ editiones,' inquit, 'quæ Lipsii auctoritatem sequuntur, *partem*, reliquæ omnes, *pacem:* egregie; nam altera vox plane absona, et usui Romano repugnans. Omnia fa-

cile procedent, si ita constituatur oratio : *Magnificum est reddere, &c. Speciosum reddere,* ut respiciat ad ea quæ supra dixerat, xxxiv. 2. 'Atque ut ante castris, ita postea pacem foro reddidisti.' Vel, si hoc displiceat, retrahe ex sequentibus illud *premere,* pro in eo foro agere, versari, cui tu pacem reddidisti ; cum in integra sententia unum verbum non æque omnibus substantivis conveniat, uti supra, LV. 9. 'demolitur et obscurat oblivio ;' ubi quædam diximus. Quam ex his eligam, nondum satis definio : utraque expositio videtur præferenda intempestivæ conjecturæ. Quintil. Declam. 274. 'Forum, quod mihi templum quoddam pacis videtur.' Confer Markland. ad Stat. Sylv. v. 2. 108. Neque huic conatui patrocinium quærendum in eo, quasi exiguam fori partem conferret cum magnis vastisque campis. Immo, *immanes campos* expone per regiones barbaras, quæ antea nec jura, nec leges, agnoscerent. Lucan. IV. 480. 'Victoque immanior hoste.' Alibi. Si vel maxime de vastitate regionis ageretur, ne vel sic quidem ullo modo satisfaceret. *Pacem* etiam in præfatione prætulit doct. Gesnerus. Deinceps inconcinne edi *vestigio,* cum scripsisset auctor *fastigio,* affirmat Barthius ad Claudian. Rapt. Proserp. II. 300. non persuadet ; quam inepte enim diceretur, Trajanum regio fastigio pressisse campos ; cum utique hic non de superbia principis et terrore armorum, sed de ostentatione togarum, et de veteri splendore ducum Romanorum agitur ! Satis puto hæc esse aliena ; melius retinet *pacem.*' Hactenus Arntzenius. Sed, quod pace viri doctissimi dixerim, nescio, neque expuíare possum, cur dicat, alteram vocem *partem* plane absonam, et usui Romano esse repugnantem. Sive enim unicam hanc vocem *partem* respiciat, falsum est, eam esse absonam, usuique Romano repugnare ; quippe qua nihil in optimis scriptoribus Latinis tritius esse potest, etiam cum de foro Romano sermo est. Sic v. g. Cic. pro Mil. c. 1. 'Unde aliqua pars fori aspici potest.' Sive spectet integram dictionem et φράσιν, *certam fori partem sella curuli premere ;* nihil in hac video absonum, nihil usui Romano repugnans. Certe, si Plinius recte dixit *immanes campos,* tanquam loca latissima, *sella curuli victorisque vestigio premere ;* æque recte dicere potuit *forum,* sive *certam* definitamque aliquam *fori partem, sella curuli premere,* i. e. e sella et tribunali in certa fori parte positis, jus dicere. At multo insolentius, et durius, atque ab usu Latii alienius est dicere, *certam fori pacem sella curuli premere.* Equidem duas exponendi hujus loci rationes init Arntzenius ; utram vero ex his eligat, nondum ipse satis definire potuit. Una vult, ut ex proximis verbis protrahatur verbum *reddere ;* quasi Plinius dixerit, *speciosum* est, *certam fori pacem reddere.* Verum id repugnat concinnitati Plinii ; qui, uti in priore membro, verbum *reddere* tantum ad duas res, ad 'jura civium' et 'hostium' retulerat ; ita etiam in altero membro, verbum *premere* ad duas res, ad *forum,* et ad *campos* refert. Ac, si vel maxime verbum *reddere* etiam ad *forum* protrahere voluisset, potius *certam foro pacem,* quam *certam fori pacem,* dicturus fuisset, ad exemplum cap. xxxiv. 2. 'Ut ante castris, ita postea pacem foro reddidisti.' Immo, si tam parcus verborum voluisset esse, etiam omissis posterioribus verbis alterius membri, dicturus fuisset, *Magnificum est, civibus jura ; quid, hostibus? speciosum, certam foro pacem ; quid immanibus campis, reddere?* Multo verisimilius Arntzenius suspicari potuisset, in priore hujus loci

membro, *certam fori pacem*, omissum esse verbum *firmare, præstare*, aut simile; cum in quibusdam codicibus non rara sint vocum omissarum exempla. Altera ratio expositionis Arntzenianæ eo tendit, ut illud *premere* ex sequentibus animo retrahatur, et cum priore membro sic construatur: *speciosum* est, *certam fori pacem sella curuli premere*. Locus ex Quintiliano allatus, 'Forum, quod mihi templum quoddam pacis videtur,' plane huc non quadrat. Dubitamus enim, an probe dicatur, *Speciosum est, certam fori pacem sella curuli premere?* Nunquam dubitaturi essemus, si scriptum esset, *Speciosum est, forum*, cui tu pacem reddidisti; (seu, quod mihi templum quoddam pacis videtur;) *quid? immanes campos sella curuli, victorisque vestigio premere*. Si quis dicat, duram esse loquendi rationem, *sella premere pacem fori*, tradit Arntzenius, in integra sententia unum verbum non æque omnibus substantivis convenire. At regulam illam, quæ dubiis et insolentibus exemplis nititur, nolim tam liberaliter ad plura Plinii loca applicare, inprimis si lenius remedium emendandi loci ambigui supersit. Superest autem in voce *partem*, quam P. Faber pro voce *pacem* annotavit. Ad evitandam igitur tam duram et insolentem loquendi formulam, hæc emendatio non intempestiva, sed probabili ac facili nititur conjectura, quam quædam vocum similitudo, et ipsa necessitas suggerit. Cui emendationi omnino præsidium affertur ex eo, quod Plinius *certam*, id est, definitam et exiguam quandam *fori partem*, cum immanibus, id est, ingentibus, vastisque campis confert. Sic Virgilius de magnis templis, Æn. IV. 199. 'Templa Jovi centum, latis immania regnis, Centum aras posuit.' Velleius II. 59. 'Immanis frequentia amicorum.' Neque quicquam profecerit Arntzenius, si *immanes campos* exponere maluerit per regiones barbaras, quæ antea nec jura, nec leges agnoscerent: harum enim barbararum et antea juris ignararum regionum vastitati nihilo minus opponi potuit certa et exigua pars fori Romani, in quo nempe cives togati versari, et ubi jura et leges tractari solebant. Ex necessitate igitur quadam, et ductu moderatioris critices, adeoque ex leni permutatione, *partem* pro *pacem* recepimus. Etiamsi vero nobis ipsis haud contigerit, in ejusmodi codices Mss. incidere, qui referant expressum vocabulum *partem;* contingere tamen forte poterit aliis. Etiam per tria fere sæcula nemo in aliquo libro scripto vel excuso observaverat illud eximium supplementum, quod in proximo cap. LV. 5. annotavimus: nobis tamen demum contigit id eruere e quibusdam codicibus Mss. Si quis alius, certe et ego difficillime desero vulgatam lectionem; desero tamen tunc, et quasi necessitate inductus admitto felicem ac verisimilem conjecturam, si vulgata loquendi ratio est insolens, obscura, a genio Plinii aliena, et tantum non absurda. Talis vero lectio mihi videtur, *sella curuli premere certam fori pacem*. Multo autem luculentior, et probatæ Latinitati convenientior formula est, *sella curuli premere certam fori partem*. Et quam facile fieri potuit, ut jam antiquissimis temporibus, a librariis rudibus, *partem* in *pacem* mutaretur! Totam tamen causam aliorum judicio submitto.

EXCURSUS L.

Cap. lxiv. 2. 3. *Seditque consul, principe ante se stante; et sedit inturbatus, interritus, et tanquam ita fieri soleret. Quinetiam sedens præbuit jusjurandum, et ille juravit; expressit explanavitque verba, quibus caput suum, domum suam, si scienter fefellisset, Deorum iræ consecraret.* Locus hic dudum sub limam vocatus est a Brissonio de Formulis et Solennibus Populi Romani Verbis, lib. viii. p. 811. Citato enim loco ex Plinii Panegyrico, *Quin etiam sedens præivit* (sic enim emendo,) *jusjurandum, et ille juravit, &c.* Lipsius etiam et Rittershusius, in notis ad Plinium, medelam attulere. Inprimis vero in eodem hoc loco emendando operam posuit Jo. Frid. Gronov. Nov. Obs. c. 16. pag. 261. Hic enim verba ista, *Quin etiam sedens præbuit jusjurandum,* hunc in modum corrigenda censuit: *Quin etiam sedens,* (consul) *stanti* (principi) *præivit jusjurandum.* Participium *stanti* testatur scriptum esse in vetere quodam codice, (quod et Jacobus de la Baune in Lugdunensi editione animadvertit; credo, esse editionem Gryphianam an. 1542. in qua legitur, *quinetiam sedens stanti præbuit, &c.*) deinde vicem τοῦ *præbuit,* sine dubio scribendum existimat Gronovius *præivit;* quomodo et Lipsius Rittershusiusque voluerint. Quod verbum etiam Livineius in editione quadam Antverpiensi an. 1542. ceteroqui non mala, invenit. Nimirum ex vetere consuetudine reipublicæ liberæ, consules, et initio magistratus jurarunt, se leges servaturos; et, cum abirent magistratu, itidem jurejurando confirmarunt, se leges servasse. Cui consuetudini cum alii principes, dum fasces consulares susciperent deponerentque, eo usque sæpius sese subduxissent, tanquam liberi a legum civilium vinculo; Plinius miratur, collaudatque Trajani imperatoris moderationem ac civilitatem, quod hic, et initurus consulatum, et eodem abiturus, ipse ultro se legibus subjecerit juraveritque. Sicuti vero in solenni precatione, ita et in jurejurando, aliquis de scripto, vel ex publicis tabulis, *præire,* et quasi præloqui ac dictare solebat verba, quæ precaturi juraturique sequerentur, atque exprimerent: id quod multis veterum testimoniis exemplisque constat. De more præeundi sacra carmina, Plinius Major, xxviii. 2. 'Vidimus,' inquit, 'certis precationibus obsecrasse summos magistratus: Et ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem, rursusque alium custodem dari, qui attendat, alium vero præponi, qui faveri linguis jubeat; tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur.' Conf. Liv. ix. 9. x. 38. xxxix. 18. et Val. Max. iv. 1. 10. De more præeundi jurajuranda nec pauciora prostant documenta. Sic apud Plaut. Rud. v. 2. 47. seqq. alter alteri præit jusjurandum: 'Gr. Per Venerem hanc jurandum est tibi. La. quid jurem? Gr. quod jubebo. La. Præi verbis quidvis,' &c. Dicere autem solebant, 'præire,' 'præire voce,' 'præire verbis,' 'præire verba,' aut 'carmen præire de scripto,' 'ex tabulis publicis,' &c. Germani dicerent, *einen Eyd vorlegen, vorsagen, vorsprechen, vorlesen.* Sic vero, in fœderibus sanciendis, apud Romanos 'præiit jurantibus' pater patratus; in civilibus, prætores; in provinciis, proconsules; in militaribus, imperatores; conf. celeberr. Stru-

vius in Antiquitat. Roman. Syntagm. cap. 7. pag. 320. Consuli novo adeo præibat consul regens: abeuntes autem, non semper, alio præeunte, videntur jurasse; quod e Ciceronis exemplo colligimus, cui consulatu abituro Q. Metellus, tribunus plebis, nihil, nisi ut juraret, permiserat, quique magna voce juravit pulcherrimum jusjurandum, 'rempublicam sui unius opera fuisse salvam.' Vid. Fam. Epist. v. 2. et Orat. in Pison. cap. 3. Testis vero est Plutarchus, Ciceronem tunc non usitatum, sed novum jusjurandum, jurasse. Quibus præmissis, nunc dispiciendum est, quid in loco ad disquirendum proposito significet, 'præbere alicui jusjurandum;' deinde, an non Plinio potius vindicanda et restituenda sit illa lectio, *Quinetiam sedens stanti præivit jusjurandum, et ille juravit.* Primum itaque, si colligamus omnia Plinii verba, totumque hujus orationis contextum accuratius expendamus; omnino deprehendimus, Plinium his verbis significare voluisse, consulem, qui tunc præsidebat comitiis, Trajano imperatori ante se stanti exhibuisse ac præfatum esse, sive dictasse, certam formulam jurisjurandi, in cujus verba juraverit Trajanus, tanquam consul novus. *Sedens* enim, *qui præbuit jusjurandum,* non certe ipse fuit Trajanus; sed, quod Plinius diserte ibi indicat, consul, qui eo tempore adhuc fasces regebat, ac in sella curuli sedebat, adacturus Trajanum in solennia jurisjurandi consularis verba. Erravit ergo, meritoque a Gronovio refutatus est Livineius, quod sibi persuasum habuit, ibi ab ipso imperatore 'oblatum et præbitum,' i. e. præstitum, non ab alio consule ex publicis tabulis 'præitum,' denotari 'jusjurandum.' Postquam igitur ex nexu rerum verborumque mentem ac sententiam oratoris non difficulter assequi licet; nunc ipsam loquendi formulam adhuc non nihil excutiemus, consideraturi, utrum linguæ Latinæ convenienter is dicatur 'præbere jusjurandum,' qui id aliis 'præit,' aut dictat, aut alios ad jusjurandum adigit; an potius ex sententia Gronovii aliorumque virorum eruditorum rescribendum sit, *Quinetiam sedens stanti præivit jusjurandum.* Equidem, in admittendo participio *stanti,* haudquaquam nos præbuimus difficiles, propter eas rationes quas notis inseruimus. De asciscendo autem verbo *præivit,* utique adhuc ambigimus. Fatemur quidem, id omnium frequentissime, a Cicerone, Livio, aliisque probatæ Latinitatis scriptoribus, in hoc argumento poni adhiberique solere. Adhæc certum est, eum, qui reposuerit *præivit jusjurandum,* pro *præbuit,* nihil indignum eloquentia Plinii, nihilque ab ejus stylo, aut a formulis solennibus, alienum esse ausurum, cum hic ipse eadem loquendi ratione alibi, nempe Epist. x. 60. usus sit. 'Præiimus,' inquit, 'et commilitonibus jusjurandum more solenni præstantibus, et provincialibus, qui eadem certarunt pietate, jurantibus.' Immo in fine hujus ipsius cap. LXIV. Panegyrici: 'Pulchriusne,' inquit, 'sit illud, quod præeunte nullo, an quod, alio præeunte, jurasti.' Et cap. XCII. 3. 'Tu comitiis nostris præsidere, tu nobis sanctissimum illud carmen præire dignatus es.' Conf. Epist. x. 60. 61. 97. et 102. Neque id præterea negamus, perquam facili lapsu librarios pro verbo *præivit,* potuisse scribere *præbuit;* cum et Gronovius ostenderit, simile mendum obsedisse Liv. XXVI. 27. ubi olim scriptum fuerit 'Romam præbuit;' cum scribi debuisset, 'Romam præivit;' et cum Cortius testetur, librarios etiam in codicibus Mss. Voss. Helmst. et Arntzeniano, apud

Plin. Epist. IX. 33. vocem 'præbentem' et 'præeuntem;' item in aliis exemplaribus, Epist. X. 60. 'præivimus' et 'præbuimus' confudisse. Verum enimvero necdum deserimus vadimonium in defendendo verbo *præbuit*. Id enim omnes residui codices Mss. librique collati exhibent, neque ullus editor hujus Panegyrici indicavit, se usquam in aliquo codice scripto aliud verbum ibi invenisse. Primus, quantum indagare potui, Gryphius has voces, *stanti præiit*, in margine editionis suæ an. 1531. annotavit; et in altera editione an. 1542. participium quidem *stanti*, nequaquam tamen verbum *præivit*, recepit. Ac licet deinceps etiam H. Stephanus, Minoë, Rivinus, et Th. Hearne, in editionum suarum ora, tanquam lectionem variantem, annotarint *stanti præiit;* hæc tamen verba in contextum orationis admittere nondum ausi sunt, haud obscuro indicio, ea non tam in codicibus Mss. probæ notæ reperta, quam ab iis qui verbum *præire* in ea materia frequentius apud alios scriptores veteres observarant, partim ex ingenio prodita fuisse. Quis ediderit Antverpiæ an. 1542. Panegyricum Plinii, cujus meminit Livineius, et num editor illius ex auctoritate alicujus vetustioris libri, an ex sua aliorumque conjectura, vel annotarit in margine, vel receperit in contextum verbum *præiit;* nihil habemus, quod vel liquido affirmemus, vel negemus refellamusque; cum nobis nondum contigerit incidere in illam ipsam editionem. Nec porro est, cur putemus, eum minus Latine luculenterque dici 'præbere alicui jusjurandum,' qui juranti præit, i. e. suggerit ac suppeditat verba, quæ hic subsequatur, et reddat. Certe, verbum *præbere*, uti generatim notat 'suppeditare,' 'suggerere;' ita Cic. in Verr. V. 52. dixit, 'ætati lubricæ exempla nequitiæ præbere:' et in Bruto cap. LXIX. 'copiam verborum præbere populo,' &c. Ac sane, si Ovid. Art. Am. I. 112. dixit, 'rudem præbente modum (i. e. modulationem) tibicine Thusco, Ludius (i. e. histrio ex Thuscia accitus) æquatam ter pede pulsat humum;' haud video, cur nec Plinius dicere potuerit, 'consule præbente,' i. e. suppeditante et accommodante, 'jusjurandum,' Trajanus juravit. Amant quidem potissimum historici in enarrandis rebus retinere verba solennia; at poëtæ versuum legibus alligati, et panegyristæ, verborum copiam ac varietatem sectantes, ea identidem commutant cum aliis. Nihilo minus et ipse Livius, qui alias in hac re frequenter utitur verbo 'præire,' aliquando tamen pro eo posuit verbum 'præfari;' ut intelligamus, non necesse esse, ubique eodem uti verbo solenni. Sic enim legimus apud Liv. V. 4. 'Sunt, qui M. Fabio, pontifice maximo, præfante carmen, devovisse eos se pro patria Quiritibusque Romanis, tradant.' Ita et Eumenius pro Restaur. Schol. cap. 10. 'Ibi adolescentes optimi discant, nobis quasi solenne carmen præfantibus, maximorum principum facta celebrare.' An non et Eumenius hic pro solenni verbo 'præire,' sine vitio, in oratione substituit verbum 'præfari?' Ita Sil. Ital. X. 448. cum narraret, milites jurasse sacramentum, quod præiverit Scipio, ait, 'Obstringunt animas patriæ, dictataque jurant Sacramenta Deis.' Similiter Valerius Flaccus Arg. I. 685. canit, 'miseris dictat pia vota sacerdos.' Ubi historicus pro verbo 'dictat,' verbo solenni 'præit' lubentius usurus fuisset. 'Dictare' enim proprie est, 'frequenter dicere et crebro sermone divulgare.' Deinde est, 'dicere, quod alter scribens excipiat, et manu styloque notet;' ac sigillatim ea, quæ ludimagistri dictabant pueris, audierunt 'dictata.' Nihilo

minus hoc verbum ad exprimendam notionem 'præeundi vota et jurajuranda' aliquando accommodabatur. Unde et Priscianus vetus Grammaticus XVIII. p. 1182. Putsch. scripsit: 'Romani verbis præire, et jurare in verba illius, i. e. quomodo ille dictarat. Horatius in Epod. 'In verba jurabas mea.'' Adhæc Plaut. Amphitr. III. 2. 50. cum ex solenni formula dicere potuisset, 'te præeunte, jurabo;' nihilo minus ait, 'arbitratu tuo jusjurandum dabo.' Fatemur ad extremum, nos haud meminisse adhuc in ullo antiquo scriptore legere istam, de qua disputamus, loquendi formulam, 'præbere alicui jusjurandum;' ac sane fieri potest, ut ea vel rarissime, vel plane non, in aliis residuis Latinæ linguæ monumentis occurrat: nihilo minus hac sola causa necdum adduci possumus, ut eam ex Plinii Panegyrico exterminemus. Ad quas enim angustias tandem redigeretur lingua Latina, si omnia rara, aut etiam ἅπαξ λεγόμενα rejicere, aut in horum locum alia, quæ alibi aliter dicuntur, reponere liceret? Quæ cum ita sint, conatus sum antehac tueri, et huic Panegyrici Pliniani loco vindicare, quam quasi suppositum damnare verbum *præbuit*, utpote quod omnes quotquot hucusque innotuere codices Mss. exhibent; quodque omnes quotquot vidimus libri typis expressi, præter paucos recentiores, confirmant. Ac licet formulæ isti, 'præbere stanti jusjurandum,' non astipuletur frequentior usus; ei tamen generalis notio verbi 'præbere,' atque ipsa ἀναλογία, haudquaquam repugnare videtur. Cur vero nihilo minus in contextum aliam admiserim lectionem, ejus rei rationes in notis exposui.

EXCURSUS LI.

CAP. LXIV. 4. *Nescio jam, nescio, pulchriusne sit istud, quod, præeunte nullo, an hoc, quod, alio præeunte, jurasti.* Obscurum acumen in his verbis latere nobis videtur. Dixerat quidem Plinius paulo ante, § 3. Trajanum, novum consulem, jurasse 'alio præeunte,' i. e. dictante jusjurandum; sed nondum aperte dixit, quando et quo modo idem, *præeunte nullo*, juraverit. Codex quidem Ms. Parisiensis habet *quod præeunte illo*, pro *præeunte alio;* sed nihil lucis ex hoc librarii mendo affertur. Catanæum aliter in editionibus primis, aliter in subsecutis verba hæc explicasse, jam ad h. l. annotavi. Gronovius, cujus magna in rem literariam merita magnopere suspicio, libro Nov. Obss. c. 16. tradit, *Trajanum præeunte nullo jurasse*, intelligendum, non de jurejurando in leges, quod adigebantur ineuntes apud abituros consules; sed de illo, quod decedentes consulatu jurabant, se nihil contra leges fecisse. 'Hoc enim,' inquit, 'faciebant ejurantes, nemine præeunte. Fecit utrumque Trajanus: ideo se Plinius ambigere dicit, utrum sit pulchrius, quod præeunte nemine, nempe cum abiret; an, quod alio præeunte, scilicet hoc secundum jurarit.' Nescio vero, an non Gronovius scribere voluerit, debueritque 'scilicet hoc primum jurarit.' Sequitur Gronovium Arntzenius. Verum haud opportuna et luculenta hæc videtur interpretatio. Utique enim Trajanus consulatum initurus in comitiis primum jusjurandum, præeunte verba consule, qui consulatu tunc abibat, præstitit, cum ipse consul in campo Martio inaugurareter. Deinde etiam juravit in rostris, se in consulatu suo legibus convenienter acturum; itemque abiturus consulatu juravit,

se nihil contra leges fecisse. Hactenus tantummodo primi jurisjurandi acta descripserat Plinius, nulla adhuc mentione eorum injecta, quæ Trajanus in rostris, item et quæ abiturus consulatu egerit juraveritque; utpote de quibus demum in sequenti cap. LXV. disserit Plinius; neque tamen ibi diserte indicat, utrum Trajanus, et alterum, et tertium jusjurandum, *præeunte aliquo*, an *nullo*, præstiterit. Et quanquam facile concedamus, Trajanum postremo jurasse, nullo præbente jusjurandum; non tamen videmus, quomodo Plinius jam cap. LXIV. utraque facta inter se apte comparare, atque narrationem de solo primo jurejurando ita concludere potuerit: *Nescio jam, nescio, pulchriusne sit istud, quod, præeunte nullo, an hoc, quod, alio præeunte, jurasti.* Certe talis comparatio aptiorem locum habitura fuisset post verba § 2. cap. LXV. 'Itaque et abiturus consulatu jurasti, te nihil contra leges fecisse.' Nec est, quod existimes, istis verbis oratorem facere transitum ad jusjurandum pro rostris præstitum; cum potius sic pro more suo quasi per epiphonema concludat narrationem de primo jurejurando consulari, quod dederat Trajanus. Quod si enim Plinius his verbis simul respexisset sequentia, sine dubio mox dicturus fuisset, 'nam in rostris quoque simili religione ipse te legibus subjecisti.' Plane vero incongruens est illud, nec ad rem pertinet, quod affert Livineius. Is enim verba hæc, *quod præeunte nullo jurasti*, ad tertium consulatum Trajani trahit; quæ autem sequuntur, *alio præeunte jurasti*, refert ad secundum consulatum, quem Trajanus imperator, sub imperatore tamen gesserat. At enimvero, et in hoc cap. LXIV. et in subsequenti, Plinius evidentissime agit de tertio consulatu Trajani, testaturque, hunc et imperatorem, et Augustum, et pontificem maximum, cum in auspiciis, tum in exitu tertii consulatus sui jurasse. Quod idem Plinius etiam infra, cap. LXXVII. 2. denuo innuit: 'Stabant,' inquit, 'candidati ante curulem principis, ut ipse ante consulis steterat, adigebanturque in verba, in quæ paulo ante ipse juraverat princeps; qui tantum putat esse in jurejurando, ut illud et ab aliis exigat.' Cum vero Trajanus, A. C. 98. alterum suscepit consulatum, plane non Romæ jurasse videtur; quoniam tunc fuit absens, et in Germanica expeditione rerum suarum sategit. Alia est horum verborum explicatio, quam suppeditat Lipsius: 'Captat Plinius,' inquit, 'acumen in verbo. Et mirum laudandumque, quod, nullo principum exemplo præeunte, jurasti; et hoc quoque, quod alio verba præeunte, quasi illo jubente, jurasti.' Hanc Lipsii explicationem secuti sunt Baudius, Baunius, et Gesnerus, quasi Plinius dicere voluerit: Affirmare non possum, plusne laudis tibi debeatur, quod nullo Cæsarum aliorum exemplo præeunte, quod imitareris, istos antiquos jurisjurandi consularis ritus observasti, an, quod, consule verba præeunte, et quasi te jurare jubente, jurasti. Utrumque enim faciebat ad exaggerandam Trajani laudem, maxime quod sine exemplo secum certarit, secum contenderit, uti Plinius supra cap. XIII. 5. loquitur. Verum et hic non nullus scrupulus superest, quomodo Plinius dicere potuerit, Trajanum nullo superiorum principum exemplo præeunte, jurasse; cum tamen Dion Cassius sub initium lib. LIII. diserte testetur, Octavianum Augustum, in suscipiendo deponendoque consulatu sexto, cum 'alia omnia secundum instituta majorum egisse,' tum fasces cum Agrippa collega suo partitum esse, ita, ut ipse

dimidia parte usus sit; tum etiam perfunctum magistratu 'jusjurandum patrio more præstitisse.' Sed hic dicas, exemplum istud Augusti fortasse tunc non succurrisse memoriæ Plinii, idque ex diurno atque contrario usu aliorum Cæsarum prorsus in oblivionem hominum venisse; cum ipse Plinius dixerit, Trajanum 'adigendum se præbuisse in verba principibus ignota, nisi cum jurare coëgerint alios.' Sic certe etiam, tribus sæculis post, ipse Athalricus rex Gothorum apud Cassiodorum, Epist. VIII. 3. cum senatum urbis Romæ certiorem faceret, se Gothorum Romanorumque consensu regnum in se suscepisse, atque inviolabiliter servare cupere, quæ, more antiquo, jurisjurandi auctoritate promiserit, nullum nominatim aliud attulit, nisi Trajani exemplum. 'Ecce,' inquit, 'ad condictionem clementissimam sacramenti inclinando nostrum eveximus principatum. Ecce, Trajani vestri clarum sæculis reparamus exemplum. Jurat vobis, per quem juratis; nec potest ab illo quisquam falli, quo invocato, non licet impune mentiri.' Etsi adeo putem, sic hunc scrupulum non difficulter levari eximique posse; residet tamen alius, quod nempe præterea frigusculum quoddam acuminis superest, quod Plinius ex duplici notione verbi 'præire' captare videtur, nisi id tribuas Pliniano argutiarum studio. Interim in hac Lipsiana interpretatione acquiesco, dum alia melior, qua capiar, proferatur.

EXCURSUS LII.

CAP. LXX. 1. *Præfuerat provinciæ quæstor, unus ex candidatis, in quem ea civitas amplissima reditus egregia constitutione fundaverat.* Locus hic sine dubio est corruptus: quis unquam dixit, 'in aliquem reditus fundare?' Approbandam igitur duxi felicem Lipsii emendationem, quæ ex ipsis mendis eruitur. Neque enim ullum novum vocabulum orationi infercitur, sed corrupta tantummodo levissima mutatione in ordinem rediguntur. Nam, pro *in quem*, abjecta litera *m*, rescribi jubet *inque;* ex casibus nominativis, *civitas amplissima*, quos rudes librarii occasione pronominis *ea*, effinxerant, restituit casus genitivos, *civitatis amplissimæ;* unde tandem plana hæc sententia restituitur Plinio: *Præfuerat provinciæ quæstor, unus ex candidatis, inque ea* (scil. provincia) *civitatis amplissimæ reditus egregia constitutione fundaverat.* Equidem Cicero non libenter copulam 'que' adjungit præpositioni, 'in,' 'a,' ab;' sed eam potius rejecit ad vocem sequentem: v. g. Non, aut rarissime, dixerit, 'inque eo;' sed Offic. I. 2. 'in eoque colendo sita est vitæ honestas omnis.' Sic etiam putes, in hac nostra emendatione non dici debere *inque ea*, sed *in eaque*, scil. provincia. Verum ab hac vocum collatione non alienum fuit ævum Plinianum. Sic v. g. Tacitus Annal. XV. 5. 'Inque eam prædam etiam Dii cessere;' ubi Cicero libentius dixisset, 'in eamque prædam,' &c. Quid? quod in hoc Plinii loco satis commode etiam legi possit, *in qua* (scil. provincia) *civitatis amplissimæ reditus.* Nihilo minus vir doctiss. Arntzenius vulgarem lectionem ivit vindicatum. Hujus ergo annotationem, quæ simul Isaaci Vossii sententiam complectitur, huc referam integram, aliorumque judicio relinquam. 'Quod solo,' inquit,

'ingenio suffultus, trium præterea vocum mutatione, conjecerat Lipsius, id adeo sequentibus interpretibus placuit, ut, quicquid etiam dissuaderent codices, blanda assensione comprobarint. Sententia quidem ipsa sic satis bene videtur constituta, si per Mss. et editiones liceret. Unus Isaacus Vossius de hoc loco non desperavit, cujus expositio, non video cur ferri non possit, ad Catull. pag. 139. Civitas huic candidato reditus fundaverat, id est, certos fundos assignaverat. Adeo namque de ea civitate bene meritus erat, ut præmii loco certos ei reditus tribuerint. Levi etiam mutatione legit, *In quem Œa, civitas amplissima, reditus.* Œa erat urbs Africæ. Sed puto, si ita particularem urbem exprimere voluisset Plinius, in præcedentibus dicere maluisse, *Provinciæ Africæ.* Nam nimis abrupta est oratio, ne nominata quidem regione, urbis alicujus mentionem injicere. Si conjecturis indulgeremus, possit fieri ex similitudine ultimæ syllabæ, *provinciæ*, ita: *Præfuerat provinciæ Asiæ quæstor unus ex candidatis, in quem Æa, civitas, &c.* Urbs illa est Colchidis, de qua Plinius VI. 4. 'maxime autem inclaruit' (ideo *amplissima* Nostro dicitur) 'Æa.' Adde Gronov. ad Liv. XXVII. 47. et Heinsium ad Val. Flacc. V. 50. Sed cur per 'civitatem' hic non intelligimus integram gentem illam, vel nationem, quam superius 'provinciam' appellavit, ut factum millies? Præter multos alios id docuerunt Cortius ad Sallust. Catil. XL. 2. Cuperus Monum. Antiq. p. 220. Raphelius Epist. ad Phil. III. 20. Justin. XLI. 4. 8. 'Hyrcanorum regnum occupavit, atque ita duarum civitatum imperio præditus.' Ita si sumatur, tentare vellem, *ea civitas amplissimos reditus*, ne substantivum, quod præcipuam sententiæ vim conciliat, destituatur adjectivo, quo res ipsa intendatur. Licet non infrequens sit, ut uni nomini plura addantur epitheta, quod jam aliquoties monuimus.' Hactenus Arntzenius.

EXCURSUS LIII.

CAP. LXXI. 3. *Contigit ergo oculis nostris insolita facies: princeps et candidatus, æquales, et simul stantes; intueri parem accipientibus honorem, qui dabat.* Hæc vulgata hujus loci est lectio, quæ non recentioribus demum temporibus est procusa; sed jam primo debetur Catanæo; qui, quamvis an. 1506. in prima et an. 1510. in altera editione hanc publicasset lectionem, *Contigit ergo oculis nostris insolita facies: princeps et candidatus equitis simul stantes; intueri parem, &c.* in commentario tamen alterius editionis annotarat, 'Sed melior scriptura, *æquales et simul stantes.*' In tertia demum editione, quæ Venetiis an. 1519. prodiit, ista nova lectio promulgata est: *Contigit ergo oculis nostris insolita facies: princeps et candidatus, æquales et simul stantes.* Si scriptura hæc, quam laudavit primusque evulgavit Catanæus, non ex ipsius ingenio nata, sed ex vetusto quodam codice depromta est, ea se omnino bene recteque habet, neque est solicitanda. Atque adeo eandem receperunt publicaruntque non pauci alii; quantumvis aliquando cum quadam variatione. Philippus Junta an. 1515. qui alias non facile ab Aldi Manutii editione recedit, hanc lectionem exhibuit: *Contigit ergo oculis nostris insolita ante facies: princeps et candidatus, æqualesque et simul stantes; intueri parem, &c.*

Hanc lectionem secuti sunt Cratander, Gryphius, Sichardus, H. Stephanus, Plantinus, Gruterus, Bernegger, Elzevir, Puteanus, Rivinus, Boxhornius, de la Baune, Cellarius, Hearne, Patarol, Ceva; qui, omissis saltem particulis *ante* post vocem *insolita*, et *que* post nomen *æquales*, hæc verba edidere: *Contigit ergo oculis nostris insolita facies: princeps et candidatus, æquales, et simul stantes, intuerique parem accipientibus honorem, qui dabat.* Jam vero, si residuos codices Mss. et veteres quasdam editiones inspiciamus, mira horum verborum varietas ibi occurrit. Unde vulgata illa lectio suspecta fieri, et alia, quæ vestigiis veteris scripturæ convenientior esset, quæri cœpit. In nota ad hunc locum, quam videre licet, decem codicum Mss. variantem scripturam bona fide retuli. His adhuc jam addo codicem Vaticanum n. 3461. et Guelpherbytanum, in quibus hæc legimus: *Contigit ergo oculis nostris ante facies principis equitum candidati, et simul stantis; intueri parem, &c.* Non minorem varietatem in antiquioribus editionibus deprehendimus. Puteolanus, Beroaldus, et Cuspinianus edidere, *Contigit ergo oculis nostris ante facies: princeps candidatus equitis, et simul stantis, intueri parem, &c.* Catanæus in duabus prioribus editionibus, item Aldus, Ascensius, et Navius habent, *Contigit ergo oculis nostris insolita facies: princeps et candidatus equitis, simul stantes; intueri parem, &c.* Livineius eadem verba exhibuit, nisi quod pro casu accusandi *honorem*, reposuit casum auferendi *honore;* in notis autem rescribendum censuit, *qui honorem dabat.* Rhenanus an. 1520. hanc lectionem prodidit: *Contigit e. o. n. insolita facies: princeps candidatus equitis, et simul stantis; intueri parem, &c.* Philomusus, *Contigit e. o. n. ante insolita facies: princeps et candidatus equitis, simul stantes; intueri pacem, &c.* Rob. Stephanus, *Contigit e. o. n. insolita facies: princeps et candidatus æquitis et simul stantes; intuerique parem, &c.* Ex his corruptæ scripturæ indiciis alii aliam eruere conati sunt lectionem. Lipsius, cujus auctoritati in Plinio purgando et illustrando, præ ceteris, multum alias tribuo, existimavit legendum esse, *Contigit e. o. n. i. f. princeps et candidatus ejus, simul stantes.* Sed hæc emendatio non satisfecit Jo. Frid. Gronovio. Hic enim in Diatribe ad Papinium Stat. cap. XXXII. pag. 209. ita rescribendum censuit: *Contigit ergo oculis nostris insolita facies: princeps et candidatus, æquitus et simul stantes, &c.* 'Duo,' inquit, 'dicit Plinius: primum, utrumque stetisse; dein, utrumque in plano stetisse. Poterat enim princeps altiore loco stare; sed auget illud submissionem ejus. Ideo ante, 'devexus in planum.' 'Æquitus,' ut, 'primitus,' 'planitus,' apud Tertullianum. Vox elegantissima, et eo amabilior, quia adhuc ignorata.' Ego non statim rejicio ἅπαξ λεγόμενα, sed ea aperta sint oportet, nec forte ex corruptela aliorum nata; neque gestio solicitare lectionem hucusque frequentius vulgatam, dummodo ne ea magis ex conjectura, quam vestigiis veterum codicum extitisse videatur. Hæc autem vestigia si persequor, et inprimis si codicis mei scripturam cum ceteris contendo, persuasum mihi habeo, me a mente styloque Plinii minus aberraturum esse, si locum hunc ita restitutum ivero: *Contigit ergo oculis nostris insolita ante facies principis, æquati candidatis, et simul stantis; contigit intueri parem accipientibus honore, honorem qui dabat.* Primum enim, cur non utrasque has voces, *ante insolita*, conjuncte recipiamus, cum alii veteres libri hanc, alii illam exhibeant; et cum Philomusus et Junta jam utrasque simul

ediderint? Deinde casum gignendi *principis* admitto; quia in duobus codicibus Mss. expressus est, et in omnibus, per adjunctum participium *stantis*, quasi digito ostenditur. Quam proclive porro est, congruentes casus in ceteris vocibus invenire, atque ex corrupta scriptura *æquitatus*, vel *equitus*, eruere *æquatus*? quam vocem rudes librarii etiam in casum nominandi flectendam putarunt, postquam ex genitivo *principis*, idem casus nominandi *princeps* jam irrepserat. Præterea, quia verbum *intueri* in omnibus quos vidimus antiquis libris, sine copula *que*, ponitur; utique alius ibi defectus latet, qui non commodius, quam per ipsum Plinianum verbum *contigit*, quod librarii repetere omiserant, suppletur. Denique assumendum etiam puto nomen *honore*, quod Livineius in antiquo codice invenerat, quodque librarii, propter idem nomen in casu accusandi subsequens, prætermiserant. Supervacaneum autem foret, pluribus comprobare, quod recte dicatur, eum, *qui dabat honorem, parem esse accipientibus honore;* quemadmodum Cicero dixit, 'omni virtute et laude parem esse alteri;' et, 'facilitate parem esse infimis;' &c. Hic erat prior conatus meus hujus loci explanandi: postquam vero majore attentione omnia reliqua vestigia veteris scripturæ expendi, et inter se contuli, nullum quidem verbum novum prioribus verbis substituendum, vel addendum, sed ea ipsa priora verba aliter inflectenda, animadverti; nisi quod hanc unam vocem *honore* nunc dimittendam putem. Cujus alterius correctionis meæ rationes in ipsis annotationibus exposui. Ne vero lectores ea emendatione fraudare velle videar, quam proposuit Arntzenius; pace ejus integram istam annotationem huc transferam. Quomodo vero ægre feram, alios a me dissentire, cum ipse aliquando mecum dissentiam? Hæc autem vir doctiss. ad hunc locum commentatus est: 'Clar. Perizonius conjecerat, *æque et simul stantes;* aliorum judicia excutere nihil attinet; unum hoc dicam, in loco tam varie vexato atque agitato tutissimum esse quam proxime ad Mss. codices accedere, quorum scripturam ne verbo quidem immutato exhibui, et id, ni fallor, optimo sensu: *Insolita ante facies: princeps et candidatus æqui tum et simul stantes; intueri parem accipientibus honorem, qui dabat.* Ex his, *insolita ante,* suo jure defendit cel. Schwarzius; in ceteris non ægre feret vir humanissimus, si non nihil ab ejus sententia dissentire videar. *Æqui tum* dedimus sine ulla vi ex iis Mss. qui mala avi conglutinatis literis fecerant *equitum*, et inde *equitus*, vel *equitis*, quæ terminationes ex compendiosa scribendi ratione millies permutantur. *Æqui* erunt æquales, nulla habita dignitate, cum relicta curuli in planum descendisset imperator, adeo ut, quod ait impurus apud Terentium, 'æqua omnibus esset libertas.' 'Æquus' pro 'æquali' dici, nemo dubitabit, et sic Ovid. Met. VI. 10. 'Occiderat mater, sed et hæc de plebe suoque Æqua viro fuerat.' Cl. Burmannus ad Vell. Paterc. II. 31. 'Essetque ei imperium æquum in omnibus provinciis cum proconsulibus,' et ad Sueton. Aug. cap. 79. Drackenb. ad Sil. III. 192. 'Quantus non æquas perlustrat flexibus Arctos;' et quæ frater meus protulit ad Caton. III. 25. De confusione *æ* et *e*, non opus est, ut quicquam dicamus; interim non nunquam dubia ita redditur oratio, si rei verosimilitudo permittat, ut ingenia feliciora vel hoc, vel alterum, audeant præferre atque tueri. Vide sic hac eadem in voce dissentientes viros doctos ad Petron. c. 34. 'Æquum Mars amat.' Addit *tum*, ad

exprimendam illorum temporum felicitatem, si cum prioribus compararentur, quæ designaverat vocula *ante*. Sic supra cap. XXXV. 'Cum iisdem, quibus antea cautibus innocentissimus quisque, tunc nocentissimus affigeretur.' Post *intueri* particula *que* abest a codicibus scriptis et editionibus intempestiva crisi non vitiatis; nec ideo necesse est, defectum, vel quasi defectum, supplere inani repetitione. Non enim nobis ea mandata est provincia, ut optimos etiam scriptores ex nostro ingenio et nostris verbis loqui cogamur. Satis est, si liceat eam vocem ex præcedenti membro repetere, qualia exempla et apud Nostrum et apud alios multa sunt, ut docuimus ad cap. LX. § 5. Pari modo Plinii manum agnovimus supra cap. XXI. 'Novos aliquos honores, novos titulos, merebare? At tu etiam patris patriæ recusabas:' ubi sine necessitate 'nomen' intruserant alii. Apud Boëthium ita hærebat librarius, lib. II. pros. 1. 'Nec formidandas fortunæ minas, nec exoptandas facit esse blanditias;' quare proprio consilio vocem geminabat, ut sensum clariorem efficeret 'form. facit fort.' eadem qua hic necessitate. Noster cap. LXV. 'Tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis; sic fit, ut nos tibi plus velimus.' Repete in ultimo membro 'licere,' et ita non necesse erit illud interserere ex conjectura Livineii. Cap. LXXII. 'Nec magis sine te nos esse felices, quam tu sine nobis potes. An, si posses:' ubi supplendum cogitatione 'esse felix.' Et eodem capite, 'Habent sua verba miseri, sua verba felices.' Terentius Eun. I. 1. 9. 'Te amare et ferre non posse:' ubi ex præcedenti verbo repete 'amorem,' indeque ortum desiderium, adeo ut ab eo abstinendum sit, ubi tamen clar. Heumannus, tom. II. Pœc. lib. IV. pag. 476. 'te amorem ferre' prætulerat; tanto inconvenientius, quanto magis ita metrum violetur. Sulp. Severus Dial. I. cap. 22. 'Renitentibus cunctis, et præcipue loci illius abbate, malo (lege *male* cum Mss.) animo fixa sententia non potuit avelli.' Ita auctoribus membranis restituendus locus, vulgo editur *abbate renitente*. Apud Melam Præf. lib. I. lege, 'Ac primo quidem, quæ sit forma totius, expediam; deinde rursus oras omnium ac littora, ut intra extraque sunt.' Bene ibi rem gerit Gronovius, sed eam locutionem non ferre usum Latini sermonis existimavit cl. Heumannus Pœc. tom. I. lib. II. epist. 4. Ego puto eodem modo, saltem non admodum diverso, dici posse, 'expedire oras et littora,' pro describere, quo 'expedire exitum' alicujus rei, et 'expedire initium' dixit Cicero, et Sallust. Jug. cap. 5. Vide Grævium ad Justin. XLIII. 1. Præterea, si hoc largiri vellem, locus omnino sanus erit, si cogitemus, ubi talia verba ad duo diversa substantiva referuntur, non omnibus vocibus æque convenire. Sic Florus IV. 12. dixit, 'Aliis oculos, aliis manus, amputabant.' Vide quæ dixi LV. 9. Felicior viri eruditi conjectura eodem loco apud Melam scribentis 'ornantis' pro 'orantis;' quomodo etiam cl. Grævius in Scholis privatis eundem locum constituerat, et justis firmaverat argumentis. Cum talis igitur ellipsis adeo sit frequens, non difficile erit credere, et in sequenti *dabit* commode *honorem* intelligi posse.' Hactenus Arntzenius.

EXCURSUS LIV.

CAP. LXXXIX. 3. *Licet alteri vestrum filii virtus triumphalia, cœlum alteri dederit: non minor tamen vestra laus, quod ista per filium, quam si ipsi meruissetis.*

Quæ ad illustrationem hujus loci faciant, jam supra in notis exposui. Restat tantum hæc quæstio explicanda: quando, et quomodo, Trajanus patri suo naturali honorem hujusmodi ornamentorum triumphalium pepererit, aut dederit? Jacobus de la Baune putavit, intelligi hic debere 'statuam triumphalem,' a Trajano dedicatam patri suo naturali, quæ in porticu collocata, aut arcui imposita, patrem habitu triumphantis exhibuerit. Et sane etiam iis, quibus sub imperatoribus non amplius triumphare licuit, pro triumpho aliquando statuam triumphalem esse datam, docet Tacitus Annal. IV. 23. Cujusmodi exemplum habet etiam Plinius noster Epist. II. 7. 'Heri a senatu Vestricio Spurinnæ, principe auctore, triumphalis statua decreta est, non ita, ut multis, qui nunquam in acie steterunt, nunquam castra viderunt, nunquam denique tubarum sonum, nisi in spectaculis, audierunt: verum ut illis, qui decus illud sudore et sanguine, et factis, assequebantur. Nam Spurinna Bructerum Regem vi et armis induxit in regnum; ostentatoque bello, ferocissimam gentem (quod est pulcherrimum victoriæ genus,) terrore perdomuit.' Lipsius, et alii Lipsium secuti, existimant, his verbis respici 'laurum Parthicam,' qua Trajanus filius gloriam patris jam in adolescentia auxit, secundum Plin. Paneg. XVIII. 1. adeoque et Arntzenius contendit, his verbis potissimam partem victoriæ tribui Trajano filio, propter quam triumphalibus ornamentis decoratus fuerit pater Trajanus. Gesnerus utramque explicationem complectitur. 'De illa,' inquit, 'Parthica lauro loquitur Plinius, de qua cap. XIV. 1. sed sine dubio etiam triumphalem statuam patri posuit Trajanus, vel positam instauravit, ornamentaque illi triumphalia conservavit.' Et ego lubens utramque sententiam simul admitterem; verum non satis certo constat, Trajanum demum patri suo statuam triumphalem posuisse, vel post tam breve tempus instaurasse. Immo Trajani pater jam ante filii principatum 'vir triumphalis' dictus est, prout colligimus ex Panegyrico Plinii IX. 2. 'Credentne posteri, patricio et consulari, et triumphali patre genitum, cum fortissimum, amplissimum, amantissimum sui exercitum regeret, imperatorem non ab exercitu factum?' Et XVI. 1. 'Nec, quia vel pater tibi triumphalis, vel adoptionis tuæ die dicata Capitolino Jovi laurus, idcirco ex occasione omni quæris triumphos.' Item LVIII. 3. 'An consularis viri triumphalisque filius, cum tertio consul creatur, ascendit? Non debitum hoc illi? non vel sola generis claritate promeritum?' Ergo non demum post mortem a filio principe ornamenta triumphalia adeptus videtur; quanquam alioqui non absurdum est, alicui viro bene merito demum post suam mortem statuam triumphalem potuisse decerni; cum et ipsi Trajano jam mortuo triumphus ab Hadriano decerneretur. Probabilissimum interim est, Plinium oratorie, ut observavit Arntzenius, exaggerasse Trajani merita erga patrem, et dixisse, Trajanum patri dedisse ornamenta triumphalia, cum in juventute, ubi sub patre, vel tanquam præside provinciæ, vel tanquam legato Cæsaris, re in bello, vel prœlio, bene gesta, patrem in obtinenda victoria, promerendisque ornamentis triumphalibus, adjuverit, aut, ut supra cap. XIV. dixit Plinius, 'Parthica lauro gloriam patris auxerit.' Certe, jam in republica libera filii aliquando 'patris triumphum donis militaribus decorare, et sua virtute amplitudinem paternam illustrare,' dicebantur, qui rem in bello bene gesserant, patrique in

promerendo triumpho fuerant adjumento. Id Murenæ exemplo ostendit Cic. pro Mur. cap. 5. 'An, cum sedere in equis triumphantium prætextati potissimum filii soleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum sit, ut, rebus communiter gestis, pæne simul cum patre triumpharet? Hic vero, et fuit in Asia, et viro fortissimo, parenti suo, magno adjumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit.'

EXCURSUS LV.

CAP. XCII. 4. *Nam, quod eum potissimum mensem attribuisti, quem tuus natalis exornat, quam pulchrum nobis! quibus edicto, quibus spectaculo, celebrare continget diem illum, triplici gaudio lætum, qui principem abstulit pessimum, dedit optimum, meliorem optimo genuit.* Quis mensis his verbis designetur, facile patet: nempe mensis Septembris, qui *principem abstulit pessimum*, scilicet Domitianum, qui, teste Suetonio, in Domit. cap. 17. occisus est quarto decimo Kalend. Octobris, (i. e. die XVIII. Septembris,) anno ætatis quinto et quadragesimo, imperii quinto et decimo; cujus cædes, ex computatione optimorum chronologorum, incidit in A. U. C. 849. sive annum Christi 96. Hic dies et mensis *dedit principem optimum*, M. Cocceium Nervam, qui Domitiano occiso mox successit. Idem dies et mensis, etsi non ejusdem anni, *meliorem optimo genuit*, nempe Trajanum. Verum, cum in historia principum Romanorum triplex dies natalis occurrat, quo nati et geniti dicantur, quod exposui in notis; nempe 'natalis vitæ,' 'natalis imperii,' et 'natalis adoptionis;' jam quæritur, quis dies natalis hoc loco sit intelligendus? Theodorus Marcilius ad Sueton. Vesp. cap. 6. hæc scripsit: 'Natalis Trajani, apud C. Plinium, in Gratiarum actione, accipiendus natalis primus imperii.' Qui, si intellexit diem primum, quo Trajanus demum post mortem Nervæ, plenum imperium solus adeptus est, omnino erravit. Nerva enim non mense Septembri, sed VI. Kalend. Februarii, h. e. die XXVII. Januarii A. C. 98. obiit; at Plinius de ejusmodi natali Trajani loquitur, qui ad mensem Septembrem, et quidem ad diem hujus mensis XVIII. referri possit. Diem vero primum plenioris imperii a Marcilio intellectum esse, vel exinde patet, quod 'natalem imperii' ibidem utique distinguit a 'die natali vitæ' pariter, ac a 'die natali adoptionis.' Superest ergo, ut vel 'dies natalis vitæ,' vel 'dies natalis adoptionis,' et, ut ita loquar, 'coimperii' intelligatur. Multo plures sunt, qui hunc diem natalem Trajani de 'die natali vitæ' interpretentur, quo is in hanc lucem primum exierit. Quam sententiam viri magni nominis sequuntur; v. g. Norisius in Parergo de Votis Decennalibus cap. 2. pag. 83. Antonius Pagius in Annales Baronii, ad A. C. 117. num. 6. Raphaël Fabrettus de Columna Trajani, cap. 9. pag. 270. Nicolaus Toinardus in notis ad Lactant. de Mortibus Persecutorum, cap. 18. Jo. Masson in Vita Plinii, ad A. C. 100. et forte alii. Atque hi duobus potissimum argumentis nisi, statuunt, Trajanum habuisse diem XVIII. Septembris, pro genuino et proprie dicto natali vitæ suæ, quo is genitus primum lucem hujus vitæ aspexerit. Primum est, quod in vetusto

Kalendario Romano apud Bucherium, in commentario de doctrina temporum in Victorium Aquitanum, aliosque antiquos Canonum Paschal. scriptores, c. 15. et apud Lambecium Vol. v. Biblioth. Vindobonensis, pag. 285. inter annotatos quorundam imperatorum natales hæc ad mensem Septembrem, et quidem ad xiv. Kal. Octobr. notantur: 'N̄. Trajani. Triumphales. CM̄. XLVIII.' Ubi dicunt, per 'N̄. Trajani' designari Natalem Trajani proprie dictum; per 'CM̄. XLVIII.' indicari Circenses missus; quia tunc celebrati sint ludi Circenses, et quidem Circensium missibus XLVIII. Quamvis Lambecius in adjectis notis recte moneat, istos triumphales ludos non pertinere ad Trajanum, sed potius ad Constantinum Magnum, ob Licinium ad Chalcedonem debellatum A. C. 324. xiv. Kal. Octobr. in hujus imperatoris Constantini M. honorem institutos; ut apud Idatium in Fastis consularibus, et apud auctorem Chronici Alexandrini videre liceat. Quod autem ad N̄. i. e. Natalem Trajani in isto Kalendario ad xiv. Kal. Octobr. notatum attinet; concedo quidem, in eodem Kalendario annotari etiam imperatorum quorundam dies natales proprie dictos; sed observavi, nihil ominus ibidem per idem signum N̄. designari quoque 'natales imperii' quorundam imperatorum; quod et ipse Lambecius sigillatim ad mensem Julium annotavit, per N̄. D. CONSTANTINI, non intelligi debere tempus natale vitæ, sed imperii hujus principis; idem monet ad mensem Novembrem de natali dignitatis Cæsareæ Constantii, filii Constantini M. ubi ad vi. Idus Novembr. hæc designantur: 'N̄. Nervæ, et Constantii CM̄. XLVIII.' Hinc apparet, hoc argumentum saltem perquam lubricum esse, nihilque prohibere, quominus etiam ad xiv. Kal. Octobr. non tam natalis vitæ, quam natalis adoptionis et consortii imperii Trajani, intelligi possit. Porro vero urgent, hunc diem xiv. Kal. Octobr. ideo de die nativitatis et vitæ, non vero de die natali adoptionis et dignitatis, debere explicari, quod id apud Plinium verbum *genuit* prorsus evincat; cum is, Paneg. cap. XCII. 4. diserte dicat, *Nobis edicto, nobis spectaculo, celebrare continget diem illum, triplici gaudio lætum, qui principem abstulit pessimum, dedit optimum, meliorem optimo genuit.* Sic enim, aiunt, 'gignere' opponi τῷ eligere et adoptari; v. g. Paneg. LXXXIX. 2. 'Pulchrius fuisse, genuisse talem, an elegisse.' Et XCIV. 5. 'Ut quandoque successorem ei tribuas, quem genuerit, quem formaverit, similemque fecerit adoptato.' Sed largior quidem, in his similibusque locis, verbum 'gignere' proprie sumi, dum opponatur τῷ 'eligere' et 'adoptari;' nego autem, Plinium non alibi, extra ἀντίθεσιν, potuisse idem verbum 'gignere,' etiam μεταφορικῶς usurpare. Quam bene recteque nomina 'natalis,' 'pater,' 'filius,' et verbum 'nasci,' de adoptione, et restitutione, et dignitate translate dici potuere; tam bene recteque verbum quoque 'gignere' aliquando potuit translate poni; cum inprimis adoptio generationem imitari dicatur. Sic et Cicero verbo 'nasci' utitur, etiamsi id opponat procreationi, in Orat. ad Quirites post Redit. cap. 2. 'A parentibus, id quod necesse erat, parvus sum procreatus: a vobis natus sum consularis.' Idem in Orat. post Red. ad Senat. cap. 11. diem restitutionis suæ vocat 'natalem;' et ad Attic. vi. 6. ipsam restitutionem appellat παλιγγενεσίαν. Similiter Sallustius in Fragm. Hist. ex Cottæ oratione dixit 'Cottam bis genitum.' Et annon ipse Plin. Paneg. XXII. 5. μεταφορικῶς dixit, 'Quam similis illi dies, qui hunc

genuit diem?' Sed et alio argumento usus est Antonius Pagius in Critic. Baron. ad A. C. 117. num. 6. quo argumento ipse primo conspectu me victum putabam. 'Cum Xiphilinus,' inquit, 'tradat, Trajanum vixisse annos sexaginta, menses decem, dies viginti quatuor; ultimum terminum, diem nempe emortualem includit, demonstratque, eum die XVIII. mensis Septembris anni Christi quinquagesimi sexti in lucem prodiisse, errasseque Eutropium, ac Victorem in Epitome a Baronio laudatos, ipsumque etiam Baronium, quos fugiebat, Trajani natale in diem XVIII. Septembris incidisse, sine quo definiri non potest, quot annos, menses, ac dies, in vivis fuerit.' Profecto, si ista, quæ narrat Pagius, revera tradidisset Xiphilinus, me oportuisset omnino victas manus dare. Legi vero relegique Xiphilinum, et cetera Dionis Cassii fragmenta; sed istos annos, menses, et dies, quos Pagius nominatim assignat ætati Trajani, nusquam ibi invenire potui. In Wecheliana editione Operum Dionis Cassii pag. 772. id unum animadverti, Trajanum, cum imperare cœperit, egisse annum ætatis secundum et quadragesimum; nullus vero mensis, nullus dies illius anni, simul ibi designatur, unde ad diem natalem certo indicio indagandum regredi possimus. Et quanquam in ejusdem Dionis opere, p. 786. legamus, Trajanum imperasse annos decem et novem, menses sex, dies quindecim; nemo tamen inde exsculpet d. XVIII. Septembris, tanquam diem nativitatis Trajani. Quæ cum ita sint, facile animadvertimus, Pagium magis ex ingenio effinxisse istos annos 60. menses 10. dies 24. ætatis Trajani, quam in narratione Dionis, aut Xiphilini, invenisse, adeoque sic non tam veritati litasse, sed inserviisse hypothesi suæ, ut aliis persuaderet, Trajanum natum esse A. C. LVI. d. XVIII. Septembris. Equidem in historia Eutropii tres variantes lectiones de ætate Trajani animadvertimus. Vulgatæ editiones ætati ejus assignant annos LXII. menses IX. et dies IV. Quædam aliæ produnt annos LXIII. mensem unum, diem quartum. Recentiores editiones, quæ hodie pro melioribus habentur, exprimunt annos LXIII. menses IX. dies IV. Quamcumque lectionem assumas, non inde diem XVIII. Septembris, tanquam natalem genuinum, erues; sed ex prima lectione diem VI. Novembris A. Christi LIV. ex altera lectione diem VI. Julii A. LIII. ex tertia denique diem VI. Novembris A. LIII. deprehendes. Nec faciunt ceteri scriptores ad certum diem nativitatis investigandum; ut qui saltem generatim annos ætatis Trajani indicant, sine accurata mensium dierumque designatione. Nihil ergo nobis obstare videtur, quo minus credamus, diem illum, qui apud Plinium dicitur genuisse Principem optimo meliorem, fuisse diem adoptionis Trajani, quo ipso die hic simul Cæsar et consors imperii factus est. Erat scilicet idem dies XVIII. Septembris, A. C. 96. quo die occisus erat Domitianus, et quo Nerva successerat occiso Domitiano. Ergo in memoriam hujus diei, eodem die anni Christi 97. Nerva adoptaverat Trajanum, eumque simul Cæsarem imperatorem, consortem tribunitiæ potestatis, nondum tamen Augustum fecerat. Convenit hæc ratiocinatio cum illa regula indagandæ originis tribunitiæ potestatis imperatorum Romanorum, quam ad ductum Onuphrii Panvinii exposui, exemplisque illustravi, in dissertatione de numeranda tribunitia potestate Augustorum Cæsarumque Romanorum, pag. 28. ubi ostendi, sicubi initium tribunitiæ

potestatis alicujus imperatoris non diserto testimonio veterum scriptorum constet, ad indagandum mensem et diem tribunitiæ potestatis primum susceptæ, præsumendum esse, quemvis imperatorem priorum sæculorum eo die ac mense primum tribunitiam potestatem obtinuisse, quo die et mense postea ipse in alios eam contulerit; et vicissim, quemvis imperatorem eo die ac mense primum tribunitiam potestatem in alios contulisse, quo ipse eandem primum obtinuerit. Sic enim jam Octavianus Augustus v. Kalend. Augusti A. U. C. 757. adoptato a se Tiberio detulit tribunitiam potestatem; quod eodem die ac mense antea A. U. C. 731. eandem potestatem ipse susceperat. Cur autem hæc regula non conveniat in diem natalem adoptionis Hadriani, (cum nulla facile regula detur sine exceptione,) alio loco exponam: interim tamen ea bene applicari potest ad Trajanum: quoniam constat, Nervam, Trajani in imperio antecessorem, a die XVIII. Septembr. A. C. 96. statim post cædem Domitiani, annos imperii et tribunitiæ potestatis numerare cœpisse; eodemque die anni sequentis adoptasse Trajanum, eumque in consortium imperii ascivisse. Celebratus itaque est sub imperio Trajani dies XVIII. Septembris, tanquam natalis ejus; de quo Plinius Epist. x. 28. 'xv. Kalendas Octobres Bithyniam intravi. Non possum tamen de mora queri, cum mihi contigerit, quod erat auspicatissimum, (postridie) natalem tuum in provincia celebrare.' Plinius quidem hoc loco non distinote indicat, de quo die natali Trajani loquatur, utrum de primo die vitæ, an die adoptionis, an die imperii Augustalis; sed manifestum est, de natali imperii Augustei intelligi non posse; cum hoc plenius imperium demum post mortem Nervæ, d. XXVII. Januarii A. C. 98. adeptus esset. Quis dies primus vitæ fuerit, id nondum certo liquet. Diem autem XVIII. Septembris fuisse 'natalem adoptionis,' et, ut ita loquar, 'coimperii' Trajani, consortiique tribunitiæ potestatis, id ex probabilissimo dictæ regulæ indicio intelligimus. De quo die natali, vix dubito, quin Plinius etiam Epist. x. 60. loquatur: 'Diem, Domine, quo servasti imperium, dum suscipis; quanta mereris lætitia celebravimus.' Trajanus enim, simulac adoptatus est a Nerva, suscepit etiam consortium imperii, hocque suscepto, repressit seditionem a prætorianis tunc commotam: quapropter dicitur, 'suscepisse rempublicam,' et 'servasse imperium.' Inde Plinius Epist. x. 1. ubi Trajano gratulatur de imperio Augusteo, post obitum Nervæ adepto: 'Dii immortales,' inquit, 'festinaverunt virtutes tuas ad gubernacula reipublicæ, quam susceperas, admovere.' Scilicet jam ante imperium Augusteum dicitur 'suscepisse rempublicam,' dum non solum adoptatus a Nerva, sed etiam in consortium tribunitiæ potestatis et imperii ascitus esset Trajanus. Itaque duæ omnino epochæ statuendæ sunt in Trajani historia: una a die XVIII. Septembris A. C. 97. quo die nempe adoptatus est: a qua epocha potissimum deducuntur numeri tribunitiæ potestatis hujus imperatoris in nummis lapidibusque antiquis; quos numeros tantum ad XX. TRIB. POT. deduxit, d. x. Aug. A. C. 117. mortuus; cum, si ad d. XVIII. Sept. ejusdem anni vitam extendisset, num. XXI. TRIB. POT. inchoaturus fuisset: dum quotannis d. XVIII. Sept. trib. potestatem repetiit, numerosque auxit. Neque ullus genuinus Trajani nummus, aut lapis vetustus, in designandis numeris tribunitiæ potestatis huic epochæ refragatur. Altera epocha in historia Trajani initium ducit a XXVII. Januarii

A. C. 98. a quo incepit monarchia et Augusteum imperium; cum Trajanus post obitum Nervæ solus imperio præesse cœpit: quam epocham secutus est Xiphilinus ex Dione Cassio, et, secundum recentiores editores, Eutropius; dum tradiderunt, Trajanum, qui A. C. 117. obiit, d. x. Augusti, imperasse annos decem et novem, menses sex, dies xv. tot vero anni, menses, et dies, intercedunt inter alteram Trajani epocham, ab A. C. 98. d. xxvii. Jan. et inter tempus mortis ejus. Ex adverso si annos numeres a prima epocha adoptionis; invenies annos 19. menses 10. et dies 25. Atque adeo Trajanus, secundum illam priorem epocham a d. xviii. Sept. A. C. 97. ad xxvii. Jan. A. C. 98. una cum Nerva in imperio vixit quatuor menses, et decem circiter dies. Hinc, cum Aurel. Victor in Epitome tradat, Trajanum cum Nerva vixisse 'tribus mensibus;' aut erravit, aut numero rotundo tres integros menses, Octobrem, Novembrem, et Decembrem, computavit, dies vero reliquos mensis Septembris et Januarii prætermisit. Iis autem, qui harum rerum studio capiuntur, non molestum fore opinor, quod paulo operosius in hac re illustranda sim versatus: cum veritus sim, ne tot gravium virorum dissentientium auctoritas sententiæ meæ officeret; quanquam neque hæc omni chronologorum recentiorum consensu destituatur; e quibus duos viros egregios, Onuphrium Panvinium, parentem illum Fastorum Romanorum, in commentariis; et Ricciolum in Reformata Chronologia, tom. i. lib. iv. cap. 8. nominasse nunc sufficiat.

37

This book should … to